~~CX.~~
LXXXVI B. 4

4089

Digitized by Google

Digitized by Google

2. 11. 24.

49- 027

780.

Digitized by Google

Digitized by Google

63. B. 6.

Digitized by Google

DIARIUM
ITINERIS IN MOSCOVIAM

Perilluſtris ac Magnifici Domini

IGNATII CHRISTOPHORI

NOBILIS DOMINI

DE GUARIENT, & RALL,

Sacri Romani Imperii, & Regni Hungariæ Equitis, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarii Aulico-Bellici

AB

Auguſtiſſimo, & Invictiſſimo Romanorum

IMPERATORE

LEOPOLDO I.

AD

Sereniſſimum, ac Potentiſſimum Tzarum, & Magnum Moſcoviæ Ducem

PETRUM ALEXIOWICIUM

Anno M DCXCVIII.

ABLEGATI EXTRAORDINARII

Deſcriptum

A JOANNE GEORGIO KORB, p. t.

Secretario Ablegationis Cæſareæ.

Acceſſit Reditus Suæ Tzareæ Majeſtatis à Provinciis Europæis ad proprios limites periculoſæ Rebellionis Streliziorum, & latæ in eoſdem ſententiæ cum ſubſecuta ſanguinea Executione, nec non præcipuarum Moſcoviæ rerum compendioſa, & accurata deſcriptio &c.

Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Leopoldi Voigt, Univerſit. Typog.

266.271-C.F.1

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO

ET

EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

DOMINICO

ANDREÆ

SAC. ROM. IMP. COMITI

â KAUNIZ

HÆREDITARIO

Domino Auſterlizii, Hunnobrodæ, Krzizanowii, Moravo-Pruſsii, Magno Orzechowii, & Panowii,

EQUITI

Aurei Velleris,

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis

CAMERARIO

CONSILIARIO ACTU INTIMO,

ET

Sacri Romani Imperii

VICE-CANCELLARIO

DOMINO AC MECOENATI

MEO GRATIOSISSIMO.

FID.C

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME
AC
EXCELLENTISSIME
DOMINE DOMINE,

PAtere Excellentiſſime Domine Comes, Tuo *inſcribi nomini exile hoc opus, ut, quod ſuæ ſibi tenuitatis conſcium ſinè* Te *lucem ſubire veretur*, Tuis *prodeat ſub auſpiciis, pretiúmque, quo caret*, Tua *participet à dignitate*; Tu *ſcribendo huic operi ſuggeſsiſti materiam*, Tuum *quippe beneficium eſt; quòd ad Magnum Moſcoviæ Ducem in Extraordinarium Ablegatum delectus ſit ille, cujus pro Cæſare, & communi Patriæ bono Legationis tempore laudabiliter geſta hoc in opus collegi*, Tuæ *ille in acceptis refert gratiæ, quidquid Cæſareorum in ſe favorum derivatum.* Tuo *aſpirante Numine mox Orientem ſubibit intemeratam Ruſsiæ probatam fidem Ottomanicæ Portæ illaturus; ut de utroque Imperio optimè meritus eæ* Te *Duce honorum ſcandat ſubſellia, quæ* Tua *illi benevolentia deſignavit.* *Novi equidem, ingenitam* Ti-

bi

bi *benignitatem, quâ omnes ad* Te *velut ſecuriſſimum recurrentes aſylum recipis, receptos protegis, novíſque ſemper auctos beneficiis* Tibi *quàm arctiſſimè devincis. Me & calamus, & ſepia deficeret; quin in grande volumen hoc folium excreſceret, ſi recenſere vellem ſingulos, quos plus quàm Magnetica, quia benefica virtute in* Tui *amorem pertraxiſti, & admirationem, vel in hoc Gallicano ſuperior Hercule, quia plus opere, quàm ore facundus ipſas etiam coronas, & ſceptra, quo libuit, inclinâſti. Hinc ſummo in terris Monarchæ* LEOPOLDO *ſummis vivis in amoribus, quos ut luculentiùs teſtaretur,* Te *ſibi aureis colligavit vinculis, dum Aurei velleris honores detulit, & ut intimiùs conjunctum haberet, ad actu intimi Statûs Conſiliarii dignitatem evexit; cujus ſagaciſſimam toties in conſiliis ſuſpexit prudentiam, quoties in maximis Imperii negotiis, quot verba tot audivit promentem oracula. Virent etiamnum, & in nunquam intermoritura univerſi Orbis Chriſtiani virebunt memoria Ryſbicenſia illa fœdera, quæ* Te *Cæſareo Plenipotentiario, & Primate Legato dexterè adeò ſunt concluſa, ut, dum unius Romani Imperii bonum quæreres, omnium ſimul felicitati abundè proſpexiſſe videreris: uſque adeò nimirum Majorum* Tuorum *æmularis gloriam, ut quidquid virtutis, aut excelſæ mentis ornavit ſingulos, in* Te uno *velut compendio liceat venerari. Siſto hic fatiſcentem geſtorum* Tuorum *magnitudine calamum, ne glorioſa* Tua *enarrando facinora, vel verecundo* Tuam *ſuffundam rubore modeſtiam, vel injurius magìs, quia infra horum dignitatem facundus audiam laudator, conſulturus meliùs & dignitati* Tuæ, *& meæ tenuitati venerabundo colam ſilentio, quæ condignâ eloquentiâ exprimere non valeo: unum hoc à* Te *ſubmiſſiſſimè deprecans; ut opus hoc unà mecum benignè admittas, & foveas, qui permaneo.*

Excellentiſſimæ Dominationi Tuæ

Æternùm devotus

JOANNES GEORGIUS KORB,
p. t. Secretarius Ableg. Cæſ.

Digitized by Google

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

LEOPOLDUS Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus, tenore præſentium, univerſis, quòd cum Nobis Noſter, & Sacri Imperii fidelis dilectus Joannes Georgius Korb, humillimè expoſuerit, ſe Diarium, itineris in Moſcoviam, prælo committendum ſtatuiſſe, vereri autem, nè, quod fieri ſoleat, alii etiam Bibliopolæ & Typographi, queſtûs causâ, idem Diarium, itineris in Moſcoviam, fraudulenter, & magno diſpendio ſuo imitentur, prælo committant, diſtrahant, atque venundent: Ideóque Nos ſupplex orârit, ut ſibi Privilegio Noſtro Cæſareo, contra omnes ejusmodi fraudes proſpicere dignaremur: Nos ſubmiſſæ pariter & æquæ petitioni huic annuendum cenſuerimus; Quapropter omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis, aliisque quibuscúnque librariam negotiationem exercentibus firmiter ſerióque inhibemus ac vetamus, nè quis prædictum Diarium itineris in Moſcoviam, per quinque Annorum ſpatium à primâ editionis die computandum, in Sacro Romano Imperio Regnorúmque & Provinciarum Noſtrarum hæreditariarum finibus, ſimili aut alio typo vel formâ, aut ſub quovis, vel additionis, vel correctionis aliové prætextu ſivè in toto, ſivè in partè, ſivè in germanico, vel latino idiomate, recudere, vel alio recudendum dare, alibi impreſſum apportare, vendere, aut diſtrahere clam, vel palam citra voluntatem, & absque ipſius Joannis Georgii Korb ejusque ſucceſſorum ſpeciali & in ſcriptis obtento conſenſu, & licentiâ præſumat, ſi quis verò ſecùs faciendo, Privilegium & interdictum hoc Noſtrum Cæſareum violare aut transgredi auſus fuerit, eum non modò ejusmodi libris perperam quippè recuſis & adductis, ſi quos quidem memoratus

Joan-

Digitized by Google

Joannes Georgius Korb, ejusque hæredes, ubicúnque deprehenſos, ſivè propriâ authoritate, ſivè Magiſtratûs auxilio ſibi vendicare poterunt, defacto privandum ſed, & pœnâ inſuper quínque marcarum auri puri Fiſco Noſtro Cæſareo & fraudis Vindici ex æquo pendendâ, omni Spe veniæ ſublatâ, decernimus mulctandum, dummodò tamen prædictus liber bonis moribus, Sacrísq; Imperii Conſtitutionibus contrarii quidquam non contineat, ſed Univerſitatis cujusdam aut ſuperiorum ſuorum cenſuram, hujúsq; Cæſarei Noſtri Privilegii tenorem, pro publica notitia, in fronte expreſſum exhibeat, & ſæpedicti Diarii itineris in Moſcoviam ſolita quinq; Exemplaria ad Conſilium Noſtrum Imperiale Aulicum ſumptibus Impetrantis transmittantur. Mandamus proinde univerſis ac ſingulis Noſtris, & Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Provinciarum Noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cujuscúnq; Statûs, gradûs, Ordinis aut dignitatis exiſtentibus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio, vel ſuperiorum ſuorum nomine, & loco, juris & juſtitiæ adminiſtrationem exercent, nè quenquam Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum temerè & impunè transgredi, aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, ſi quos compererint, præſcriptâ pœnâ plecti, aliísque modis idoneis coërceri curent, quatenùs & ipſi eandem mulctam evitare voluerint. Harum teſtimonio Literarum manu Noſtrâ Subſcriptarum & Sigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum. Quæ dabantur in Civitate Noſtra Viennæ die octava Menſis Octobris, Anno milleſimo ſeptingenteſimo, Regnorum Noſtrorum Romani quadrageſimo tertio, Hungarici, quadrageſimo ſexto, Bohemici verò quadrageſimo quinto.

LEOPOLDUS.

(L.S.)

vid. D. A.C. à Kaunitz.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis
Proprium.

Franciſcus Wildericus à Menshengen.

Digitized by Google

A



MosCos petre DoCes, Data CresCere regna per arMa,
arCes beLLa DoMant, te MoDo faCta Czaro.

Digitized by Google

Franciſcus Wildericus à Menshengen.

Digitized by Google

POſtquam Auguſtiſſimo, Potentiſſimo & Invictiſſimo Principi, ac Domino Domino LEOPOLDO Electo Romanorum Imperatori, ſemper Auguſto, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regi, Archi-Duci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchioni Moraviæ, Duci Lucenburgiæ, ac Superioris & Inferioris Sileſiæ, Wittenbergæ, & Teckæ, Principi Sueviæ, Comiti Habspurgi, Tyrolis, Ferreti, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravio Alſatiæ, Marchioni Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Luſatiæ, Domino Marchæ Sclavonicæ, Portûs Naönis & Salinarum &c. &c.

Sereniſſimus & Potentiſſimus Dominus Dominus TZARUS, & Magnus Dux PETRUS ALEXIOVICIUS totius magnæ, parvæ, & Albæ Ruſſiæ, Autocrator Moſcoviæ, Kyoviæ, Volodomiriæ, Norogardiæ, Tzarus Caſani, Tzarus Aſtracani, Tzarus Sibiriæ, Dominus Pleskoviæ, Dominus & Magnus Dux Smolenſciæ, Tiveriæ, Jugoriæ, Permiæ, Veatkæ, Bolgariæ, aliorúmque Dominus, & Magnus Dux Novogardiæ, inferioris Terræ Tsernigoviæ, Reſaniæ, Roſtoviæ, Jaroslaviæ, Belooſiriæ, Udoriæ, Obdoriæ, Condiniæ, ac totius Septentrionalis Oræ Dominator, & Dominus Iveriæ, terræ Cartalinenſium, & Graſſenſium, Tzarus etiam Cabar-

Digitized by Google

dienſis terræ, Tſcercaſſienſium & Goriſſenſium Ducum, nec non aliorum multorum Orientalium, Occidentalium & Septentrionalium Dominiorum & Ditionum paternus, & avitus Hæres, Succeſſor Dominus, & Dominator pro ſuo in Orbem Chriſtianum ſtudio, fœdus offenſivum contra ſanctæ Crucis hoſtes propoſuerat, atque Sac. Cæſ. Majeſtas uti nunquam interruptam ſuæ Tzaræ Majeſtatis Amicitiam magni facit, & ſua etiam ex parte rei Chriſtianæ commoda in primis curis habet non modo ad iſtud ineundum promptiſſimam ſe declaraverat, ſed & deſuper cum ſuis adverſus eoſdem hoſtes fœderatis, Inclyto nimirum Polonorum Regno, & ſereniſſima Venetorum Republica communicaverat, jámque tam dictum Poloniæ Regnum ex pari in publicam rem Chriſtianam Zelo fœderi tam ſalutari aſſenſum ſuum ſcriptis præbuerat, quàm ſereniſſima Reſpublica Veneta ad id concludendum ſuum in Aula Cæſarea legatum plena poteſtate munierat, Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini Domini Sac. Cæſ. Majeſtatis Conſiliarij Intimi Dominus Franciſcus Udalricus Comes à Kinski Regni Bohemiæ Supremus Cancellarius, aurei velleris Eques, Dominus Erneſtus Rudigerus Comes à Starenberg Generalis Campi Mareſcallus & Conſilii Bellici Præſes, aurei velleris Eques. Dominus Wunibaldus Sebaſtianus Comes à Zeyhl Conſilii Imperialis Aulici vice Præſes, & vice Cancellariatûs Sacri Imperii pro tempore Adminiſtrator, utpote conſtituti ad id Plenipotentiarii, & modò dictus Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ ordinarius ad Aulam Cæſaream Orator Excellentiſſimus Dominus Carolus Ruzini Eques, cum ſuæ Tzaræ Majeſtatis apud Aulam Cæſaream exiſtente Ablegato, Generoſo & Magnifico Domino Coſma Nikitiz Nephimonoff productis prius facultatum Tabulis, traditíſque invicem authenticis earum exemplis ex mandato ſuorum Dominorum Principalium in ſequentes triennalis fœderis leges vigeſima nona Januarii Anni 1697. conſenſerunt. 1mò. Quilibet fœderatorum hoſtem communem Turcas, & Tartaros, terrâ, maríque viribus quantùm poteſt maximis, tenetur invadere, & debellare. 2dò. Suas belli gerendi intentiones ſibi invicem communicabunt, operámq; adhibebunt, ut ineundæ pacis tempore quisque competentem obtineat, ab hoſtibus ſatisfactionem. 3tiò. Durante fœdere nemo ſinè alterius fœderati præſcitu pacem cum hoſte

ſte concludet, conditiones honeſtæ, pacis verò audire poterit, modò de iiſdem reliquos ſinè mora edoceat, tractatu comprehendat, quæque agentur de tempore, ad tempus communicet. 4tò. Quem fœderatorum in Imperiis, Regnis, & Provinciis ſuis communis hoſtis vi præpotenti invaſerit, eum reliqui per diverſionis beneficium adjuvabunt. 5tò. Fœdus hoc durabit tres annos à die ſubſcriptionis computandos, quo durante liberum eſto de prolongatione tractare, eo expirante autem continuabit inter fœderatos veteris Amicitiæ, animorúmque conſenſio. 6tò. Hâc ultimâ colligatione nihil innovatum cenſeri debet in eo ſacro fœdere, quod jam ante Sacræ Cæſareæ Majeſtati cum Inclyto Poloniæ Regno, & Sereniſſima Republica Veneta interceſſit &c. 7mò. Pariter in priſtino ſuo vigore confirmatus permanebit Tzaræ Majeſtatis cum Sereniſſimo Rege, & Republica Poloniæ jam ante concluſus tractatus: Hanc triennalis fœderis conventionem Sacra Cæſarea Majeſtas tanquam præſcitu, & mandatô ſuô initam inſecutâ vigeſimâ quintâ Menſis Februarij ejuſdem anni non ratam modò, ac in omnibus & ſingulis ipſius contentis confirmatam voluit, verùm etiam ſperatum ex eo fructum tantò ſecuriùs captura novum conſilium ſuſcepit de mittendo ad Aulam Moſcuæ Legato, ex cujus diligenti & accuratâ relatione, quidquid ibi molirentur, tutò & tempeſtivè reſcire poſſet. Nulla ſiquidem publicorum negotiorum pars cautiùs exigenda eſt, quam delectus eorum, quibus ad exteros Reges, aut populos legatio concreditur; venarum enim inſtar ſunt, quæ pro ſuo habitu occultam ſalutis aut morbi vim ex diverſo tractu terrarum inſpirant in patriam. Sacra Cæſarea Majeſtas interea benigniſſimo innatæ clementiæ oculo vires, & merita eorum intuebatur, qui honori huic & oneri paratos ſuos humeros ſubjicere obtulerant. Fecit longa rerum experientia, animus negotiorum uſu exercitus, binæ Conſtantinopolitanæ profectionis pericula, amore patriæ exantlata; Officiorum memoria quæ durante obſidione Viennenſi communi universæ Chriſtianitatis emolumento fideliſſimo, & indefeſſo ſtudio præſtiterat, correſpondentiæ quotidianæ utilitas, quâ ex Mahometanis caſtris ſingulas Muſelmanorum molitiones ſolertiſſimâ juxta, ac periculoſiſſimâ inveſtigatione detectas cum momentaneo vitæ diſcrimine Auguſtiſſimorum Cæſarum Reſidentiæ aſſiduâ littera-

Digitized by Google

rum communicatione aperuerat. cogniti denique Moſcoviæ, quam jam ante cum legatione adiverat, illiúsque nationis mores & genius, ut Sacra Cæſarea Majeſtas huic muneri Clementiſſimâ ſuâ denominatione præficeret, Illuſtriſſimum Dominum Chriſtophorum Ignatium nobilem Dominum de Guarient & Rall S. R. I. & R. H. Equitem, nec non S. C. Majeſtatis Conſiliarium Aulico Bellicum actualem. &c.

Is poſt Clementiſſimam Cæſaris denominationem in favorem ſui factam, nihil eorum intermiſit, quæ profectionis hujus dignitas exigebat procurari. Sed aliunde obvenerunt obſtacula, quæ integrô fermè anni ſpatio neceſſarium ejusdem diſceſſum morabantur. Tandem Deo felicitante, & omnibus quæ obſtare poterant amotis, comitatu ſuo, & oneribus præmiſſis decimâ Januarii à tempore prandii longè meditati itineris felix Auſpicium ſumpſit. Octo omnino currus erant hominum commoditati, & oneribus ferendis deſtinati. Quinquaginta pariter in viam equos numeravimus. Ordo porrò totius comitatus, quò Viennâ diſceſſum eſt, hic erat. 1mò. Stabuli præfectum equo inſignem, duo famuli equeſtres inſequebantur, equos innata generoſitate feroces, & urſinis pellibus contectos, ad manum ducentes. 2dò. Trahebatur currus perſonæ Domini Ablegati vario panno contectus, ne in ejuſdem decorem aut pretium facile tempeſtas peccare poſſet, à ſex promotus equis generoſitate ſuâ & ſub nigro colore commendatis. 3tiò. Primus currus ſequebatur Officialium, quem tres Miſſionarii Cæſarei occupaverant, non impari arte ſpectabilis. 4to. Succeſſit currus ſecundus Officialium. 5tò. Alia rheda ad neceſſariam culinæ ſupellectilem accomodata. 6tò. Poſt hanc ducebatur currus onerarius, ingens machina, & maximum itineris impedimentum. 7mò. Curru itinerario ſub-officiales, & curſores vehebantur. 8vò. Hunc inſectabantur gemini vino, & aliis oneribus avectandis deſtinati, nec canes, quos rarâ magnitudine, & agilitate celebratos, Anglia miſerat, omittendi ſunt. Navi trajiciendus Danubius erat, præmaturus enim intepeſcentis cœli calor ſuam flumini libertatem ſolutâ glacie reddiderat, ad cujus ripam ſupervenit nuncius eques, hunc Excellentiſſimus Comes de Breuner (interea piè defunctus) tunc Cameræ Præſes cum expreſſo mandato ad navium magiſtrum ſub-

Digitized by Google



TABULA
Itineris
VIENNA IN MOSCAU
Facti A: 1698
MARE
BALTICUM
LIVO
CUR
NIA
LAN
DIA
MOS
CO
VIA
PRUSSIA REGALIS
PRUSSIA DUCALIS
POLONIA
LITHUANIA
BÖEMIA
SILESIA
MORAVIA
AUSTRIA
DANTZIG
Königsberg
Braunsberg
Frauenberg
Elbing
Graudentz
Culm
Thoren
Conitz
Inouladisla
Komin
Kalisch
Breslau
Neiß
Jegemdorf
Neüstat
Olmütz
Znaim
Nikolspurg
VIENNA
Kauna
Vilna
Osmiana
Minsk
Borissow
Odrussc
Sklow
Mohilow
Orsa
Smolensko
Dragabus
Wiasma
Mosaisko
MOSCUA
Vilna Fl.
Vistula Fl.
Danubius Fl.
Boristenes Fl.
Odera


ſubmiſerat, ut ante omnia alia res ad D. Ablegatum pertinentes ſecurè transportaret. Nam quia violentia, quâ glacies diſrupta eſt, pontem quoque ſecum abſtulerat, ultro citroque commeantes tardiùs tranſvehebantur, ut ingenti ſæpè multitudini diurna nautarum officia non ſufficerent. Fluminis certè latitudo & trajiciendi difficultas per fluitantia glaciei fragmina tranſitum noſtrum in ſerum uſque veſperum pertraxerat. Hinc Stamersdorfium nos ad captandam noctis inſtantis quietem excepit, vix autem neceſſaria ex curribus in conclave comportata erant, cum duo à Domino Ablegato ſubmiſſi adſunt, unus ſtabuli Præfectum neſcio, quibus litigiis adhuc implicitum ſecum Viennam reducturus, alter, ut abſentis vices adimplens ſtabuli curam interea gereret.

11. Manè facto commiſſione uterque ſuâ defunctus eſt, alter enim ſtabuli præfectum ſecum retroduxit, alter iter noſtrum comitatus eſt. Clara affulſit dies cum per Eigensbrunnam Wolckdorfium prandii tempore attigimus, Gaunersdorfium verò ſub veſperum tenuimus. (3) Ubi conſueta apud Catholicos diei ſabathini devotio, nos debiti in Deiparam cultûs admonuit. Prælegente itaque Miſſionariorum uno (tres enim itineris noſtri in Moſcoviam Comites habuimus) Lytanias Lauretanas decantavimus, quam devotionis ſolennitatem, deinde ſemper ſanctâ obſervantiâ retinuimus.

12. Iterum ortâ luce poſt ſacroſancta Miſſæ Sacrificia (Dominicus enim dies erat) quibus omnes mutatis vicibus ſuccedentes intererant, iter noſtrum denuo inchoavimus, primâ pomeridianâ relictô pagô Schrick, Wulfersdorffium pervenimus. Principem Liechtenſteinium agnoſcit Dominum, cujus palatium ibidem celebris fama decantat, ad viæ regiæ ſiniſtram adjacet collis, in quo incolarum pietas Crucifixi Redemptoris noſtri memoriam erexit, ubi præter alias Dominicæ paſſionis Imagines, hortus Oliveti, & Chriſti Sepulchrum colebatur, atque ſuum etiam Diva Roſalia in eo habuit monumentum. Ex quo loco avulſi crepuſculi tempore Kefelsdorfii divertimus. (3)

13. Poſt neceſſaria ſomni tempora ſol illuxit, ſed denſis crebrîſque involutus nubibus, & ventorum vehementiâ inamœnus. Iter quod Dreſſenhovium aggreſſi ſumus, pinguedo terræ, & collium adjacentium fertilitas commendat.

Digitized by Google


TABULA
Itineris
VIENNA IN MOSCAU
Facti A°. 1698
MARE BALTICUM
CURLANDIA
LIVONIA
MOSCOVIA
MOSCUA
PRUSSIA REGALIS
PRUSSIA DUCALIS
POLONIA
LITHUANIA
BÖEMIA
SILESIA
MORAVIA
AUSTRIA
VIENNA
DANTZIG
Königsberg
Braunsberg
Frauenberg
Elbing
Graudentz
Culm
Conitz
Thoren
Inouladisla
Komin
Kalisch
Breslau
Neiss
Iegemdorf
Neüstat
Olmütz
Znaim
Kolspurg
Kauna
Vilna
Vilna fl.
Osmiana
Minsk
Borissow
Odrusco
Orsa
Sklow
Mohilow
Smolensko
Dragabus
Wiasma
Mosaisko
Vistula fl.
Danubius fl.
Borysthenes fl.
38
43
48
53
58
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
63
65

ſubmiſerat, ut ante omnia alia res ad D. Ablegatum pertinentes ſecurè transportaret. Nam quia violentia, quâ glacies diſrupta eſt, pontem quoque ſecum abſtulerat, ultro citroque commeantes tardiùs tranſvehebantur, ut ingenti ſæpè multitudini diurna nautarum officia non ſufficerent. Fluminis certè latitudo & trajiciendi difficultas per fluitantia glaciei fragmina tranſitum noſtrum in ſerum uſque veſperum pertraxerat. Hinc Stamersdorfium nos ad captandam noctis inſtantis quietem excepit, vix autem neceſſaria ex curribus in conclave comportata erant, cum duo à Domino Ablegato ſubmiſſi adſunt, unus ſtabuli Præfectum neſcio, quibus litigiis adhuc implicitum ſecum Viennam reducturus, alter, ut abſentis vices adimplens ſtabuli curam interea gereret.

11. Manè facto commiſſione uterque ſuâ defunctus eſt, alter enim ſtabuli præfectum ſecum retroduxit, alter iter noſtrum comitatus eſt. Clara affulſit dies cum per Eigensbrunnam Wolckdorfium prandii tempore attigimus, Gaunersdorfium verò ſub veſperum tenuimus. (3) Ubi conſueta apud Catholicos diei ſabathini devotio, nos debiti in Deiparam cultûs admonuit. Prælegente itaque Miſſionariorum uno (tres enim itineris noſtri in Moſcoviam Comites habuimus) Lytanias Lauretanas decantavimus, quam devotionis ſolennitatem, deinde ſemper ſanctâ obſervantiâ retinuimus.

12. Iterum ortâ luce poſt ſacroſancta Miſſæ Sacrificia (Dominicus enim dies erat) quibus omnes mutatis vicibus ſuccedentes intererant, iter noſtrum denuo inchoavimus, primâ pomeridianâ relictô pagô Schrick, Wulfersdorffium pervenimus. Principem Liechtenſteinium agnoſcit Dominum, cujus palatium ibidem celebris fama decantat, ad viæ regiæ ſiniſtram adjacet collis, in quo incolarum pietas Crucifixi Redemptoris noſtri memoriam erexit, ubi præter alias Dominicæ paſſionis Imagines, hortus Oliveti, & Chriſti Sepulchrum colebatur, atque ſuum etiam Diva Roſalia in eo habuit monumentum. Ex quo loco avulſi crepuſculi tempore Kefelsdorfii divertimus. (3)

13. Poſt neceſſaria ſomni tempora ſol illuxit, ſed denſis crebríſque involutus nubibus, & ventorum vehementiâ inamœnus. Iter quod Dreſſenhovium aggreſſi ſumus, pinguedo terræ, & collium adjacentium fertilitas commendat.

Digitized by Google

Arx Falckenſteinia jam nemini habitata quadrantis horæ ſpatio indè diſtat. Aliud quoque Caſtellum non procul abeſt, quod nomen ſuum aut Dreſſenhovio communicat, aut ab illo trahit, prope iſtud ſurgit templum S. Vito ſacrum. Hic Auſtriæ, & Moraviæ, conſtituti dicuntur limites, Nicolsburgum ſub meridiem tranſivimus. Ea ſubdita eſt Principi de Dietrichſtein. In inferiori Wiſtriz autem nocturnum diverſorium quæſivimus (3) continuus, & terribilis venti turbo ad acuratiorem diligentiam nos adegit, & ne ignis vento adjutus nocere poſſet ſedulò curavimus; alterna certè noctis pervigilia neceſſaria videbantur. Plurimi deinde conſultiùs arbitrabantur ſequenti die ibidem quieſcere: equis enim fatigatis neceſſaria quies erat, ne in progreſſu deficerent.

14. Reparatum igitur eo die, quid quid attritum, & alio modo corruptum fuerat. Sacro ibidem muſico celebratus dies.

15. Omnibus bene compoſitis, & nova exoriente luce recentibus viribus iter aggreſſi ſumus; qui autem ſtabuli curam ad interim in ſe ſuſceperat, eundem, ut prædicabat, domeſtica negotia Viennam revocârunt. Communis deinceps omnium humeris ea ſollicitudo incubuit. Aſperrima via nos cogebat ſuperato pago Nimſchiz in Delniz ea nocte morari (2 $\frac{1}{2}$) ſed non ſine periculo abiit hic dies. Equi etenim, qui currum culinarem trahebant. Aurigæ aliàs ſoliti obſequi, mox impatientes per devia, & avia libertatem quærebant, in verſo curru ipſorum quoque ferocia ſe ſtitit, è duobus coquis, qui inerant, alter læſus quidem, ſed modico dolore, ac vulnere, longioris curæ auxilio non indigebat. Idem equi alterâ viâ tentabant, at nihil efficiebant ob ſubrhedarii in regendo ſolertiam modico ſolùm à vero tramite deflexu iter anticipabant.

16. Inſecutô die via aliquantum facilior nobis obtigerat, per Bausniz (is pagus ad Excellentiſſimum Comitem de Kauniz pertinet) ad civitatem, quam Wiſchau vocant) ante ſolis occaſum appulimus (3) Paliſadis foſſa, locus muris firmatus eſt, extra civitatem PP. Capucini monaſterium incolunt. Inter cætera autem non contemnendæ fabricæ ædificia Arx, & cum ſuo ſacello Parochialis Eccleſia merentur aſpectum. Epiſcopatûs Olomucenſis Jurisdictioni Eccleſiaſticæ, & territoriali ſubjecta eſt.

17. E-

17. Exacta nocte, adhuc tenebris non plenè cedentibus currus maximè onerati præmiſſi ſunt. Non dum medium curſum ſol perfecerat, & itineris noſtri media parte confecta, relicto Pregliz in Craliz ſubſtitimus. Dein per Schnablin circa tertiam veſpertinam Olomucium attigimus (4) per principalem iſtam Epiſcopi Olomucenſis reſidentiam in ejusdem ſuburbium pulchro noſtrorum omnium ordine conceſſimus, & in hoſpitio (quod equum aureum vocant) divertimus, nullum enim diverſorium in Civitate tot curruum, & equorum capax ſtatim reperiri poterat. In alterum jam diem is adventum noſtrum ibidem expectaverat, quem Dominus Ablegatus in amoti locum ſtabulo præfecerat. Is eo adhuc veſpere, ſecundùm mandatum, quod ſecum attulerat, omnibus decenter fuit præpoſitus.

18. Quieſcendum in Civitate hac erat uno die; procurandis equis antejugalibus. Cæſareus enim paſſus idem inſinuabat, pro tolerabili utpote mercede. Dominus Generalis vigiliarum Præfectus de Haſslingen eo tempore Commendans Olomucenſis in multis amicam propenſionem ſuam conteſtatus eſt.

19. Antequam dicti equi ante Jugales (Vorſpann) ſinguli ad deſtinata onera cogerentur, decima diei hora aderat, difficilis nimirum via per Thalein & Giba viſa eſt. Sed aſperior longè uſque Petersdorffium ſuperanda erat. Ad ingentem nives altitudinem excreverant, in quas currus onere ſuo graves adeò profundè dilabebantur, ut ſinè admolitione aurigarum equi longo labore fruſtra defatigati eluctari non poſſent. Ad ipſum pagum Petersdorffium periculoſa fovea nivibus, & nocturnis tenebris tecta (octava enim noctis jam ſonuerat) neceſſario lapſu currus ad ſe traxit hæſuros ibibi, niſi loci judex conſiderata precum noſtrarum æquitate colonos ſuos omnes jam multo ſomno ſepultos è nidis ſuis ad ſubſidium noſtrum evocâſſet. Herculè ad auroram uſq; ibidem hæſiſſemus. Poſt media enim noctis tempora Bernam primò tenuimus, (3) foraminum namque frequentia, interjacentium collium declivitas, & denſitas conglomeratarum nivium adhuc iter aſperabat.

20. Neque hic dies faciliorem viam aperuit, per Rinckersdorff, Hofium, Weibald, & Heidenpiltſch (ultimus pagus à fructu Heidenkorn, quo abundat, ſic dictus) in Schwachendorff eâ nocte permanſimus. (3)

21.

Digitized by Google

21. Nullam iſto die notabilem itineris difficultatem perſenſimus per Pintſch ad Liechten ventum eſt. Pagus hic diverſis villis, & domibus propemodum ad milliare extenditur; ibidem acidulas invenimus à calentibus profectione corporibus libenter hauſtas, & facilè approbatas, circa quartam veſpertinam civitatem Jägerndorffium intravimus,(3) ea foſſa, vallo & muro firma, Principis Liechtenſtein jurisdictioni ſubeſt. Ubi apud PP. Minoritas ante diſceſſum noſtrum miſſæ Sacrificio interfuimus.

22. Multi vici prætereundi erant, Derniz, Pratſch, Mogen, Dobersdorff, & Maydelberg, ad cujus dexteram in edito colle caſtellum ſitum ad Comites de Colobrath pertinet, alternus deſcenſus, aſcenſúsque collium non procul inter ſe diſſitorum, nòn niſi ſextâ veſpertinâ Neoſtadium civitatem nobis dedit. (3)

23. Cœlum ſerenum erat, & via ſat facilis apparebat; itaque Polckersdorffio maturè retro nos relicto Niſſam ante veſperum ſubivimus.(3) Civitatem hanc Niſſa fluvius alluit, & oppidò nomen ſuum concedit, firmat eandem vallum, & cum muro foſſa, & ad Epiſcopi Uratislavienſis ditionem pertinet. Soc. Jesu Collegium, & Eccleſia Parochialis non minima urbis ornamenta dici poſſunt, ex Cæſareis Miſſionariis unus cum poſta diſceſſit ad pagum Leibs negotiorum ſuorum neceſſitate ita exigente; Uratislaviæ autem ſe nos denuò opperiturum promiſit, litteras quoque à Domino Ablegato ſcriptas indepti ſumus, earundem tenor, quosdam ex comitatu, maximè verò concernebat Præfectum.

24. Noctis quiete hic occupata, & reddito per ſolem die iter facile, & jucundiſſimam cœli temperiem nacti, circa quartam veſpertinam cum omnibus oneribus ad Grotkau pervenimus, ibidem pernoctaturi. (3)

25. Rurſus autem orta luce denuo longiùs progredi cœptum Lettenberg, Zinta, & Roſſow tranſeuntes Ollaviam maturè ingreſſi ſumus. (4) Ibidem equorum ante jugalium mutandorum neceſſitas nos detinuit, de præter fluente fluvio Ollavia oppidum nomen ſuum traxit. Portam illius ſubeuntibus Auguſtanæ Confeſſionis prædicans occurrit cum funere trahæ impoſito. Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſunt cives, Arcem autem ſatis magnificam inhabitabat tunc Princeps Jacobus, Joannis nuper defuncti Poloniarum Regis, primogeni-

tus

tus cum Sereniſſima conjuge Neoburgica Ducisſa. In ſumitate tecti aulæ ſenatoriæ gallus ex cupro figuratus toties arte circumagente vertitur, quoties campana horam(13.)ſonat. Iſto adhuc veſpere ſtabuli præfectus poſtâ anteceſſit Uratislaviam, ut diverſorium perſonis, & animalibus commodum interea diſpiceret.

26. In Arcis antedictæ templo Catholico, manè ſubſecuto, miſſæ Sacrificio interfuimus, deinde iter noſtrum Uratislaviam ante plenam meridiem ob viam facillimam celeriter confecimus,(4)in ſuburbio autem tam diu hærendum nobis erat, donec ad ſtabuli præfectum adventûs noſtri notitia data, equi, & currus in ordinem regeſti, ipſéque adeſſet, qui totum comitatum in ſedem iſtam Epiſcopalem cum decore introduceret.

27. Quies hìc erat utilis, & neceſſaria; aurigæ enim ad ulteriùs avehenda onera noſtra noviter conducendi erant. Sileſienſis Cameræ vice Præſidentem Dominum Baronem de Neydhart Dominus Ablegatus litteris requiſiverat, ut officialibus ſuis, quos ea cura tangebat, non gravaretur aſſiſtere.

28. Alter quoque dies hìc conſumptus, utì priorum evacuatio, & noviter conſtitutorum curruum oneratio expoſcebant, omnia tamen ita parabantur, ut nihil remaneret, quod craſtina luce longiori impedimento nos detineret.

29. Quamprimùm itaque nova lux oriebatur, quivis ad iter ſe accingebat. Sub ipſum portæ urbanæ limen, qui nuper negotiorum prætextu à nobis diſceſſerat, ſe nobis denuo aggregavit Miſſionarius Cæſareus, eo autem die ſuperatis, quos tranſivimus pagis, Weiden, Hingen, & Holau in vico Klacha noctem tranſacturi ſubſtitimus. (3)

30. Aurora autem referente ſolem iterum profecti Tornaſt cum Scheuren liquimus, & in pago, cui Teutſchammer nomen eſt, ſaxis & montibus viam aſperam emenſi, prandium ſumpſimus. Cupri fabricam ibidem inſpeximus. Malleum præterfluens rivulus rotâ urget. Continuatam porro trium milliarium ſylvam pervadentes in loco (Miltſch dicto) nocturnam ſtationem poſuimus. (5)

31. Poloniæ confinia, & primum ejuſdem locum Sdonam medio jam die attigimus, Polonæ militiæ Generalis Letschinski illius eſt Dominus. Portorii præfectus licèt germanus eſſet, attamen oſtenſis liberi commeatûs litteris acquieſ-

Digitized by Google

cere non voluit, prætendens tanta, quæ nobiſcum ducebamus onera immunia eſſe non poſſe, antequam auriga juramentô confirmâſſet, præter res Legati privilegiatas nihil ſe vehere, cujus futilis prætenſio juſto riſu fuit exploſa. (3) Ad civitatem Groteſchinium eâ veſperâ adhuc properatum eſt. In abſentia Supremi Præfecti Domini Galezki ejusdem Staroſta Dobrowolski non contemnendæ humanitatis officia nobis exhibuit, etſi non ignoraret ſolum Domini Ablegati comitatum adeſſe; nobis tamen cereviſiam, crematum, & panem, pro equis avenam cum fœno in maxima Poloniæ inopia chariſſima dona ſubmiſit. Præfati Domini Galezki uxor præſens aderat. Hæc piſces liberaliter ſubminiſtrabat, ut quivis hoſpitum benevolentiam hactenus inexpertam pro viribus exaggeraret.

FEBRUARII.

1. Maximè cùm inſecuto manè ipſe loci Staroſta nos inviſeret, & felicem itineris noſtri proſecutionem non verbis tantùm comibus aggratularetur, ſed quemvis inſuper ad novi, & nobilioris cremati hauſtum civiliſſimè ſollicitaret, nec antea diſcederet, quàm nobis in aperto campo conſtitutis ſufficientem inſtructionem dediſſet, quænam loca adeunda, aut declinanda forent, Polonia enim tunc temporis in partes ſciſſa nihil tutum & ſecurum iterfacientibus relinquebat. Intenſiſſimum diei hujus frigus multis largiorem vini aduſti potum indulgere videbatur, credebant ſe media hyeme invito etiam ſole, virtute cremati immodicè ſumpti æſtatem accendere poſſe. Sed temulentos & crematum, & frigus immodicè adurebat. Hos ſemiſopitos in terram prolapſos deſtituebant equi eo caſu libertatis admoniti, illi curribus relictis cum nivibus luctabantur. Jucundum ſpectaculum iis, quibus moderatus potionis uſus mentem aufferre non poterat; prandii tempore ad animalia reſtauranda Kosminij paulisper conquievimus, multorum hìc murmuratio, dolor, & querela exaudiebatur. Quia verò nullum periculoſioris læſionis indicium erat, horum lamenta, aliorum jocis, & riſui inſerviebant. Ulteriùs denuo iter exorſos Jaratſchinium ante noctem ſuſcepit. (4)

Magnam furum frequentiam in Polonia ubique graſſari, qui non credit, aut negat, dignus eſt malo omine, experiri.

Nos

Nos optimum rati intactam cauſam ſervare, & graſſatorum perfidiam utilibus remediis prævenire; vigiliarum ſtationes diſtribuimus, omnes unus alteri ſuccedentes, vices noſtras ſubivimus, nemine excuſato, ne plures anſam arriperent ſe eximendi ab onere. Præſertim cum ſollicitudinem noſtram magis anxiam hoſpes redderet, referendo diſtrictum hunc Contianæ factionis eſſe, & paucis ab hinc diebus quendā deſultorium Saxoniæ equitem à Polonorum frameis, ſinè ullius datæ offensæ culpa miſerè dilaceratum, eorúmque in Regem Neo-Electum odio immolatum eſſe.

2. Poſt primam noctem alterno pervigilio transactam ſuaſit ejuſdem commendata utilitas, ut illud deinceps continuandum omnes vellent. Interea pagis Scharſchlohe, & Pograſeliz poſt nos relictis, in parvo quodam loco (auriga viarum peritus Blindenfidler nominavit) nocte hac commorati ſumus. (5)

3. Acutiſſimum iterum frigus omnia conſtringebat, cum nos in pago Skaplii calore ad fornacem quæſito, pauliſper alacriores per Boviz eo veſpere ad Orchof pervenimus. (4)

4. Cœlo aliquantùm mitiore per Lowiz & Marckwiz cum occaſu ſolis Uratislaviam minorem attigimus, (4) in cujus ſuburbio hoſpitatos varii Poloni inviſerunt Magnifico ſermone fidem ſuam extollentes, qua Regi ſuo neo Electo ſemet addictos velint. Geſtuum expreſſivorum ſuperbia omnibus anſam dedit gentis jactabundæ oſtentationem tacitè deridendi.

5. Multùm de rigore ſuo frigus remiſerat, facili via itaque ſole adhuc pleno Turonium venimus. (5) Pruſſiæ Regalis civitas certis immunitatibus gaudet in modum earum, quas in Imperio Romano Germanico liberas vocamus. Germanicum Idioma maximè in uſu eſt, promiſcuum tamen cum Polonico. Incolæ, ut plurimùm Auguſtanæ confeſſionis ſunt. Catholicæ nihilominus religionis exercitium palàm viget. Propè templum Parochiale Catholicum in civitatis foro ſpecioſi operis ſtructura porta triumphalis erecta ſtabat, ad Neo Electum Poloniarum Regem, cujus adventum expectabant, condigna veneratione excipiendum.

6. Hìc altero poſt adventum noſtrum die quievimus, ne animalia continuo itinere laſſata, viribus ſuis deſtituerentur.

Digitized by Google

tur, Turonenſes Domini Ablegati abſentiâ compertâ ejusdem adventum expectare ſe cauſabantur, cui deinde poſtâ tranſeunti per delegatos itineris cœpti feliciſſimum exitum civili, & germanica oratione apprecari, atque intimari fecerunt, ſe debiti erga Cæſareã Majeſtatem reſpectûs, & humillimæ devotionis ſemper tenaciſſimos, nec minùs anxiè ſuam in Neo Electum Poloniarum Regem fidem, & obedientiam ſemper intemeratam cuſtodituros.

7. Omnia ad viam comparata erant, cùm auriga indicat ſibi pontis uſum per viſtulam eſſe prohibitum, antequam pro equis ſuis propriis ad abducenda onera noſtra conductis conſuetum vectigal (Das Brucken-Geld vocant) ſolviſſet, ſed remonſtratione facta, conductos equos cum propriis eadem jura oneribus ſolvere, & immunes eſſe velle, exactor aquievit, poſt itinere per Lyſominice Oſtaſcivũ, & Giziwam promoto civitatem Epiſcopalem Colmensẽ attigimus. (3) Non alia Urbis hujus eſt facies, quàm vaſtati expilatíque vici, omnibus inimicis furiis ſuis quaſi è ſedibus erutis; duobus milliaribus diſtat à Culm, unde Epiſc. Culmenſis nomen traxit. Magnifica ampláq; Eccleſia Canonicorum eſt, memoria punitæ injuriæ dictis Canonicis in Proceſſione Turonium inſtituta, ab acatholicis Turonii incolis illatæ. Pœnæ enim & ſatisfactionis locò ad templum hoc ſuis ſumptibus extruendum adigebantur.

Interea Dominus Ablegatus Clementiſſimam facultatem obtinuerat Auguſtiſſimi Imperatoris, & Sereniſſimi Romanorum Regis ſacratiſſimas dexteras debito humillimóque cũ reſpectu exoſculandi. Jámq; non tantùm ſolito juramento apud Excellentiſſimum Dominum Campi Mareſchallum, & Judicii aulico Bellici Præſidentem Dominum Comitem de Starenberg decenter præſtito ad conſiliariorum aulico Bellicorum album relatus fuerat, ſed apud præcipuos etiam S. C. Majeſtatis Miniſtros obſequentiſſima ſui commendatione valedictionis obſequia plenè abſolverat, cum ſuſcepta prius Omnipotentis Dei Benedictione, quam Eminentiſſima ſua Celſitudo Dominus Cardinalis de Kollonitſch ex congenita totíque univerſo nota clementia eidem in diſceſſuri habitatione benigniſſimè dignabatur impertiri, iter poſtâ aggreſſus eſt, & ad Danubium, quem glacies denuo conſtrinxerat, ſuaviſſimæ Dominæ Uxori, pluribus aliis amicis, & propinquis eò uſque comitantibus multis teneræ charitatis indiciis amœniſſima viciſſitudine reciprocàtis valedixit. 8.

Digitized by Google

8. Ulterius progredientes per Schottenbruck in Kraudenz ſubſtitimus. (5)

9. Virginum de Sancta Clara ibidem monaſterium eſt, in quo ſecuta luce miſſæ interfuimus. Denuóque iter adorſi viarum difficultatibus multùm impediebamur. Obſtabat collium interjacentium multitudo, & quibuſdam in locis nivium coagulatarum profunditas graviter oneratis curribus difficillima via. (4) Medio die oppidum Neoſtadium, Pesko autem inclinante ſole attigimus. (4)

10. Reliqueramus jam Rindeslohe, & uno tantùm lapide à diverſorio nocturno Straſſenbar aberamus (6) cùm incuriâ aurigæ unus ex oneratis curribus in acclivem viam delabitur, cui extrahendo, & ſublevando labor omnium duabus in noctem horis continuatus ægrè ſuffecit. Stabuli præfectus nos Gedanum præceſſerat, ut hoſpitium tot hominum animaliúmque capax ante adventum noſtrum inveſtigaret.

11. Eundem ſummo manè inſecuti per Longenau, & Schevering circa diei medium Gedanenſe ſuburbium tenuimus, ex quo ipſa urbis mœnia decenti ordine ſubintravimus. Pratum viride, diverſorium vocant, in quo permanſimus. (3)

12. Comorandum nobis hic erat, donec adventus vel litterarum, vel ipſiusmet Domini Ablegati aliud juberet. Abſoluto prandio arcui triumphali à Magiſtratu Gedanenſi ad Neo Electum Polonorum Regem dignâ Magnificentiâ excipiendum erecto inſpectando vacavimus. Sumptibus certè nobilis, ſplendore inſignis, amplitudine conſpicuus, & ſymbolorum acuminibus ſubtilis & varius omnibus viſus eſt.

13. Summum Templum Auguſtanæ Confeſſionis eſt, & multis Ortodoxæ religionis Catholicæ veſtigiis, celeberrimum, fons Baptismalis raræ magnitudinis, & artis eximiæ ex aurichalco fuſus ad ſe contemplandum primò oculos averterat. Imago autem aſpectu longè dignior viſa, quæ extremi Judicii multiplices affectiones vivis coloribus adumbraverat. Quadraginta annorum labor eſt, tantum ſpatium uni picturæ datum, Jacobus Heick Amſtelodamienſis ejusdem Author eſt. Sancti Petri Baſilicæ eandem conſecraverat, navis autem pretioſiſſimum hoc depoſitum Romam vectura tempeſtati naufraga ſuccubuit, ipſum mare anxium crederes, ne tanta ars commendatione ſua careat. Hanc enim imagi-

 nem

Digitized by Google

nem perditis tot navis mercibus ſolam exceptam, ſecundo vado ad oram Gedanenſem propulit, inq; ejusdem littore tuto expoſuit, in dicto templo inter præſtantiſſima cuſtoditur. Gaudentium, dolentiúmque diverſiſſimas vices divinus ſanè expreſſit penicillus, minima corpora aptiſſimis lineamentis deſcripta ſunt., affectus & paſſiones animarum verè viventium apparent. Author imaginis artis opticæ bene peritus fuerit, neceſſe eſt, in eadem enim imagine ter tota imago mirificè repræſentatur. Summum dicti templi altare geminatum eſt ex aurichalco fuſo, anterior pars omnes Angelorum choros exhibet, hac autem remotâ coronationem B. V. M. videmus. Alia Deiparæ imago cuſtoditur incluſa ex lapide artificioſè fabricata, alteram manum à furore inſanientis vulgi decuſſam volunt. His omnibus inſpectis in Capella Regia non procul ſita miſſæ Sacrificio interfuimus. Reſtabat fortalitium (Mündam dicunt) ſecuritati portûs poſitum, hoc intrare nulli conceditur, niſi à Magiſtratu ſpeciali dato paſſu fuerit permiſſum. Præſidens tunc Gedani erat D. Schmid; vir comis & gravis, petitis noſtris quamprimùm annuit, & ſcriptum datæ licentiæ teſtimonium nobis exhibuit. Ad viſtulam ergo adhuc frigore conſtrictum concedentes, trahas ibidem, quàm plurimas inventas modico pretio conduximus, earúmque uſu celeriter ad Mündam perventum eſt, quæ viſtulæ pars munimenti exteriora latera allambit, & firmat, pertinaciam glaciei violento ligonis auxilio amiſerat, navicula ad trajectum commoda in fortalitii ripa cuſtodiebatur à milite: negat ille nos ante admitti poſſe, quàm commendans viſâ litterâ ejus facultatem annuendo feciſſet. Cui ergo, ut paſſum oſtenderet, tradidimus, & brevi poſt intervallo admotam à milite Scapham conſcendentes caſtri primam portam ſubintravimus. Longus in armis ſtabat ordo excubias agentium & Locumtenens (cui mandatum id erat) nos perhumaniter ſuſceptos per ſingula exteriora munimina ducit, monſtrátque quidquid viſu vel commendatione dignum erat, interiora, & nova munimina tenentes relinquimur à Locumtenente militaris obſequii jura ſtrictè obſervante; excipimur autem à nova militum cuſtodia, expectabátque officialis alius, ut caſtro exactè monſtrato ſua vice defungeretur. Tormentorum multitudo, mœnium, & muniminum accurata defenſio, adultimum jucundiſſimus ubique ordo omnibus commendabilis

viſus

Digitized by Google

viſus eſt. Eodē modo reductos litterarum liberi repaſsûs noſtri & oſtendere & tradere oportuit. Placuit traharum commoditas, & conſenſus omnium voluit ad maris oſtium pergere, ſed glacies eò uſque non pertingens propoſitum impedivit. Hollandicam tamen glaciei affixam triremem conſcendimus, omnia in eadem perſcrutati.

14. Turbidum erat cœlum, & prominens imber lucem ſubduxerat, remiſſiórque hyemis rigor verno tempore miteſcere credebatur. Multùm itaque in civitatem excurrere non ſinebat platearum lubricus, & difficilis meatus. PP. Carmelitarum nihilominus monaſterium miſſæ audiendæ gratiâ adivimus.

15. Litteras à Domino Ablegato poſta attulit, in itinere conſtitutum breviſque ad nos venturum nunciabant. Poſt meridiem Patriciorum palatium videre omnium animis ſederat, in eo diebus Mercurii, & Sabbathi potiſſimùm cum mercatoribus Patricii conveniunt pomeridiano etiam tempore. Mercatoris enim cujusdam teſtamento conſtitutum, ut dictis diebus, & tempore Muſici Urbis pro certa mercede præſentium aures, & animos eleganti ſymphonia ſtudeant divertere. Picturarum arte & pretio aula ſuperba eſt, & memorabilia volunt eſſe, quod vulgaris ille jocator (Eulenspiegel appellavêre) magnæ fornaci affixus, ſe quærentibus diverſas facies, partémque corporis poſticam objicit ridendos relinquens, qui ridiculum quærere cogitaverint. Lumen etiam aliquod in ſummitate Aulæ ita artificioſè depictum eſt, ut naturam victam jurares, omnium enim oculis lux verè ardens videtur. Civitatis Gedanenſis inſigne cervus eſt, igitur iſtius in omnibus Hiſtoriis, & fabulis in eadem aula adumbratis invenitur alluſio. Hìc in ſylvis Orpheus ad Cytharæ ſonum feras movet, ibi Actæon propriis à canibus miſerè dilaceratur, alibi alias venationes oculis leges.

16. Hic dies divino cultui ex integro fuit conſecratus, apud PP. Dominicanos Concioni, Sacrificio, atque aliis devotionis actibus interfuimus.

17. Iterum obſcurum crebrâ pluviâ cœlum nos domi detinuit, præter eos, quibus mercatorum tabernas, & mercium vendibilium pretium acuratiùs inveſtigare placuit.

18. Sudum cœlum, & lucis ſerenitas extra urbem nos pellicere videbatur. Ordinis Ciſtercienſis Monaſterium non

procul

Digitized by Google

procul abeſt, ad quod jucundiſſima via deducit, horti, ædificatæ ad voluptatem ædes, pulcherrimæ villæ, amœniſſima dumeta, diſtinctique colles divites aquarum ſcaturigines emittentes in ſubjectos hortos, oculos undique gratiſſima varietate ſatiant. Præfatum Monaſterium (Oliva dictum) ad pedem montis ſitum jacet, ſuo territorio omnia comprehendit, quæ horæ quadrante remotiùs ab urbe ſita ſunt. Versùs mare, & viſtulam autem fortalitium Münda limitem ponit. Fundator Subislaus Dux Pomeraniæ à Culmbacenſi Abbate ad fidem Catholicam converſus, hoc gratitudinis monumentum Deo poſuit. Néve erga converſorem ſuum minùs gratus videretur, ex ejuſdem Ordine, & Monaſterio Ordinis Ciſtercienſis Patres evocavit, iisque monaſterium incolendum tradidit. Templum habet magnificum, plura ibidem inventa Epitaphia; ſubjicere placuit, quod magìs ad rem viſum eſt.

Hoc ſibi ſub ſaxo requiem quæſivit Oliva.
Cui lux, vita, quies firma ſit ipse Deus.

Fundatio dives eſt. Typographiam & Apothecam habet propriam, toti Europæ innotuit, ex quo Gallicum Principem de Condi candidatum Coronæ Poloniæ hoſpitem habuit.

19. Quatuor Saxonicorum equitum Centuriæ Regis venturi præſidio intrârunt urbem.

20. Duæ Centuriæ cuſtodum corporis Regis Poloniarum advenerunt, uni ſuburbium (Stolzenberg) alteri ſuburbium (Scotiæ dictum) hoſpitia ſuppeditabant. Hos pars noſtrûm, ut videret, exivit urbe; altera civitatis Turrim conſcendit, horologium artificioſiſſimum, & campanarum ludentium concentu celebre contemplatura.

21. Apud Brigitinos Miſſa à Miſſionariorum aliquo dicta eſt. Monaſterii Fundator 24. Monachos, & 60. Moniales eſſe voluit; pro totidem ſufficienti proviſione adjecta; ſed acatholicis aliter viſum eſt. Octo tantùm Monachos, & Moniales triginta tolerant. Reditus ad expunctorum ſuſtentationem requiſitos ærario publico inſerunt. Circa tertiam veſpertinam Dominus Ablegatus cum duobus curribus per poſtam advenit, & cubicula pulcherrima in Senatoris cujusdam domo à Magiſtratu Gedanenſi habitationi ſuæ deſignata, quamprimùm occupavit.

22. Ad

Digitized by Google

22. Ad quem altero adventûs ſui die duo delegati Senatores, nomine totius Senatûs humaniſſima Germani idiomatis oratione gratulationem peregerunt, addita ſinceriſſima conteſtatione devotiſſimi ſui reſpectûs, quo Sacram Cæſaream ſuam Majeſtatem ſemper veneraturi ſint. Quibus Dominus Ablegatus reciproca officioſa civilitate reſpondit, Dominóſque deputatos ſecuros voluit, ſe exhibitas à Magiſtratu honorum teſtificationes, & ſinceriſſimas conteſtationes humillimæ ſuæ erga S. C. Majeſtatem devotionis in proxima ſubmiſiſſima relatione condignè exaggeraturum. Regalia, quibus Dominum Ablegatum honorabant, conſiſtebant in raræ magnitudinis piſce, & duodecim cantharis vini Rhenani, & Hiſpanici.

23. Expediti duo equites Nuncii publici, qui ſervos ad reducendum canem vigeſimâ denuo emiſſos revocarent. Tempus amœni veſperi obeundo civitatem, Viſtulámq; cum fluvio Moidlow glacie conſtrictum tranſeundo, conſumptum eſt.

24. Longæ quietis tempora tandem finita. Domini Ablegati eo tempore expectati præſentia omnia promotioni itineris utilia procurari denuo fecit. Secundâ Pomeridianâ diſceſſum ex urbe Gedanenſi auſpicati, præcipiti quodam monte feliciter ſuperato, fortuna non minori Viſtulam adhuc glacie conſtrictum cum curribus graviter oneratis tranſivimus. Octava noctis oppidum Schônberg ſomno capiendo dedit. (3)

25. Orta luce progredientibus iterum congelatus Viſtula non ſinè periculo tranſeundus fuit. Violentiùs enim pomeridiani ſolis æſtus glaciem jam multùm attenuaverat. Nihilominus alius adhuc fluvius (Nagat vocant) eodem cum diſcrimine trajiciendus erat; antequam in pago Ropach prandium ſumere liceret. (4) Elbingam autem Pruſſiæ Regalis civitatem (2) ante noctem ſubintravimus. Urbs hæc præ cæteris munita eſt, Nagat fluvius eandem alluit, & volentibus incolis circumfluit non contemnendum contra hoſtes præſidium. Navibus ferendis, indéque commerciorum uſui flumen ſervit, ſub Regis Poloniæ territoriali quieſcit poteſtate in modum liberarum civitatum Imperialium inſignibus privilegiis donata. Supremus Magiſtratus in duos diviſus eſt; Burgravium & Præſidentem; illum creat Rex, hunc eligit Senatus. Publica, & militaria ille, hic civica obſervat.

Digitized by Google

Adventûs noſtri tempore in efformando arcu triumphali collaborarunt, ad Neo Electum Regem, cui venturo ſe Homagii Sacramento devincturi erant, condignâ magnificentiâ, & decore excipiendum. Omnibus patet Electorem Brandenburgicum Urbem hanc jure hypothecæ vigore tractatûs Bydgoſtienſis in eadem ſibi conſtitutæ armis ſuis occupatam diu poſſediſſe, cum inſtituta amica compoſitio ſperatum eventum quamprimùm ſortiri nequiverit: quam tamen Polonis denuo evacuandam audivimus, coronâ ditiſſimâ in ſecuritatem prætenſionis 400000. florenorum oppignoratâ.

26. Rurſus iter facientes, antequam locum Catholicum (Nova Eccleſia dicitur) (3) prandii tempore attingeremus; ſuperandum flumen erat, quod Pregel indicant, dein per civitatem Frauenbergam, Braunsbergam (2) tenentes ibidem nocte illa permanſimus. Ante locum ultimò poſitum limites Regalis, & Ducalis Pruſſiæ conſtituti ſunt. Patres Soc Jesu ibidem collegium poſſident.

27. In illo poſtero die miſsâ auditâ poſt devotionem iter reaſſumpſimus per oppidum Heiligenbeil; in pago Federau pranſi ſumus; (2) antequam autem illud pararetur, cœli ſerenitas, & loci amœniſſima vicinia in proximos colles, & dumeta quosdam evocavit; lepores autem aliáque ferini generis fercula trajecturos varius caſus afflixit. Ignobilis collem allambit rivus, glacies multâ nive tecta videbatur par oneri; ſed mox rupta fixum veſtigium deſtituit tranſire conantis, & ſuas in aquas præcipitem traxit, quoniam verò aqua nec profunda nec rapida fluebat, adſtantibus alieno periculo cautis ludibrio erat, cùm modicâ luctâ ex undis emergeret; aſt ſtabuli præfectum avem bombardâ petentem majus diſcrimen circumvenit; in multa enim fruſta, cùm explodebatur, bombarda diſſiliît: tenentis brachium parvæ particulæ alliſu læſum eſt; ni Superi prohibuiſſent, triſtem exitum ſortiri res poterat: prope feneſtram enim illius cubiculi jactum parabat, ubi Dominus Ablegatus cum multis ex comitatu liberè ſinè cura tanti periculi morabatur. Incuſſit autem hic caſus magnam animo ſollicitudinem ex eóq; momento mandatum dedit omnes oneratas bombardas evacuandi, quæ imperitè oneratæ reperirentur, denuo à rerum gnaris onerandas. Veſpere Brandenburgum tenuimus.

28. In-

Digitized by Google

28. Inſecuta die, undecimâ Regiomontium ſubivimus. (2) Antequam prandium inſtructum eſſet, ad templum Parochiale Catholicorum nos contulimus; Ubi Miſſionariorum aliquis Deo litavit. Clericus ibi Decanus eſt, cui Salarium ex pacto Elector Brandenburgicus dare tenetur, mille ſcilicet florenos annuos. Tres Miſſionarii Jeſuitæ apud ipſum, ſed eleemoſynâ emendicandâ vivunt: qui de neceſſariorum penuria pluribus conqueſti ſunt. Urbs hæc Ducalis Pruſſiæ Metropolis eſt, Electoris Brandenburgici ſupremo Dominio ſubjecta. Vice Dominus, & Adminiſtrator jurium dicti Electoris, quidam ex Holſatiæ Ducibus ibidem ſupremo Magiſtratu fungitur. Is habitâ adventûs noſtri notitiâ quamprimùm aliquem ex Officialibus ſuis ad Dominum Ablegatum abmiſit, qui ei de felici adventu gratularetur, eundémq; ad ſe in Arcem ad craſtini diei prandium invitaret: pari officiorum civilitate Dominus Ablegatus per officiales ſuos defunctus eſt, ipſum tamen congreſſum ſubterfugit, procul dubio motus rationibus politicis, quas longa ſimilium functionum experientia ſuggeſſit; non intermiſit tamen vice Dominus tam corporis, quàm rerum noſtrarum milites cuſtodes ſubmittere. Miſſi inſuper ad Domini Ablegati habitationem Electorales Muſici Tubicines, & Tympaniſtæ ſuâ ſymphoniâ eundem honoraturi.

MARTII.

1. Intenderat Dominus Ablegatus eo adhuc die Regiomontio diſcedere, ſed aurigarum malitia impedimento fuit; conducendi enim Vilnam usq; pro ſingulis equis decem imperiales exigebant; dum noſtri minus pretium mercantur, illi mercedem augent, & locò decem duodecim imperiales expoſcunt, cúmque conſentientes nos adverterent; non currentes, ſed ſolidos in ſpecie duodecim imperiales efflagitaverunt; credebant enim impii homines, neceſſitatem itineris injuſtiſſimam mercedis exactionem juſtificare. Conſul tunc Lubeck, & Vogtius Sander vocabatur, hi aſſiſtentiam ſuam, ſed nullo effectu promiſerant. Coactus igitur Dominus Ablegatus equos (Muſchinlos vocant) parato ære comparavit.

2. Quoniam verò illi ex venditoris bonis modò adducendi erant, altero etiam die eodem in loco hærendum fuit. Eo veſpere adhuc per Secretarium Duci Holſatiæ gratiæ actæ

ſunt,

ſunt, pro ſubmiſſis excubiis. Cujus reſponſum civiliſſimæ humanitatis fuit, excuſando ſe, quod necdum licuiſſet Domino Ablegato colloqui.

3. Proviſis, quæ tempus, & itineris faciendi longinquitas monebat, rurſus viæ nos commiſimus. In loco Hœnrath. (1 $\frac{1}{2}$) prandium ſumptum eſt. Dapiaw (1 $\frac{1}{2}$) verò maturo adhuc die tenentes, tamen ultra non proceſſimus; quia nullum in propinquo diverſorium. Duos canes, quales Anglia mittit, nobiscum duximus venandi ſagacitate commendatos; emptus ergo porcus illorúmque victoriæ relictus recreationi inſerviit.

4. Oppidum Pregel ejuſdem nominis fluvius alluit, hoc cum Urbe relicto, medio diei ſpatio in loco Piotten (3) nos cibis refecimus. Civitatem Iſterburgum autem veſpere attigimus. (4) In ſuburbio comitatus cum animalibus, in civitate cum aliquot Officialibus Dominus Ablegatus noctem tranſegit. Suburbium ab ipſo Oppido ſeparatur fluvio interſecante Pregel, ligneo ponte ſuper exſtructo. Suburbium Magiſtratui civico non ſubjacet; sed certis privilegiis exemptum à Regimine Brandenburgico im̄ediatè dependet. Quidam ex comitatu, dum in dictæ civitatis foro, petulans anjactabundus, ſclopetum ſuum minus exonerare ſuſtinet, illo, utpote in multas partes vi pulveris diſrupto, damno ſuo privatur. In oppido illo caſtrum eſt ElectoriBrandenburgico ſubditum; id Vogtius Electoralis incolit Magiſtratûs dicta, factáve accuratè obſervans.

5. Viarum monſtratore nobiſcum ſumpto Kalapinam prandii tempore tenuimus. (3) Poſt ordinaria corporis miniſteria ulteriùs procedentes impedivit aliquantùm currus temone ſuo rupto, quo demum reparato, Stalabinam uſq; pervenimus. (4) Hactenus in Pruſſia nulli Judæi viſi, ſed major econtra numerus illorum eſt in Polonia, maximè autem in Lithuania.

6. Currus graviùs onerati, uno milliari à nobis remotiores pernoctabant; nonâ matutinâ diei inſequentis illos expectando opperiebamur. In Wurwal nobilis Polonus ſe nobis jactanter aggregaverat, multa percontatus de Poloniæ ſtatu, parum reſponſi, quale ſibi imaginabatur, domum retulit. Caſtellani Durozki centuria ibidem hybernabat, nobis præſentibus pagum cum vexillo intrabant; exiverant enim

paucis

paucis antè diebus ad intercipiendum hoſtem; quòd autem 15. milliaria progreſſi, nulla hoſtis veſtigia reperiſſent, ſinè victoria, victores tamen (ut gentis vaniſſimæ eſt genius) revertebantur. Hoſtes autem alii non erant, quàm cives diverſo partium ſtudio ſibimet invicem infenſi. Partium capita Sapieha, & Oginski erant. Hic Sapiehana, ille Oginskiana bona depopulabatur, mutuis vulneribus ſemet confecturi. Veſperi deinde Dieſiskingen pagum attigimus; (4) ubi Judæi Cauponariam exercere incipiunt.

7. Novem milliarium ſylvam ingreſſi ſumus, (deſertum vocant,) via difficilis in ipſius medio nos ſiſtere coegit. Una, alteráve domus eſt, (4) ſed ubi nihil ad potum, victúmque hominibus, neq; animalibus ad pabulũ aderat, non fœnum non avena, nec panis, nec cereviſia. Kaoviam itaq; miſimus, ut aliquid in victum apportarent; ſed circa medium noctis primò redierunt: vix ullibi majorem rerum omnium penuriam, & calamitatem invenimus aut paſſi ſumus. Non procul indè fornax erat, ubi pix coquebatur, quo nos videndi pertraxit curioſitas. Nox ea in ſylva ob nocturnas furum graſſationes periculoſior viſa; hinc ad excitatum prope currus ignem per vices excubiæ actæ ſunt.

8. Reddito tandem die reliquam ſylvæ partem emenſi; circa ſecundam pomeridianam Kaoviam Urbem ſubivimus, (5) curribus oneratis non niſi ſeptimâ veſpertinâ ad nos conſecutis. Domino Ablegato adventum PP. Societatis JESU gratulati ſunt.

9. Apud quos altera die ſacris peractis, poſt debitæ devotionis exercitia ad eorundem refectorium deductus eſt Dominus Ablegatus in Officialium ſuorum cómitatu; cui ibidem juventus ſcholaſtica ſolutæ, ligatæve orationis exercitiis, applauſit. Decem Collegium illud Jeſuitæ incolunt, inferiora docent, & tunc novum ſibi templum moliebantur; dependent autem à Collegio Vilnenſi, nulla fundatione Kaoviæ firmati. Eadem in civitate Moniales S. Claræ Monaſterium obtinent; illuc cum comitatu ſuo à prandio Dominus Ablegatus conceſſit, Monialium Confeſſarius ex Ord. S. Franciſci præſens annuit, ut intra Monaſterium, & Refectorium omnes admitterentur, atque in Virginum Choro Lytaniæ Lauretanæ à Monialibus noſtrísque Muſicis ſimul decantarentur. Notabiliorem S. Crucis Salvatoris noſtri particulam oſten-

oſtendebant, quam ſuſtinente Confeſſario ad unum omnes oſculati, & venerati ſumus. Poſt Moniales divite eleemoſyna donatas cum Confeſſario ad Monaſterium Franciſcanorum, quod è regione conſpiciebatur diſceſſum: templi veſtibulum ſubeuntibus Religioſi ſub pulſatarum campanarum ſono Te Deum: intonabant. Templum pulchrum eſt pro eorum locorum conditione, quibus eleemoſynam pariter impertiti domum nos convertimus. Nobilis quidam Polonus, ſe Generalis Oginski vexilliferum jactans, colloquium Domini Ablegati petiit, ſed viatici emendicandi cauſâ.

10. Inſecuto manè ſupra dictæ Moniales Domino Ablegato apud easdem miſſam audienti devotionem ſuam demonſtraturæ, medonem ſeu mulſum, vinum aduſtum, aliquas phyalas confectorũ pro tenuitatis ſuæ viribus præſentârunt, quam Monialium humanitatem non benevolò ſolùm animo ſuſcepit, ſed conſuetâ inſuper ſuâ in Religioſos, & pauperes liberalitate remuneratus eſt. Jentaculo ſumpto nos viæ iterum dedimus, ſed ex nivium altitudine difficili, currus (onerarius dictus) & unà culinaris, altera vice vix non ſepultus nivibus magno ſanè omnium labore ægrè extrahi potuit. Formoſiſſimum Monaſterium PP. Ordinis S. Benedicti prætervecti (1) & locum Rumzitzki (2) tenentes diurnum iter concluſimus.

11. Zizmari (2) Pagum circa meridiem, diverſorium autem Alembock (3) cum nocte ſubivimus.

12. Prandium in Deviaw ſumptum, cœna verò in Twacka. (5)

13. Horâ undecimâ Vilnam attigimus, (3) adierunt Dominum Ablegatum Patres Soc. Jesu de felici adventu congratulaturi. Princeps Sapieha Campi Dux Lithuaniæ intellecto noſtro acceſſu ex officialibus ad novam aurigarum, traharúmque commoditatem interea conſtituendam præmiſſis, de itineris celeritate certiora in dies exegit, obtendens ſe habere magni momenti aliquid cum Domino Ablegato conferendum. Sed impeditâ per varias difficultates profectione noſtra Princeps adventum noſtrum nimis retardatum expectare non potuit; venit enim dies, qui eundem ad Lithuanæ Nobilitatis comitia Grodnæ celebranda neceſſariò evocavit.

14. Vilnenſis Academia cum ſtudioſa juventute ad Domini Ablegati habitationem ſe contulit, & tam recitatione

Pa-

Digitized by Google

panegyrica, quàm gratulabundis carminibus vota, & affectus ſuos expreſſit. Apud Patres Soc. Jesu miſſa audita; quibus, devotione peracta, invitantibus eorundem Collegium ſubivimus. Bibliotheca, & Apotheca magna illius ornamenta ſunt. Utì conſuetum Polonis eſt crematum bibere, & multus aquæ medicatæ uſus apud eos invaluit, ſic variæ aquarum crematiſque ſpecies guſtui acceptiſſimæ oblatæ ſunt ab eo, ad quem Apothecæ cura pertinuit. Is quidem ex Societate fuit, amanuenſes autem,& quorum operâ potiſſimùm utebatur, omnes ſæculares erant. Summum Vilnæ templum autem, ſummi Altaris pretium, & ars maximè commendatur; in illo Sacellum S. Caſimiri Regis Poloniarum ex marmore, cujus altare ex argento inaurato, loci ſanctitatem pretioso fulgore auget. Corpus verò dicti Sancti argenteo pariter Sarcophago incluſum ſupra altare ex ejusdem metalli ligaminibus pendulo cuſtoditur; caput Florentia ſervat, quæ ſcilicet in S. Caſimiri honorem ordine equeſtri inſtituto, idem pignus ſibi vendicavit. E regione templi turris ſurgit, ad arcem pertinens, quam Caſimirum incoluiſſe volunt. Calce,& lapidibus ea templi porta obſtructa eſt, qua S. Caſimirus ingredi ſolebat. Cujus cauſam memorabilem adſtruunt; peccatis gravioribus obnoxios, ſæpius occulta vi ante eandem detentos ultra progredi non potuiſſe. Dominicani, Franciſcani,Fratres Miſericordiæ, & Baſiliani in hac Lithuaniæ Metropoli diſtincta Monaſteria numerant.

15. Vice Palatinus Vilnenſis Dominus Szumsky cum Judice Caſtrenſi Szwghowsky,atque Notario Caſtrenſi Wolsky ad Dominum Ablegatum acceſsêre, ac humaniſſimæ exceptionis, ac gratulationis ſolennia nomine Campi Ducis Sapiehæ peregêre, addita conteſtatione, optaviſſe Domini Ablegati frui alloquio, & non mediocriter dolere, quod urgentia negotia id, cùm maximè cuperet, non paterentur. Datum deſuper Domini Ablegati reſponſum eâ ſolertiâ erat compoſitum, ut præter ſummæ humanitatis ſpeciem nihil præſeferret, quod dubiis rebus non conveniret. Omnibus denuo proſequendo itineri conſtitutis quâtuor milliaribus confectis in pago Miedneck nocte conquievimus. (4) Dicto in loco Patres Ord. S. Auguſtini Monaſterium habent, in quo Divina peregimus.

16. In-

16. Incredibilis nivium condenſatarum profunditas maximum cogitatæ velocioris profectionis fuit impedimentum. Rupta traha currûs culinaris, inverſus currus, quo Dominus Ablegatus utebatur, animalia, hominéſque multùm hoc die fatigati. In Oppido itaque Sapiehano (Oſmiana dicto) (3) laboribus finem fecimus, meliorem cum die ſequenti itineris commoditatem expectaturi. Non procul à diverſorio noſtro Monaſterium Dominicanorum erat; circa quartam veſpertinam ex eorundem Eccleſia ducta eſt proceſſio diſciplinantium; Quadrageſimale enim tempus erat; hanc in Eccleſiam ſecuti; Salve Regina, cum aliis decantavimus. Idiomatis Polonici ſecuta concio, iſtam cantus de Paſſione Domini, his omnibus abſolutis, & ſigno cymbalis dato, diſciplina rurſus repetebatur.

17. Circa duodecimam diei iſtius Buronium tenuimus. (3) Baſiliani uniti ibidem cœnobium incolunt. Thaumaturgâ Deiparæ Imagine in locis etiam longè diſſitis maximè celebre. Poloni, Lithuani, & Græci uniti ad cultum ejusdem numeroſiſſimè confluunt. Ut noſtram quoque devotionem ibidem perageremus, à Miſſionariis dictæ miſſæ, & à muſicis noſtris Lytaniæ Lauretanæ decantatæ ſunt. Novum tunc templum moliebantur Baſiliani, hinc Dominus Ablegatus liberalitate conſueta in ſumptuum ſubſidium venit. Ulteriùs deinde progredientes, veſperi Fabriz tenuimus. (4)

18. Cum nivibus tota die luctantes, nihil juvit traharum auxilium, quibus Vilnæ currus omnes impoſuimus; immenſitas ſylvarũ, callium invia, & ramis arboribúsq; impendentibus impeditæ viæ, anguſtias fruſtra perrumpere conantes ſæpe repulerunt, avellendi rami, exſcindendæ annosæ arbores, ut viam inveniremus. Tartarus quidam Riswan nomine, multos ſub ſe Tartaros alios habebat, horum omnium opera Vilnæ conducta erat ad onera noſtra parvis trahis ſuis avehenda. Auxilium juſſi, rogatíque ferre cogebantur currui onerario aliiſque ita profundè in nives delapſis, ut extrahere illos incredibilis fuerit labor. Unus illorum incautiùs circa equos de viribus ſuis jam pene deſperantes hærens ab equo recalcitrante in pede læditur, chirurgi noſtri diligentiâ ſanandus. Multa jam nocte ad pagum Dovi pervenimus. (3) Dominus Ablegatus cum Miſſionariis, & primi gradus Officialibus in quodam prædio Caſtellani Vilnenſis Sluska dicti,

Digitized by Google

dicti, divertit, reliquis apud Judæum cauponarium pernoctantibus.

19. Sancti Joſephi Redemptoris noſtri Nutritii feſtum in diem hunc incidit, feſtivæ ejusdem celebrationi obſtare videbatur, quòd præter Rhutenicum, nullum eo in loco templum eſſet, ſed Miſſionariis Capella ruralis ſerviit, & tres miſſæ ſucceſſivè dictæ ſunt. Jam prope diei decimam erat; cùm denuo profecti, totum iter ſylveſtre uſque Racoviam confecimus: (3) ſed non ſinè omni faſtidio dies hic abiit. Inverſus cedentibus ex una parte nivibus currus ille, quem ſuæ commoditati comparatum Dominus Ablegatus tenuit, alii currus temonibus ſuis deſtituti. Commodum tamen, & hactenus habitis hoſpitiis honeſtius diverſorium oblivionem diei antecedentis, tantorúmque ejusdem tædiorum induxit. Duo hìc invenimus Monaſteria, unum Dominicanorum, Baſilianorum alterum.

20. Per continuas ſylvas profundis nivibus obſitas tempore prandii ad pagum Staraves venimus; (3) loci Staroſta in ſingularis humanitatis teſtimonium Domino Ablegato piſces dono miſit, deinde circa quartam veſpertinam civitatem Minsko ſubivimus. (2)

21. Hic dies quieti datus, apud Jeſuitas Sacrificio Miſſæ audito, inopis fundationis ſatìs humile Collegium eſſe audivimus; duodecim tantùm alit Soc. JESU Patres; Baſilianos, Bernardinos, & Diſcalceatos eadem affligit penuria. Solis Dominicanis pinguior ſupellex eſt. Exortum triennio ante adventum noſtrum incendium, civitatem aliàs magnæ opulentiæ, & nominis in tam deplorandam redegit miſeriam, ut, quod antea multùm florebat, nunc penitus extinctum jaceat commercium. Ex numeroſis antea mercatoribus duo reliqui ſunt, vix tamen tantùm lucrantur, quo ſe, & vitam ægrè ſuſtentent. In Franciſcanorum choro duo omnino auditi ſunt, ex quo eorum paupertas, & paucitas metienda eſt. Capucinus quidam cum duobus Diſcalceatis redux ex Perſia infirmatus, in Societatis Collegio decubuit, hunc Dominus Ablegatus cum Domino Miſſionario Joanne Berula, & Apothecario, uno tantùm ſervo ſtipatus inviſit, & cognito morbi ſtatu mandatum dedit, quædam medicamina ad reparandam ſanitatem conducentia ex ſua propria Apotheca transmittendi.

 22. Cur-

Digitized by Google

22. Currus graviores (onerarius, & culinarius) maxima hactenus viæ impedimenta, ne denuo profectionem noſtram moleſtè morarentur, in Societatis Collegium ducti ſunt, ut à Patribus ad reditum uſque noſtrum ex Moſcovia, aut aliam Domini Ablegati diſpoſitionem cuſtodirentur. Onera parvis deinde trahis impoſita: apud PP. Dominicanos miſsâ auditâ circa horam diei undecimam cum 28. trahis minoribus, & quatuor rhedis iter denuo feliciter auſpicati, ſeptimâ veſpertinâ poſt ſuperata ſeptem milliaria Schlozminium devenimus. (7)

23. Rem cauponariam exercebat Judæus, apud quem celebrare indecens viſum, in loco prandii, oppido, quòd aliqui Sodin, alii Boguslau appellârunt (3 $\frac{1}{2}$) diem hunc Dominicum ſanctificare conſtitueramus; ſed diverſorium noſtrum iterum Hebræus incoluit, hinc Sacrificium omiſſum. Diverſoria ſua Lithuani Krug appellant. Boriſſowium civitatem veſperì attigimus. (3 $\frac{1}{2}$) Magna tum temporis calamitas incolas preſſerat; Sapiehanæ enim, & Oginskianæ partes in miſeros crudeliſſimè deſævierunt, Horribiles pecuniarum extorſiones eò intolerabiliores, quòd à patriotis fiebant, pecuniam dare nolentes, aut non valentes, aliqui occiſi, plurimi linguis ad parietes affixi.

24. Prandium in pago Letschnizl (3) ſumpſimus, in Kruppke autem nox tranſacta eſt. (5)

25. Matutinum iter ad meridiem uſque ad pagum Slovine magni progreſsûs fuit. (5) Pertinet pagus iſte ad Dominum Slovinski; prandio autem refectis, & ultrà tendentibus immenſa & pene incredibilis nivium profunditas obſtitit. Proximus enim pago huic ſurgebat collis, qui breviſſima latitudine acclivis in vallem, & ſpatioſam planitiem deſinebat. Crederes hìc omnem vicinæ Regionis nivem comportatam ex compoſito; tam profundè enim rhedæ inanes, nullo onere graves in nivem demersæ ceciderunt, ut iisdem extrahendis non equi ſufficerent, non hominum vires. Toto illo medio die uno in angulo hæſimus, de labore ejusdémque fructu omnino deſperantes; non procul indè prædium habuit Dominus Slovinski; in illo pernoctabamus, ($\frac{1}{2}$) Kadzenick illi nomen eſt ($\frac{1}{2}$) neq; D. Slovinski tunc præſens erat. Tota nocte in illa nivium colluvie currus cum cuſtodibus relicti ſunt.

26. Ne-

Digitized by Google

26. Neceſſitas quietem imperavit; unicum enim viginti circiter paſſuum ſpatium equos noſtros ita defatigaverat, ut exhauſtas vires ſola quies & pabulum reparare poſſe viderentur. Accedebat tempeſtas diei continua, quaſi cœlũ omnes nives ultimo impetu in terras præcipitare deſtinâſſet. Facilitate deinde majori per reſtantes nives commeandi proſpectum eſt novis trahis, & animalibus conductis, quæ rotas, rhedarúmque onera, & alia cogitabilia impedimenta aveherent.

27. Progredientibus ſtatim ex diverſorio altiſſima nix denuo objecta; hæc interſecanda magìs, quàm tranſeunda fuit. In civitate Odrúſco ($2\frac{1}{2}$) nocturnam commorationem ſumpſimus. In priori Sæculo ſeptem milliaria ambitu ſuo complexa dicitur, & ducentis famoſis templis celeberrima; ſed bello Moſcowitico contra Polonos acerrimè geſto in tantam vaſtitatem redacta eſt, ut eidem accommodare liceat, quod in Trojæ ruinis vates deplorat: ubi ſteterunt Pergama, nunc fluctuant ariſtæ.

28. Per Straſiele ad Dopse (3) tempore prandii ventum eſt; ad Dominum Oginski locus hic pertinet. Scloviam abſoluto itinere pomeridiano attigimus; (3) finitimum iſtud Lithuaniæ fortalitium Domino Genaſski ſubeſt, cujus Pater dexteram Polonorum alam commendabat, cùm à Turcarum obſidione Vienna liberaretur. Parochiale templum præter Monaſterium; quod ibidem habent, Dominicani adminiſtrabant. Dies Veneris Sanctus celebrabatur, ideo proceſſio circa crepuſculum inſtituta erat, Paſſionem Chriſti figuris repræſentans.

29. Apud Dominicanos conſuetæ Sacro hoc tempore devotioni vacavimus. Viſitatio ad Sepulchrum Chriſti veſperì, & præparatio ad Confeſſionem Paſchalem ab omnibus peracta.

30. Quâ poſtero Reſurrectionis Chriſti feſto ſolenni cum pietate peractâ, totóque pene comitatu ſacra Synaxi refecto, poſt Miſſam tubarum, tympanorum, omnísque Domini Ablegati Muſicæ concentu celebratam, apud fortalitii hujus Gubernatorem Joannem Modlok origine Gedanenſem, religione verò Lutheranum, prandium ſumpſimus; magnæ enim gravitatis ſimul & humanitatis vir erat. Ejusdem beneficio, & mandato reſeratæ ſunt ædes commorationi noſtræ congruæ, quas Judæi ea in urbe potiſſimi juxta ac potentiſſi-

Digitized by Google

mi omnes clauſerant. Altero adventûs noſtri die, qui in ſerum veſperum inciderat, Dominum Ablegatum inviſebat, nil omittens, quod à civiliſſimo expectares; quamprimùm intellexerat nos Sacramentali Confeſſione ibidem apud PP. Dominicanos feſtum Paſchatis celebraturos, rogare antè non deſinebat, quàm Dominus Ablegatus promiſiſſet, dicto die feſto ad ejusdem prandium venire. Tractandi ratio etſi more Polonico inſtructa, ſatìs tamen honorifica fuit. Fœnum & avenam pro noſtris equis ſubmittebat. Quem ſingularem exhibitorum beneficiorum affectum Dominus Ablegatus argenteo vaſe uxori ejus per ſtabuli Præfectum transmiſſo redemit.

31. Alluit urbem hanc Boriſthenes, quem poſt auditam apud Dominicanos miſſam, circa meridiem magno cum vitæ, rerúmque diſcrimine tandem feliciter & ſalvis omnibus tranſivimus. Sole enim jam vehementi momentis quaſi ſingulis rumpenda glacies videbatur, & adhuc in eadem hærebat Dominus Ablegatus, cùm non procul ab ipſo ruſticorum quidam, glacie onus non ampliùs ſuſtinente, in flumen delapſus, & commodo tunc ad inſpiciendas res noſtras incolarum plurimorum concurſu, à multis in auxilium venientibus difficulter extractus fuit. Ad Haradiſcam (3) eo die pervenimus, & omnem commoditatem Sclovîæ Gubernatore ſubminiſtrante in Arce commorati ſumus. (3)

APRILIS.

1. Nix, & creber nivibus immixtus imber ſolem obſcuravit, ut heſterna viarum difficultate laſſatis equis quieſcere cogeremur. Hoc ergo die ibidem ſubſiſtentes meliorem cœli tempeſtatem præſtolabamur; jam ſæpe memoratus Gubernator Sclovîæ, ad quem hujus etiam Arcis tutela pertinebat, in eadem immenſæ magnitudinis urſum cuſtodiebat, quem majori cum admiratione ſæpius contemplati ſumus.

2. Nobis denuo viam proſequentibus tractus principalis equorum pauliſper præmiſſus fuit. Ubi Subrhedarius magno infortunio proximus ab equis innata generoſitate ferociſſimis jam tractus & raptatus per aliquod ſpatium ad ultimum diſcrimen deductus fuiſſet, niſi ab alio maturè ſubveniente equi ab ulteriori curſu prohibiti fuiſſent. Circa ſecundam pomeridianam civitatem longiſſimam & Hebræis refertiſſi-

Digitized by Google

tiſſimam Hortki dictam, (4) ibidem acquieturi eo die, ſubivimus. Apud Judæos pernoctandum erat; apparebat quidem aliqua in conclavibus munditics, ſed in ſtramine dormientibus ſordes repertæ maximam nauſeam procreârunt; buffones erant, qui eo in angulo deprehenſi ſunt, in quo ſtabuli Præfectus caput dormiendi causâ reclinaverat.

3. Cum duobus famulis equeſtribus Smolenſcium Secretario præmiſſo, ut Cæſareæ Ablegationis Prodromus commorantem ibidem Waywodam de adventu certiorem redderet; in civitate Polona finitima Radzin dicta (5) Dominus Ablegatus cum toto comitatu noctem tranſegit; Secretarius autem in loco contermino Moſcowitico Tosuhoff dicto nocturnam quietem cœpit; Radzinio proximus currit rivus, qui Moſcoviam à Lithuania diſcriminat. Ante quindecim circiter annos, cùm ibidem loci inter potentiſſimos iſtos vicinos pax tractaretur, locus conventionis Plenipotentiariorum ſuper eundem rivum ita extructus erat, ut quævis pars proprio in territorio conſideret.

4. Exorta luce Secretarius ſecuturo Domino Ablegato habitationem commodam ſelecturus, loci Staroſtam ad ſe accivit, qui autem eam ob cauſam jam heſterno veſpere ad eundem miſſus erat, negligens commiſſi negotii executor videbatur. Cùm Staroſta negare perſeveraret, ſe herì à quopiam interpellatum fuiſſe; unus ex Secretarii ſervis, qui Ruthenam callebat, verbis, & verberibus animadvertit in hoſpitem Secretario inſcio, & invito. Cum Staroſta deinde variis ædibus luſtratis, ut apta deligeretur, quæ Dominum Ablegatum pro dignitate exciperet; dum civis, aut incolæ cujusdam domum dicta de ratione ſubimus, ædium herus, cum multis, quos ſibi aggregaverat Moſcowitis nos tardo pede inſequitur, útque conſpexit conclave anguſtum quidem, mundum tamen à Secretario inſcriptione deſignari habitationi venturi Domini Ablegati hoſpitis, truncum arboris qui commodè ibi ad manum erat, quam primùm furioſus arripuit, & aliquot vicibus horrenda cum vociferatione multis ictibus in Staroſtam detonuit. Secretarius idiomatis ignarus, quid ageretur, aut in quem hæ furiæ decretæ eſſent, dubius; tandem ex ſervo expreſſit poſt longam inquiſitionem, Staroſtam ideo percuſſum, quòd iſtius hominis ædes cujuscunque peregrè venientis comoditati ſoleat aſſignare. Comminа-

minatione ergo in ruſticum facta, ſe rem Smolenſcii propoſiturum, & dignas pœnas exacturum minitatus, iter ſuum promovit Secretarius, & eo veſpere Smolenſcium attigit. Ubi tametſi famulus ille Moſcici idiomatis beneperitus tribuno vigilum Secretarii conditionem, & juſſa ſatìs explicaret, integrâ nihilominus horâ expectandum fuit, donec interpres latinus ad luculentiorem rei cognitionem adveniret. Cujus prima cura de litteris ad Waywodam ferendis interrogandi, quas ut ex Secretarii reſponſo adeſſe cognovit, ante ipſam urbis portam facultatem petiit, easdem inſpiciendi. Cui brevibus regeſſit Secretarius: optare ſe quidem petitioni illius poſſe ſatisfacere, ſed locum, & accùratam litterarum incluſarum cuſtodiam id non permittere, duceret modò ad commodam quandam habitationem, ubi ſe ſuáque meliùs curare poſſet, præſertim, cùm non expediret equos longo, & continuo itinere defatigatos diutius frigori expoſitos relinquere. His acquievit interpres, & Secretarium per urbis portam intromiſſum ad Ædes ejusdem nocturnæ commorationi deſignatas, ipſemet deduxit. Inſpectis litteris Secretarium relinquit interpres, & ad Waywodam digreditur, ad quem brevi poſt intervallo, & Secretarius accerſitur. Cui cubiculi limen ingreſſo in ornatiſſima Nobilium, ac Officialium bellicorum corona medius ipſe Waywoda obviàm proceſſit. Explicato, quod ſibi commiſſum erat negotio, litteras debita cum reverentia exhibet, quæ non imparis humanitatis receptorem invenerunt, propinato (ad gentis morem) in ſanitatem Domini Ablegati ſpiritu quodam vini, & dein vino, ſe omnia decenti ſtudio curaturum Waywoda reſpondit, de condigna exceptione in finibus, & dandis ſufficientibus Potwodis res agebatur. Hoc autem eodem die Toſuhoffium uſque (4) Dominus Ablegatus cum toto comitatu ſuo venit, rediturum Secretarium cum Commiſſario Moſcico ibidem opperiturus.

5. Altero ſtatim die heſterna ſua poſtulata apud Waywodam urget Secretarius, ſed percipit dimiſſos jam ad condignam in finibus exceptionem cum Priſtavo aut Commiſſario eſſe milites; Potwodas autem non antè concedi ſolere, quàm Smolenſcii. Peregrina erat ultima reſponſi pars; præcipuè, quòd ſciret Secretarius, Dominum Ablegatum dandorum in finibus Potwodarum ſecurum, aurigas ſuos omnes ulterioribus officiis fore exſoluturum. Major indè, & frequentior pro

Pot-

Digitized by Google

Potwodis inſtantia. Quâ demum evicit, ut Nuncius Publicus cum mandato expediretur, tot procurandi Potwodas, quot quot Dominus Ablegatus neceſſarios ſibi exiſtimaverit; hoc autem non ex obligatione, ſed ſingulari in eundem propenſione. Inclinante itaque in ſerum jam veſperum die, cum prædicto nuncio, & duobus ſuis famulis Smolenſcio diſceſſit Secretarius eóque magìs acceleravit, quò certiùs præſentiebat adventum Commiſſarii, & militum ſinè Potwodis Dominum Ablegatum non parum turbaturum. Secretarium autem in reditu trahâ uſum, pauliſper præcedebant famuli equis inſidentes. Malo fato in multos Moſcos mercatores anguſta in via incidunt, & ſtolidè feroces prætendebant, ut mercatores cum oneribus, & mercimoniis ſuis decederent viâ, eandémque ſibi totam reſtituerent; unus famulorum evaginatum enſem, cujusdam mercatoris tergo inflixerat, & Moſci ad conflictum, & ſui defenſionem ſe parabant, cùm Secretarius cum vectore ſuo Nuncio Publico, tumultu compoſito rei periculoſæ finem dedit. Octo poſtmodum milliaria Toſuhoffium usq; horâ ſecundâ poſt mediā noctem abſolverat, ibi enim commorabatur adhuc Dominus Ablegatus, non contentus Priſtavo, quòd quinque tantùm ſtipatus militibus ad excipiendum advenerit. Itaque poſtquam ſalutatione à Waywoda præmiſſa palàm feciſſet, mandatum ſe habere Dominum Ablegatum cum ſuis ad fortalitium Smolenſcium ſecurè conducendi, paucis Capitaneo reſpondit, ſe antè loco non moturum, quàm ſufficientes Potwodæ, & plures ad conducendum milites adeſſent. Notum id Waywodæ faceret Capitaneus, ſe donec Nuncius rediret, ea civitate non exiturum. Hæc nimirum ante reditum Secretarii facta ſunt.

6. Orta luce Secretarius redux ſingula expeditionis ſuæ momenta Domino Ablegato referens ſatisfeciſſe videbatur. Habita ſecuritate de accipiendis Potwodis auriga noſter Riſwan Muſtaphi Tartarus, qui cum 21. perſonis 29. equis, 28. trahis avehendis oneribus noſtris inſervierat, dato paſſu liberè redeundi, & exſoluta mercede expeditus eſt; interea ope Capitanei, & Staroſtæ neceſſarii Potwodæ conquirebantur. Redierat etiam veſperì Nuncius Smolenſcium expeditus, aliorum quinque Streliziorum adventum confirmans. Quo percepto non diutius cunctabatur Dominus Ablegatus; poſtero ſtatim die cum Capitaneo & Streliziis iter ſuum denuo

ado-

Digitized by Google

adoritur profectione de propoſito tardiori, ut venturi milites eò remotiùs àSmolenſcio nos offenderent. Nec conſuetus aliàs Commiſſariis honor, Capitaneo exhibebatur, ſed aperto ſemper capite coram Domino Ablegato ſubſiſtere ſinebatur, quaſi non adverteretur. Verùm non ſinè ratione; Tzaream enim ſalutationem, Principaliſſimam Moſcorum ſolennitatem, omiſerat. In pago Novaſcola (2) dicto diurnum iter abſolvimus.

8. Secundus à Toſuhoffio profectionis dies vix iter ingreſſis reliquos quinque Strelizios, aut conductores milites dedit obvios. Circa prandii tempus ad Aryhorcowa (2) quatuor circiter milliaribus à Smolenscio diſtantem pagum ventum eſt. Expectabat hìc jam altero die adventum noſtrum interpres, hujus filius cum loci Staroſta panem cum ſale obtulit (gentis more, ſigna hoſpitii) quo intimi affectûs ſinceritas apud Moſcos ſolet demonſtrari. Ubi hoſpitium ſubintraverat Dominus Ablegatus, dictus interpres præmiſſa humaniſſima ſalutatione proponit, ſe ad credentiales Cæſareas cum originalibus liberi paſsûs litteris inſpiciendas ex mandato & juſſu Waywodæ Smolenſcienſis huc adveniſſe; exhibitas credentiales Cæſareas ex omni parte antè bene perſcrutatus exoſculabatur interpres, litteras autem paſsûs de verbo ad verbum accurata perlectione examinavit, quibus debito cum reſpectu peractis nos Smolenſcium præceſſit; eundem interpretem ſumpto prandio ſecuti Lübnam veſperì pervenimus. (2)

9. Circa ſeptimam matutinam ultrà progredientibus alius quidam obviàm factus Officialis Domino Ablegato nomine Waywodæ ſalutationẽ tulit. Circa decimam diei autem Smolenſcium pulcherrimo ordine ingreſſi (4) clangentibus tubicinum noſtrorum tubis ipſa fortalitii mœnia intravimus, quæ antea reſonare non ceſsârunt, quàm Dominus Ablegatus ad aſſignatam ſibi habitationem ſe reciperet. Eximius fuit honor, quem Smolencienſis Waywoda exhibuit. Ex civitatis mœnibus candidum proſtabat vexillum multis militibus circumſeptum; duo ibidem velitabantur in porta, ſanguinei unum, cœruli coloris alterum; totum verò fortalitii præſidium, utrumque portæ latus in longam civitatis ſeriem extenſum implebat; incredibilis erat undequaque multitudo hominum in occurſum noſtrum properantium. Petrus Samuelides

des Soltikow Bojarus Senator, & tunc temporis Waywoda fortalitii Smolenſcienſis; vir inter Ruthenos non minimum raræ humanitatis exemplum, poſt exceptionis, & gratulationis cæremonias Dominum Ablegatum ad ſubſequentis diei prandium civiliſſimè fecit invitari; ſed obſtitit characteris dignitas, quæ prima viſitationis officia non dare, ſed recipere prætendebat. Repoſuit Waywoda Moſcicæ gentis conſuetudinem, quæ eidem primas viſitationis recipiendæ deferret, qui alterum ad ſe invitando precibus præveniret; explicato videndi deſiderio per interpretem, conteſtatio addebatur, venturum ſe procul dubio ad Dominum Ablegatum, niſi infirmitas, quâ graviter laboraret, voluntatem ſuam exequi prohiberet. Adjecit inſuper interpres, interrogare Waywodam, ſi Dominus Ablegatus mallet conſuetam ſuſtentationem in natura habere, an in pecunia; reſponſum autem: Dominum Ablegatum præter benevolentiam Domini Waywodæ nihilo indigere. Curaret ſolumodo Waywoda, de procurandis maturè Potwodis, & profectione ſua promovenda.

10. Sequenti manè miſſo ad Dominum Ablegatum Colonello cum interprete, heſternæ Waywodæ preces repetitæ ſunt, & ut ſaltem optatiſſimi colloquii facultatem faceret, inſtantiſſimè rogatum eſt; conjugis demum ſuæ adjiciebantur vota, ut ſinè præjudicio fœminæ eos honores exhiberet, quos viro concedere poſſe, dubitaret. Non potuit tantæ humanitatis precibus ampliùs reniti Dominus Ablegatus, ſed ſe Waywodam in ægritudine ſua viſitaturum reſpondit, modò currum Waywoda mitteret; ſe proprio enim illubenter uti, ne neceſſaria equis quies poſt tantum iter interrumperetur. Nihil iſtorum omiſit Waywoda propinquæ jam viſitationis avidiſſimus, ſejugem currum ſubmiſit, triginta ſervis, quos idem veſtium color notaverat circumcinctum. Dicto in curru ædibus Waywodæ appropinquantem Dominum Ablegatum comitabantur vigiliæ cum velitatione vexilli; in ædium veſtibulo conſtituto, obviàm proceſſit ipſe Waywoda per omnes gradus, quos ex utraque parte magno numero Nobiles, & Officiales impleverant, deſcendens; proteſtanti Domino Ablegato, ne infirmus perſonæ privatæ (perſonam enim publicam pauliſper depoſuerat, duobus tantùm ſuis ſervis ſtipatus) tot ſuperfluos honores non ſinè magna ſui incommo-

ditate exhiberet; regeſſit ille: ſcire ſe, quo honore excipiendus foret. Ubique primum locum civiliſſimè detulit, Chinenſes Phialas, & radicem ejusdem Regionis pretioſiſſimam dono dedit, & plura alia civilitatis officia præſtitit. Suo inſuper nomine cereviſiam dono miſit, & avenam. Dominus Ablegatus econtra Waywodæ conjugem pulcherrimâ, & artificioſiſſimè elaboratâ Divæ Virginis de Zenta icone, octennem verò ejusdem filium rariſſimis confecturis donavit. Miſſionario deinde D. Joanni Berula, quòd Polonicum idioma callebat, permiſſum Catholicum quemdam Polonum ægrotum viſitare, ejusdem confeſſionem excipere, & ſacræ ſynaxeos participem facere.

11. Ibidem loci perſtitimus. Civitas autē Smolenſcium, finitimum Moſcoviæ fortalitium eſt, ante annos circiter quadraginta Polonis ereptum, cum quibus pariter omnis Catholica Religio expulſa; præter Collegium Soc. Jesu, Dominicani, Franciſcani, & Auguſtiniani ſua habebant Monaſteria, quæ ejectis illis jam à Ruthenis habitantur. Monachus Ruthenus, nomine Simeon centum ferme, ut incolæ aſſeverabant, annorum Metropolitam agebat. Magno Legato Cæſareo Dom. de Zierowski, Moſcuam proficiſcenti, urbem hanc intrare non concedebatur; nobis autem in ſingularis affectionis teſtimonium id licuit, fortè quòd Moſcoviæ Monarcha tunc Auguſtiſſimi Cæſaris fœderatus erat. Hoc die omnes Potwodæ collecti ſunt, numero ſexaginta.

12. Quia nix cedebat, conſultiùs viſum, rhedas, & currus oneratos rotis denuo imponere. Quem hactenus Toſuhoffio Smolenſcium uſque habueramus Priſtavum Capitaneum Paulum Hanſow Ruthenum natum, cum alio origine ſua Germano, Auguſtanæ Confeſſioni addicto, & in ſervitiis ſuæ Tzareæ Majeſtatis conſtituto Colonello & vigiliarū Præfecto Wend dicto mutavit officiū, cum quo & decem Streliziis (militibus Jaculatoribus) Boryſthenem, qui Smolenſcium alluit, ponte ligneo tranſeuntes, primum renovato itineri auſpicium dedimus. Via difficilis, limoſa, & cedentibus plaudibus pene impervia erat; equi enim ſæpius ita im̃ergebantur, ut præter caput vix aliquid reliqui corporis videretur, & difficillimè extrahi poſſent. Alterum impedimentum dedit ruptus currus, quo vas vini deportabatur; Lawrowam deniq; ſub veſperum attigimus. (3)

13. In-

Digitized by Google

13. Invitante placidiſſima cœli tempeſtate Zuruckowæ (3) ſub dio prandere placuit; etſi conclave commodum non deficeret. Innumeri quaſi rivuli, pontes, & ponticuli ſuperandi ſunt, quorum nulla ſunt nomina; aqua nihilominùs, quandoque profundior eſt; quæ temerarium quendam Strelizium, cum equo ſuffocaſſet, niſi ſubvenientium celeritas præſtò fuiſſet. Kinowæ (2) noctem tranſigere oportuit, utpote quos proximus Boryſthenes in alterum diem expectabat.

14. Medio circiter milliari confecto ($\frac{1}{2}$) ſe nobis Boryſthenes objecit; periculoſiſſimus hic fuit trajectus, quem ſcilicet ruptæ modò per triginta ruſticos glaciei fruſta denſiſſimè volventem, vivo ponte tranſmeare oportuit; mersa jam plurima pontis parte, equi ab aſſurgentibus undis infeſtari, nullo ampliùs loco conſiſtere, & ſervi jam ſui, equorúmque oblivíſci cœperant. Et perdidiſſemus ſanè eo in trajectu ſervorum noſtrorum aliquos, unacum ſex equis eidem ponti impoſitis, niſi divina bonitas (cui omnis felicior ſucceſſus in acceptis referendus eſt) ſingulariter adſtitiſſet; duo enim equi jam cum fluctibus luctabantur, & procul omni dubio à præcipiti fluminis curſu ſub glaciem infra, ſupráque adhuc ſolidè conſiſtentem rapti fuiſſent, niſi multi præſentes ruſtici admotis naviculis, trabibúſque, iisdem ad ripam viam trahendo oſtendiſſent; reliqui quos unda ponte non ejecerat, alterius partis ripam feliciter attigerunt. Fecerat laudabilis ſollicitudo, ut Dominus Ablegatus fluvium hunc ultimus trajiceret; cui in objectæ partis editiore colle duo noſtri tubicines amœnùm reſonante clangore applauſerunt. Dicto in colle prandium à coquo præmiſſo paratum ſumpſimus. Inter prandendũ quidam Tzareus Officialis præteriens, notus Comiſſario noſtro, quædam nova Moſcuâ attulit; Locumtenens erat, & nonus ipſi currebat dies, quo Stolizâ (ſic Moſcuam vocant) diſceſſerat. Sex milliarium ſylva ſubeunda erat, quam ob inventum thus Pharmacopola noſter mirùm extollebat. In medio illius nocturnam noſtram manſionem fiximus. (4)

15. Potwodarum unus, quòd militem in jurgio læſerat, Batoccis (verberum modus eſt) caſtigatus fuit. In fine ſylvæ Martinkowa pagus eſt, quem tranſeuntes Usivetgæ pranſi ſumus. (5) Pomeridianum iter multi pontes modò reparandi retardabant, hinc ſerò, nec niſi veſperì ad civitatem Dragabu-

 ſam

Digitized by Google

ſam pervenimus;(3$\frac{1}{2}$) fortalitium eſt, olim Polonis ſubditum. Hic prima Potwodarum mutatio fieri conſuevit; Potwodæ enim non ſemper iidem ſunt & perpetui. Cujus duplex eſt ratio: Ne ſubditi nimium graventur,& utLegatorum iter novis jumentis meliùs promoveatur. Sedulò autem attendendum eſt; ne Potwodæ mutati (fures rapaciſſimi) quid ſecum auferant.

16. Facta Potwodarum mutatione Boryſthenem prima vice hoc die ante dictam civitatem, ſecunda autem vice ad Wiladulowam feliciter ſuperavimus,(2) atque in eodem pago permanſimus.

17. Prætereuntes Monaſterium Baſilianorum Baldawinam, Scherbinæ prandii ſumendi causâ ſubſtitimus.(3) Dein trajecto flumine Oſtree;cujus pons nobismet reparandus erat, Tſchobotoſelũ venimus.(2) Commiſſarius noſter, ut ſuam in reparandis pontibus negligentiam in alterum transferret; Staroſtam loci proximi, cui illius curam jam heſterna die demandâſſe dicebat, non procul à modo dicto ponte ad Batoccarum ictus centenos, & ultra condemnavit.

18. Perditus unus ex equis erat, quem hoſpitis inquilini furtiva diligentia in bovili abſconderat; inventus verò injuſto detentori ſuo multorum fuit cauſa baculorum. Per Staniſcha deinde Semblowæ prandii tempore quies ſumpta; (4)ex quo per continuas ſylvas in decimam noctis uſque progredientes ad fluvium Hugram conſtitimus. (5) Ubi Dominum Ablegatum ſinè cœna, quòd currus omnes tam ſupellectili culinaria, quàm aliis rebus graves viarum difficultas retardaverat, intenſiſſimo frigori expoſitum, ſequentis diei ortum oportuit expectare. Vinum aduſtum multis ſerviebat fornacis loco.

19. Altero manè,cum fluvium tranſire meditabamur, orta eſt certi cujusdam acerrima de cremato diſputatio, cujus importunitate Dominus Ablegatus non leviter offenſus eſt. Ubi fluvium tranſieramus, Viaſmam civitatem tenuimus. Hic ſecundæ mutationis locus eſt. Præcedenti die præmiſſus erat Commiſſarius, ne conquirendi Potwodæ commorationem ea in urbe longiorem exigerent; quod is adeò bene curaverat, ut poſt mutatos Potwodas eo die adhuc Jurenowam devenerimus. (5)

20. In

Digitized by Google

20. In ſylva octo milliaribus longa circa meridiem acquievimus, quam denique emenſi in Seymeſtia Zarowa nocturno tempore commorati ſumus. (8)

21. In Bubaliza prandium, cœna in Schlodrosko ſumpta eſt. (5)

22. Aura ſerenior affulgere non potuit, qua favente Barskein (3) ad prandium, civitatem verò Moſaisko ad cœnæ tempus tenuimus. (3) Hic tertiæ mutationis locus eſt.

23. Feſtum S. Georgii celebrantibus vinum deficere cœpit, ad cujus defectum reſtaurandum exaratæ ad Dom. Carbonarium litteræ, ut id nobis obviàm ſubmitteret, â Commiſſario per Strelizium Moſcuam transmiſſæ ſunt, ut Miniſterio ſimul propior acceſſus noſter innoteſceret. Poſt meridiem mutatis Potwodis diſcedentes Madinowam veſperì nos recepimus. (3)

24. Per ſylvam in erectam crucem incidimus, multis inſcriptionibus notatam, enormis homicidii ſignum, quo ſimul & ſemel triginta à latronibus crudeliſſimè trucidati ſunt. In Kimska Podwodiſcka, Bojarinus Janof villam habet admodùm cultam, (3) hortum multis areolis diſtinctum; laborioſam ſylvulam hinc indè ſtudio erecti monticuli commendabant. Conclavia ſatìs commoda erant, quæ ad ſumendum prandium nos invitârunt. In via Kuwitzam versùs, (3) quæ nocturna noſtra commoratio fuerat, nobis obvius factus eſt D. Otto Pleyer ante ſepteñium circiter ab Auguſtiſſimo Imperatore ad addiſcendum Patriæ idioma in Moſcoviam transmiſſus.

25. Ad Weſambam (4) pagum Principi Golizino ſubditum via aſperrima nos deduxit, ubi prandio ſumpto Adinkowam verſùs movimus. (3) Tzareus Medicus Dominus Carbonari privignam ſuam nobiſcum iter hoc conficere ex litteris Domini Ablegati collegit. Hinc cum uxore medio circiter milliari à dicto pago, nobis obvius eandem ſecum Moſcuam perduxit; cum eodem advenerunt plures alii, ſed diſpari ex cauſa, utpote quos ſua in Cæſarem devotio, & in Dom. Ablegatũ germana ſinceritas, ut nobis occurrerent, ſtimulavit. Ex præcipuis erant Cæſareus rei tormentariæ Colonellus D. de Grage ante trieñium cum officialibus aliis ad Tzarea ſervitia ſubmiſſus, Cæſareus Miſſionarius Dom. Paulus Jaroſch, vice Colonellus D. Duprez, major Meneſius defuncti Generalis

 Me-

Digitized by Google

Meneſii filius, multi alii Officiales rei tormentariæ periti, & cunicularii. Occurſus obtigit in pulcherrima, & latiſſimè patente planitie; peractis gratulationis, & proſperi adventûs officiis, germanus candor pocula vini produxit in medium. Poſtquam viam denuo ingreſſi, ea nocte in ſupradicto pago Adinkowa omnes pernoctavimus.

26. Orto autem rurſus ſole, & matutina ſalutatione civiliſſimè data, iter Moſcuam remenſi ſunt illi, qui nobis occurrerant. Commiſſarius noſter mandatum à Miniſterio obtinuerat, nos in pago Mammonaf uſque ad primam Maji detinendi; nec enim antea fore ingreſſum. Ideo à Domino Ablegato D. Pleyer Moſcuã remiſſus eſt, ut pro maturiori ingreſſu inſtaret, atque victualia nobis neceſſaria compararet, adferrétque Nos autem uno medio milliari ulteriùs progreſſi ad pagum Mam̃onaf, (½) ibidem permanſuri, donec ingreſſus in urbem Moſcuam concederetur, ſtationem fiximus. Mam̃onaf exiguus pagus eſt, tribus milliaribus Moſcuâ diſtans domorum ruſticarum modiciſſima commoditas. Perdices magnâ copiâ in iſta dari vicinia dicebantur; hinc ad divertendum ſe veſperì eas inſectatus Dominus Ablegatus aliquot domum retulit.

27. Omnia ad decentem ingreſſum parabantur. Commiſſarius interea incognitò diſceſſit Moſcuam; D. Pleyer victualia, tentorium, & nuncium expectatum de concedendo maturiori ingreſſu ad nos expedivit.

28. Rediit Priſtavus nuncians, nos brevì urbem ingreſſuros. Pomeridiano tempore cum Domino Zoppot reverſus eſt D. Pleyer. Paulò poſt ſecutus Strelizius cum ordinè à Miniſterio, ut in craſtinũ diem ad ingrediendum nos paratos haberemus; non tamen antè nos loco moveremus, quàm novi ordines ſubmitterentur. Modico iterum poſt intervallo quidam Cancelliſta ex Pricaſſa Legatoria advenit, adferens, vigeſimam nonam Aprilis ingreſſui noſtro dictam eſſe; pararentur omnia ad diſceſſum manè craſtino inchoandum, ſubſiſtendum tamen pauliſper fore uno milliari à Moſcua; donec ad condignam exceptionem ex parte Moſcorum omnia compoſita forent.

29. Circa ſeptimam matutinam ex Mammonaf Moſcuam versùs movimus. Duobus milliaribus ſuperatis

Mo-

Monaſterium Neo-Virginum ad lævam ſitum ſe oculis noſtris objecit. Incluſa eſt huic Sophia, & in dies ab integro regimine cuſtoditur; quòd contra Tzarum Sereniſſimum Fratrem ſuum pluribus jam vicibus cum rebellibus conſpiraverat. Ubi Moſcuæ appropinquavimus; multi Moſci, & exteri nobis obvii obequitârunt, ornatum curruum, & perſonarum contemplaturi, quò propiùs urbem eramus, eò plura quietis & itineris intervalla dabantur, conſuetudine certè mirabili, & quæ ſoli Priſtavo plurimùm negotii faceſſit; mandatorum enim diverſitas modò cunctandi, modò accelerandi bonum hominem perplexum facit, & multùm fatigat. In approximatione & concurſu cum curru Tzareo etiam aurigæ peritia, & aliqualis dexteritas requiritur, ut dexteram ſemper acuratè ſervet; quam Moſci dolis omnibus eripere moliuntur. Totum Domini Ablegati noſtri comitatum duxit, Stabuli Præfectus, non exiguam laudem promeritus, quòd ad lævam non declinando dexteram ſtrenuè ſervaverit, contemptis Priſtavi, interpretis, aliorúmque multorum admonitionibus, ut ad lævam deflecteret, etſi non deeſſent, qui Domini Ablegati mandatum tale eſſe mentirentur. Ipſa Legatorum exceptio maximæ ſemper hucuſque difficultatis fuerat, Moſcis inaniſſimam prærogativam ambitioſè prætendentibus. Controverſia, quandoque in litem, & altercationem tranſiit; dum pars nulla curru ſuo prima movere vellet, ſed honorem eundem ſibi utraq; acerrimè vendicare contenderet. Similis contentio in noſtra exceptione locū non habuit; Comiſſarius enim Moſcicus nullâ motâ prærogativæ controverſiâ, primus ex curru ſuo deſcendit, Domino Ablegato obviàm proceſſit, in curru, & alibi primarium locum modeſtè detulit, & nullum priſtinæ arrogantiæ ſpecimen dedit. Ad quam ſubitam Nationis metamorphoſim omnes obſtupuimus, ſibíque gratulatus eſt Dominus Ablegatus, ſopitas, & penitus extinctas ſe primum inveniſſe controverſias, quarum pertinax defenſio omnes anteceſſores ſimili charactere inſignitos multùm vexaverat. Quoad Tzarea Majeſtas jam temporis feliciſſimè regnans in vivis fuerit, gentem hanc ad ſimiles ineptiſſimas prætenſiones non credo relapſuram. Officialibus Legatorum equi ex Tzareæ Majeſtatis ſtabulo aſſignantur. Qui ſellis & phaleris, auro, gemiſque intextis, ditiſſimè ornantur; ſervi

ſta-

ſtabularii omnes rubris ornati tunicis ſingulos ducunt, donec conſcendantur. Ingreſſus autem ipſe eximiæ ſolennitatis, & inſignis Magnificentiæ fuit. 1mò. Quatuor militum centuriæ, quas quidam ex Cancellaria ducebat, in capite præibant. 2dò. Sequebatur Stabuli Præfectus Domini Ablegati, cum quatuor equis poſt eum per famulos ad manum ductis. Tegmina equorum varii coloris ſerico diſtincta ſupereminebant. 3tiò. Procedebant Officiales Domini Ablegati equis Tzareis inſidientes, quorum veſtimenta auro & argento, pilei verò verſicoloribus plumis reſplendebant. His immixti erant multi ex Tzarea nobilitate viri. 4tò. Tzareus currus totus inauratus, & à ſex albis equis tractus Dominum Ablegatum cum Comiſſario Tzareo, & interprete vehebat. 5tò. Currus Perſonæ propriæ Domini Ablegati, à ſex ſubnigris ſpecioſis ductus equis, in quo pictura, item & aurum, cum varii coloris ſerico magno ſplendori & ornamento erant. Utrumq; currûs latus pediſſequi octo ſtipaverant. Quos idem veſtium color, & ditiſſimus decor ornaverat. 6tò. Currus primus Officialium non impari decore conſpicuus. 7mò. Currus ſecundus Officialium, itidem currus itinerarius, ſicuti & cæteri omnes, à ſex equis promotus, quem tres Miſſionarii inſidebant. 8vò. Equi omnes Domini Ablegati Viennâ hucuſque perducti ſequebantur. 9nò. Agmen quatuor rurſus militum centuriæ claudebant. 10mò. Quinquaginta demum currus Moſcowitici, Domini Ablegati bona, & onera advehentes, uſque ad ædes habitationi noſtræ præparandas, trahebantur. Utrumque urbis latus innumera hominum multitudo implebat; per pontem lapideum, & Arcem Tzaream Kremelin dictam, nos deductos Tzariſſa, & plures aliæ Tzarei Sanguinis Principiſſæ, ſuis è feneſtris ſpeculabantur. Specialiter etiam advertendum exiſtimo, non omnibus Legatis datum eſſe, per pontem lapideum, & Tzaream Arcem Kremelin Moſcuam ingredi; quin nobis etiam alia primùm via dictata erat, ubi fluvium Moſcuam ponte vivo tranſire oportet; ſed Domini Ablegati hac in re facta remonſtratio, quod voluit; denique obtinuit. Fecit inſuper curruum pretioſus fulgor, Domini Ablegati, totiúsque comitatûs concinna elegantia, ut Tzariſſa, Tzareiwizius, multæque aliæ Principiſſæ invitarentur ad conſpectum. Quarum curioſitati datum eſt, ut

ſolen-

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

ſolenni ingreſſui contra obſervatum hactenus morem, via per ipſam Tzaream Arcem Kremelinam concederetur; quod non Moſcicos modò, ſed Regios etiam, & aliorum Principum Miniſtros tantæ novitatis prodigio diu tenuit ſuſpenſos. Quamprimùm ad ædes habitationi noſtræ deſignatas ventum erat, Priſtavus Dominum Ablegatum in cameras & cubicula ad commoditatem ſuam pertinentia deduxit; claves conſignavit inferior Stabuli Tzarei Præfectus. Sed omnia nimis anguſta, tot perſonarum, tot equorum minimè capacia, illico proteſtationem D. Ablegati, quâ majorem ſibi procurandam eſſe ædium accom̃odationem contendebat, elicuerunt. Neſcire enim ſe, quomodo in tam anguſta homines ſuos, & animalia ſervare poſſit. Quamvis omnia ſe exactè relaturū Priſtavus promitteret, nihilominus etiam D. Pleyer non diſſimilem propoſitionem ad primum Miniſtrum Lewkirilowizium Nareſcin ferendam accepit; addito, Dominum Ablegatum antè Potwodas non expediturum, quàm dignior, capaciórque commoditas ei deſignaretur; rebus ſuis enim bene cuſtodiendis locum tam anguſtum non ſufficere. Etſi Nareskinius crudè reſpondiſſet: Moſcuæ non inveniri eam ædium commoditatem, quæ Viennæ foret, magni inſuper conſtitiſſe habitationem eam reperiſſe; ut Dominus Ablegatus eâ optimè contentus eſſe poſſit, maximè conſiderato nuperi Moſcowitici Ablegati Coſmæ Nikitz Nephimonoff exemplo, cui equos ſuos omnes ſecum Vieñam ducere non licuiſſet; nihilominus interpres D. Schwerenberg, ut Potwodarum dimiſſionem perſuaderet, capacioris domûs brevì conſequendæ ſpem fecit, cujus conſilium incidens aura pluvia multùm adjuvit, ut res noſtræ tanto itineris tempore omnibus cœli injuriis expoſitæ, tandem tempeſtati ſubducerentur.

30. Altero adventûs noſtri die rediit Priſtavus, de conſueta libera ſuſtentatione locuturus; multis illi noviter, & efficaciſſima methodo Dominus Ablegatus remonſtrat, hìc ſubſiſtendi notoriam impoſſibilitatem, decem perſonas in uno hærere cubiculo, equos ſtabulum non capere, nullibi cellam, nullibi culinam eſſe, pro tot ſuis hominibus quotidie ſub dio cibos parari, domum eſſe lateritiam, quam exigua non præviſa ſcintilla facilè poſſit accendere; ne ſomniarent, veniſſe ſe, ut eò loci cuderet fortunam ſuam, nullam aliam adventûs rationem eſſe, quàm ut Clementiſſima Auguſtiſſimi

Cæſaris mandata cum debito ac humillimo reſpectu adimpleret. Tam ſpectabilē verò comitatûs ſui decorem & numerum Auguſtiſſimi Imperatoris, ſicut & Tzareæ ſuæ Majeſtatis ſupremos honores reſpicere; vergere ſiquidem in non mediocrem Principis gloriam inſignem adventantis Legati apparatum; adductum à Nareskinio nuperi Moſcowitici Ablegati exemplum tractamenti ſui menſuram eſſe non poſſe, quòd enim equos ſuos Tarnomontii reliquerit Cæſaris ſumptibus pabulandos, ejus œconomiæ & immoderatæ habendi cupidini, non contrariæ alicui prohibitioni (de qua nec cogitatum quidem) imputandum fore; illum officialibus ſuis vix dimidium illius pro penſione exſolviſſe, quod D. Ablegatus curſoribus ſuis quotidie largiretur; cùm dies ſinguli ab ipſo Nephimonoff ſingulis ſex denariis fuerint æſtimati. Illi mille imperiales menſtruos ab Imperiali Camera exſolutos; ſe verò ad ſubſiſtentiam ſuam nihil unquam exacturum, modò erecto deſuper contractu conſentiant, ut & ipſorum Legati cujusvis ordinis, & dignitatis ab iſto die Viennæ impoſterum nihil prætendere valeant. Sperare non tantùm Clementiſſimam hujus ratificationem, ſed & refuſionem ſumptuum interea faciendorum. Verùm Nephimonoff ultimus Tzari ad Aulam Cæſaream Ablegatus obtentæ ab Imperiali Camera quotidianæ ſuſtentationis quantitatem Tzareo Miniſterio nunquam, ex fide aperuit, ſed multò minùs eo, quod acceperat, confeſſus, anſam Domino Ablegato dederat, tam ſua remonſtratione, quàm propriâ ipſiusmet domeſticorum, ad quam jure adigebantur, depoſitione aſſerendi veritatem; quibus magno ſui opprobrio convictus, non mediocri, quos avarè corraſerat, Kremnizenſium aureorum parte dedecoroſi mendacii pœnas dedit: facilè quoque fuit cognoſcere, uſitatum jam & familiare Moſcicis Ablegatis eſſe, poſt reditum ſuum divites ſuſtentationes, aliásque honorum teſtificationes, quibus apud exteros Principes affici ſolent, nunquam exacta fidelitate referre, veriti, ne aliorum invidiam, aut participandi ſecum cupiditatem ſuo damno concitent. Poſtulanti deinde Priſtavo paſsûs originalis extraditionem, reſponſum aliud datum non eſt; quàm illam uſui eſſe contrariam, longâ enim temporum obſervantiâ eam conſuetudinem invaluiſſe, ut Waywodæ Smolenſcienſi ejúsve delegato in primo finium ingreſſu paſsū originalem monſtrari, & authenticā ejusdē copiam extradi oporteat.

Digitized by Google

porteat. Hoc jam factum, nec dubium ſupereſſe, quin eandem copiam dictus Waywoda jam Cancellariæ vi ſui officii transmiſerit. Dominum Ablegatum etiam, etſi ad id obligari nequeat, tamen paratum eſſe, in ſingularem civilitatis ſpeciem, aliam adhuc copiam extradere. Major interpretis latini Laureſco nominati, Poloni, & ex ordine S. Dominici Apoſtatæ Ruthenizati fuit temeritas; contendebat is paſsûs originalis extraditionem omnimode deberi, præſertim, cùm magni Legati Cæſarei Zierowski recens nuper exemplum in promptu ſit. Miratus Dominus Ablegatus viri impudentiam, ad oculum demonſtravit, ſe eundem ipſum fuiſſe, qui juſſu prætacti magni Legati ſolummodò copiam ipſimet Laureſco, quem adhuc optimè nôſſet, extradidiſſet. Accuratè inſuper annotatos ſe habere diſcurſus, quos ipſe de Principiſſa Sophia ſexta Junii 1684. non dubitâſſet ingerere; pallentem denique admonebat, ne deinceps tantæ falſitatis commenta ſibi proponere præſumeret; verùm potiùs ab ulteriori congreſſu, ex quo etiam in habitatione noſtra nunquam ampliùs viſus eſt, abſtineret. Quamquàm ſuffuſus ori rubor interioris animi confuſionem ad hanc improviſi reſponſi partem ſtatim proderet; externâ tamen oris pertinaciâ necquidquam vincebatur, ut Dominus Ablegatus importunæ exactioni finem daturus in extraditionem paſsûs ſui originalis ea lege conſentiret, ut primùm ſæpe nominati magni Legati originales paſsûs litteras, ex dictis eorum Cancellariæ extraditas, ſibi exhiberent. Licere enim Ablegato magni Legati veſtigiis inſiſtere ſi à majori ad minus ducatur argumentatio; habere ſe autem accuratam eorum omnium notitiam, quæ à quinquaginta annis hinc indè geſta eſſent; ſingula punctatim annotata, neque ullius ſe operâ indigere; ut immeritò perſonam aliam exinde ſuſpectam habeant. His auditis mitiora proponunt, ut ſaltem paſſum ſuum cancellariæ ad deſcribendam ab eo copiam concederet. Sed regerit Dominus Ablegatus: id à ſimpliciori ſe fortè obtinendum eſſe. In extremæ nihilominus humanitatis ſuæ teſtimonium annuere, ut ſuis in ædibus deſcribi poſſit, & cum originali conferri. Eadem credentialium Miniſterio extradendarum difficultas fuit. Neque enim ſe Poloniæ, Daniæve Ablegatorum exemplis moveri, ſolam inſtructionem Cæſaream, & Clementiſſimi Mandati præſcriptum, veram, rectámque ſuam normam eſſe, quid agendum, omittendúmve ſit.

MAJUS.

1. Requirebat Dominus Ablegatus Dominum Dumnium Diacum Æmilianum Ignatowiczium Ukrainzow; ut neceſſaria interpretis D. Joañis Schwerenberg officia dignaretur concedere; nulli enim interpreti licet, ſinè habita priùs licentia extraneis Principum Miniſtris ſuam operam accomodare. Idem translator paulò poſt ad Dominum Ablegatum miſſus, urget denuo extraditionem paſsûs originalis, ſed fruſtraneo labore. Duas porro quæſtiones à Miniſterio ſibi commiſſas Domino Ablegato proponit. Quando audientiam deſideret? & an Miſſionarios apud ſe retenturus ſit? ad primam reſponſum, ante Tzareæ Majeſtatis reditum nullam deſiderare ſe poſſe audientiam. Interea verò conferentiam optare, ut inclyto Miniſterio intentionem ſuam patefaciat. Quam ſi tamen audientiam vocare maluerit Miniſterium; ſe id neutiquam impediturum; fruſtra enim lis moveretur de nomine; genuinâ tamen ejusdem conferentiæ nuncupatione ſe ſemper uſurum. Ad 2dam. Quamprimùm priores expediti, abeundi veniam acceperint, ſe iſtos ad reſidentiam Miſſionariorum in Scobodam (Germanorum Suburbium) decenter, & cum Miniſterii conſenſu miſſurum. Dominus Ablegatus Poloniæ hac die vas cereviſiæ dono ſubmiſit.

2. Poſt publicum & ſolennem ingreſſum, antequam Tzareæ Majeſtatis oculos ſubierint, id eſt ad Audientiam admiſſi fuerint, non ſtatim licet advenis exterorum Principum Miniſtris, ad præſentes Legatos concedere, aut eos ad ſe admittere. Etſi poſt adventum noſtrum Tzarea Majeſtas extra Moſcoviam in inferioris Belgii partibus commoraretur; id tamen conſuetudini datum, ut ſinè ſpeciali Miniſterii permiſſu ante habitam conferentiam nullibi publicè comparere voluerimus. Propterea hodierna modò die, impetrato ad id Miniſterii conſenſu per Secretarium apud Poloniæ, Daniæve Repræſentantes, notificati adventûs cœremoniæ peractæ ſunt.

Poloniæ Ablegatus D. Joannes Bocky de Miniſterii aſtutia & dolis multùm queſtus eſt, paſſum ſuum originalem, & credentiales litteras in Miniſtrorum manibus eſſe. Daniæ Ablegatum pariter ſera ſtimulabat pœnitentia, quòd credentiales ſuas Miniſterio extradidiſſet.

Hac

Digitized by Google

Hac etiam die Dominus Ablegatus ob literas à Domino Generali Scheremetow, ad primum Miniſtrum Leonem Kirilowiczium Nareskin ſibi concreditas, Secretarii ad præfatum Dominum Nareskinium mittendi occaſionem ſumpſit. Cui, præter conſueta humanitatis officia, ſequentia voluit ſignificari: literas præſentes ſemetipſum perlubenter conſignâſſe; niſi feſtorum Paſchalium ſolennitatem (quæ tunc celebrabantur) turbare timuiſſet; non intermiſſurum tamen quamprimùm licuerit, viſitationis officio apud Excellentiam ſuam defungi; ſummas agere gratias, pro exhibito honore in tam ſingulari ingreſsûs ſui ſolennitate; eum ſe pro merito in humillima ſua ad Auguſtiſſimum Imperatorem relatione exaggeraturum; dolere non mediocriter accepti in ingreſſu ſuo honoris magnitudini, tantâ aſſignatæ habitationis vilitate & anguſtiis multùm derogari. Maximè, quòd ab aliis intellexerat, duas capaciores ædes habitationi ſuæ fuiſſe determinatas, ubi nomen ſuum antea adſcriptum, ex cauſis ignotis denuo fuerit extinctum. Vergere id in diminutionem honoris ſui; hinc malluiſſe, ut nomen ſuum nunquã ibi viſum fuiſſet; odiſſe ſe moleſtas has, & faſtidioſas inſtantias, neque moturum quidquam fuiſſe, modò poſſibilis foret, licèt difficilis & anguſta ædium commoditas. Non enim alium in finem ſe Moſcuam Ablegatum eſſe, quàm ut fraternam amicitiam, inter Clementiſſimum Dominum ſuum, & Tzaream Majeſtatem huc uſque integrè conſervatam ſtudeat pro viribus colere, & propagare. Huc collimare Clementiſſimam Cæſaream Inſtructionem, eámque præcipuam adventûs ſui cauſam eſſe. Verumtamen defectus culinæ & ſtabuli, continua incendii pericula, & turbata exinde quietis tempora commodiorem habitationem ſummoperè exigere. Sperare ſe itaque hac in parte brevì adjuvandum; aliàs enim ſibi in aperto campo ſub tentoriis vivendum fore.

Reſponſum primi Miniſtri fuit: debitas ſe gratias habere pro tanta humanitate, & literis benevolè transmiſſis; tempus & occaſionem colloquii ſemetipſum ſuggeſturum. Fœderis initi conjunctionem, indéque intimioris amicitiæ momenta anſam præbere, Domino Ablegato plus honoris demonſtrandi, quàm ulli anteceſſorum ſuorum quacunque characteris dignitate fulgentium unquam contigiſſet. Novæ & commodioris habitationis eligendæ curam in ſe ſumpſiſſe.

ſiſſe. Adſcripti, rurſúsque extincti nominis nullam culpam eſſe; ambas illas enim hâc poſtremâ minùs habere commoditatis; duabus præterea prioribus aſſignatis domibus ſuos heros eſſe, neque, niſi injuriâ indè expelli poſſe; cùm econtra hujus interea habitatæ Dominus remotioris cujusdam Provinciæ præfecturam juſſu Tzareo tanquam Waywoda adminiſtraret. Penes Dominum Ablegatum proinde, quod ipſi optimum viſum fuiſſet, plena liberáque facultas remaneret de ea ad arbitrium ſinè contradictione diſponendi. Placeret ipſimet Domino Ablegato palatium ſatis amplum eligere, quodcunque monſtraret, ſinè contradictione evacuandum eſſe.

Diacus Cosma Nikitiz Nephimonoff Tzareæ Majeſtatis ultimus ad aulam Cæſaream Ablegatus paulò poſt nomine & mandato primi Miniſtri Domino Ablegato eadem ſed mutatis hinc indè terminis propoſuit. Eáque occaſione argumento à pari deſumpto paſſûs originalis extraditionem denuo ſollicitavit. Se ſcilicet in nupera ſua Ablegatione eodem modo obligatum fuiſſe, Tzareum Paſſum originalem Cancellariæ Imperiali extradere. Cui regeſſit Dominus Ablegatus, de facto alieno ſibi non conſtare, & ſuam cuivis aulæ relinquendam eſſe conſuetudinem ab antiquo introductam. Maximè quòd ex eorum relationibus, qui eodem repræſentationis charactere inſigniti, ſe ad aulam hanc anteceſſerint, id unquam uſuveniſſe non inveniat; ut tantò minùs primus peſſimæ ſequelæ exemplum ſua conſenſione præbere queat. Præterea Clementiſſima Cæſarea Mandata non pati deſideratam paſſûs extraditionem.

3. Dominus Ablegatus Poloniæ ſolenni viſitâ honoravit Dominum Ablegatum Cæſareum, quem Officialis in inferiori domûs atrio ſuſceptum, ad ſummitatem graduum; Dominus Ablegatus verò eundem cum ſuis Officialibus per duas anti-cameras ad tertiam introduxit. Eadem ſolennitas in reducendo ad currum ſuum obſervata.

Magnum inſecuta nocte incendium nos omnes ad ligneam, quam incolebamus, domum in magna ſollicitudine tenuit.

4. Feſtum Paſchatis Rutheni celebrârunt, & omnes Germani convenientiæ causâ cum illis. Ædium quas inhabitavimus procurator, per Tzareos milites cuſtodiæ noſtræ datos, quatuor pateras, primam farinâ, ſecundam butyro, tertiam ovis, quartam aſſato anſere plenam Domino Ablegato obtulit.

lit. Feſtivitatis Paſchalis conſuetudo allegabatur; neque omnium ratio dari poterat. Similiter etiam Poppus quidam myſterioſo cantu multa confundens Domini Ablegati conclave inſperatò ſubintrans, eidem & præſentibus domeſticis oſculandam crucem præbuit. Si cremati fortiſſimus odor, & pene intolerabilis raparum fœtor jejunas nares fallere non ſolent, profectò Rutheni moris jentaculo plenum ventrem circumferebat.

5. Dominus Ablegatus Poloniæ cum tota aula ſua apud nos Miſſæ Sacrificio interfuit.

Mos talis inter Ruthenos obtinuit, à feſto Paſchatis usque ad diem Glorioſæ Aſcenſionis Domini obviantes invicem, quocunque in loco, in compitis etiam, viíſque publicis, hac acclamatione ſe ſalutant: Chriſtus ſurrexit. Sic ſalutatus, vel ſalutata continuò reſpondet, & accepto, quod ſalutans ſimul porrigere ſolet, ovo, pacis oſculum dare tenetur, & recipere. Hunc nos morem primus docuit D. Meneſius Colonellus & Vigiliarum Præfectus, defuncti Generalis Meneſii Filius. Hæc ſalutandi oſculandiſq; conſuetudo, nulla conditionis aut ſortis diſcrimina, nullam diſcriminum admittit memoriam; modò ovum rubrum offerat, viliſſimo de plebe nullus Magnatum petitum oſculum recuſabit; nulla nuptam modeſtia, nulla innuptam verecundia excuſat; pro crimine foret, aut oblatum ovum reſpuere, aut oſculum devitare; imis adempta eſt vilitas; nulla temeritatis formido. Feſta Paſchatis pariter, quæ auſterum longinqui temporis jejunium antecedit, continuis debacchationibus celebrant. Nec mulieres viris abſtinentiores ſunt; plerumque primæ cremato immodicè hauſto inſaniunt, atque in omnibus pene plateis luridæ, ſeminudæ, & inverecundæ conſpiciuntur.

6. Miſſus ad primum Miniſtrum Secretarius feliciſſima feſta gratulatum, conferentiámque ea occaſione ſollicitatum. Prandentibus ex horto Tzarei Medici Domini Carbonari de Biſenegg prima vice recens lactuca dono miſſa eſt. Dominus Ablegatus deinde habitâ pro libitu exeundi facultate cum Miſſionariis Cæſareis & Tzareo Medico Domino Zoppot in Germanorum ſuburbium ſe conulit, illorum reſidentiam contemplaturus. Ibidem à Miſſionario Cæſareo Domino Paulo Joſepho Jaroſch cumulatâ pro viribus cœnâ exceptus eſt. Aliud incendium novi pavoris

cau-

Digitized by Google

cauſam dedit, effectus continuæ Plebejorum debacchationis; quò major enim diei eſt feſtivitas, eò potior etiam largioris potûs eſt ratio. Ridiculum ſanè eſt immixtos pueris ſenes iisdem jocorum luſuúmque ludibriis delectari, atque continua trabis agitatione, cui modò inſiſtunt, modò inſident, otioſa corporis commotione præcipua ſua feſta celebrare. Tota dies pulſatis undequaque Eccleſiarum campanis reſonat, etſi nulla in templis devotio; quaſi ſufficeret ſolennem dierum feſtivitatem ſolo inanimati æris pulſu indicari. Vix ullum anni celebrius feſtum eſt, quod nullum inſequatur incendium; luctuoſiora ea ſunt, quia plerumque nocturno oriuntur tempore, & quandoque aliquot centenas domos ex integro ligneas in cineres redigunt. Germanorum aliquos, qui ad hoc ultimum ſopiendum incendium (quô in citeriore fluminis Neglinæ parte ſexcentæ domus abſumptæ ſunt) accurrerunt, furti crimine falsò objecto poſt atrociſſima verbera projecerunt in flammas, ſuóque furori & incuriæ immolaverunt.

7. 8. Primus Miniſter miſſo ad ſe Domini Ablegati Secretario ſpem fecit cras ordinandæ poſtulatæ conferentiæ. Dominus Ablegatus Daniæ cum ſolenni ſuo comitatu Dominum Ablegatum inviſit.

9. Poſtquam jam aliquot retro vicibus, Dominus Ablegatus per ſuum Secretarium conferentiam ſollicitaverat, in eandem nonâ Maji primus Miniſter conſenſit. Tempus per aliquem ex Cancellaria intimatum, quem Priſtavus ſubſecutus eſt, Dominum Ablegatum ad locum conferentiæ deducturus, Tzari abſentiæ dabatur, ut proprio & bijugi tantùm curru illuc conceſſerit ſex curſoribus, Officialium autem nullo (excepto Secretario) ſtipatus. Dominum Ablegatum aream palatii curru ingreſſum, cùm eo exiliiſſet, non nemo Diacorum (Cancellariorum) prævio verborum officio per interpretem ſuſcepit, & per quatuor conclavia Cancelliſtis & Domeſticis refertiſſima ad deſtinatam conferentiæ cameram deduxit. Quam apertam ſubeunti primus Miniſter ſpectatiſſimâ plurimorum Officialium coronâ ſtipatus, cum Dumniis, Diacis, Michitin Moyſſiowitz, & Æmiliano Ignatowizio, Ukrainzow, aliquot obviam paſſibus occurrit, & conſueta temporis Paſchalis ſalutatione (Chriſtus ſurrexit) humaniſſimè allocutus eſt, mutuo oſculo, ne quid de conſuetudine

tudine periret, ſubſecuto. Officialibus, qui conclave in majoris pompæ oſtentationem impleverant, dato ſigno, ſecedere juſſis, primus Miniſter tanquam conferentiæ præſes ad tabulam datâ operâ præparatam primum locum occupavit, Domino Ablegato ſecundum obtulit, prope quem ſupra nominati Dumnii conſidebant ; Secretario & interprete non procul à menſa obſequii causâ ſiſtentibus.

Omnibus dicto modo ad conferentiã compoſitis, primus Miniſter ſubjecto alloquio ejus initium fecit. D. Ablegatus Cæſareus à ſua Sacra Cæſarea Majeſtate ad Tzaream Majeſtatem miſſus eſt, procul dubio, ut fraternam tantorum Principum amicitiam per nuperrimam defenſivi & offenſivi fœderis colligationem luculenter confirmatam ſeriis laboribus ſtudeat propagare ? Cui reſpondit Dominus Ablegatus : in hoc ipſo maximam propoſitionis ſuæ partem ſitam eſſe ; quam exinde exorſus eſt : eam autem hìc inſerere viſum non eſt, cùm illa non tantùm nimis prolixa ſit, ſed ipſum inſuper colloquium tres ferme horas abſumpſerit. Finitâ conferentiâ aqua cinnamomi promebatur, potus magno apud ipſos in pretio. Secunda propinatio facta eſt ex vino Florentino in ſanitatem Auguſtiſſimi Cæſaris & Tzareæ Majeſtatis, atque in felix incrementum concluſi nuper fœderis. Diſcedentem ad limen Cameræ primus Miniſter, ad alterius cubiculi oſtium duo Dumnii, ad ultimos gradus & currum usque dictus Diacus cum Priſtavo & interprete comitati ſunt. Poſtquam Dominus Ablegatus ad domum ſuam ſe receperat, multiplex vinum, & magnæ raritatis piſces, ſuperba primi Miniſtri donaria eidem oblata ſunt. Talis autem conſuetudo ambitioſâ aut avara ratione inſtituta eſt, ut quæ munera duo facillimè ferrent, per duodecim & plures ſæpe faciant apportari. Id tam ad vaniſſimæ gentis oſtentationem, quàm domeſticorum ſuorum lucellum eſſe, non ignorant. Quemadmodum innata Domini Ablegati generoſitas omnes Nareskinii famulos, habitâ officiorum, quibus præerant, proportione remunerata eſt, nemo indonatus diſceſſit. Dominus Ablegatus prandio confecto cum ſplendido ſuo comitatu, tribus curribus, quorum quilibet ſex equis trahebatur, ad Poloniæ Ablegatum conceſſit viſitationis conſuetæ ſolennia peracturus.

 10. He-

10. Heſterna primi Miniſtri liberalitas per alia ſubmiſſa munera recompenſabatur. Sicut & nupera curialis civilitatis Officia à Daniæ Ablegato exhibita non impari viſitæ ſolennitate reciprocata ſunt. Oſtendebat quidem Daniæ Ablegatus aliqualem diſplicentiam, primos viſitationis honores Ablegato Poloniarum exhibitos eſſe; verùm Domino Ablegato Cæſareo prudenter replicanti, id ſinè prægnantibus cauſis & æquiſſima obligatione factum non eſſe, nihil ultrà oppoſuit; præſertim cùm recenſeret Dominus Ablegatus, Poloniarum Ablegatum adhuc ante ſolennem ſuum ingreſſum per aliquem ſuorum officialium ſibi de felici adventu fuiſſe gratulatum, quod Danicus intermiſiſſet; deinde ab eodem ſe prima viſitatione honoratum; ad quæ ſuo pondere accederet mutui fœderis propinguitas ſpecialem honorem jure antiquiori expoſcens.

11. Domini Miſſionarii Cæſarei Franciſcus Æmiliani, & Joannes Berula Clerici Sæculares, & in Diœceſi Olomucenſi Parrochi, annuente Miniſterio Tzareo poſſeſſionem ſuæ in Germanorum Slowoda Reſidentiæ occupârunt, & prioribus in patriam ſuam clementiſſimè revocatis ſuccedentes Paſtoris boni officium probè auſpicati ſunt. Ad Bojarinum & Tzareæ Majeſtatis tutorem Ticchon Mikitowiz Streſno miſſus Secretarius officioſæ ac ſolitæ humanitatis nuntia depoſiturus.

12. Princeps Boriſius Alexiowiz Galizin antequam ex urbe in prædium ſuum diſcederet, Secretarium literas inſinuantem civiliſſimè ſuſcepit. Callet Princeps iſte latinam linguam, & eâ uti amat.

Primus Miniſter pariter in villam ſuam abiit, ut à curis remotior aliqua quiete frui poſſet.

13. Poſt quædam munera Dumnio Diaco Ukrainzow tranſmiſſa, Dominus Ablegatus vacantia conclavia in palatio Legatorum cum aliquot ſuorum officialibus inſpexit, ea inculturus, ſi capacia deprehenderentur.

14. Mandato Cancellariæ mundantur cubicula, cella, & culina cum ſtabulo D. Ablegati habitationi aſſignanda. Miſſus ad Poloniæ Ablegatum Secretarius, ut eidem de infirmitate ex Domino Colonello Grage intellecta condoleret.

Quidam ex curſoribus Domini Ablegati Danici ad templum Auguſtanæ Confeſſioni addictorum equo ſe contulit.

Hu-

Digitized by Google

Hujus equus urinam emittens Locumtenentis cujusdam uxorem illac tranſeuntem conſpurcavit: quæ fœmineo furore multis in curſorem effuſis convitiis continuò pari vehementia maritum ad vindictam excitat. Si maritus eſſet, è veſtigio ulciſceretur injuriam, in ſe quoque redundantem. Motus tantâ querendi gemendíque atrocitate Locumtenens curſorem ex inſidiis adoritur, & cum aſſumptis ad facinus ſociis, baculis adeò onerat, ut nec pedes incedere, nec equo ire valuerit. Contra Locumtenentem Danicus Ablegatus multis queſtus ſéque in ſervo ſuo offenſum eſſe magno cum ſenſu exaggeravit.

15. 16. Feſtum beatæ memoriæ Joannis Nepomuceni ſingulari devotione Domino Ablegato ita ordinante celebratum eſt. Pomeridiano verò tempore Dominus Ablegatus Dumnium Ukrainzow inviſit, qui multa civilitatis officia exhibens devotiſſimos ſuos erga Sacram Cæſaream Majeſtatem reſpectus expreſſis affectibus conteſtatus, atque contra conſuetum Ruthenis morem adeò humanus fuit, ut Dominum Ablegatum diſcedentem ad currum ſuum comitatus abire antè noluerit, quàm ipſe Dominus Ablegatus prior abeundi initium feciſſet.

17. 18. Primum nunc in Germanorum ſuburbio Catholicorum ex ligno ædificatum templum; cui heſterna die prodigioſæ Iconis Pötzenſis B. V. Mariæ imaginem Dom. Ablegatus devotè donaverat, ibidem Divinis Officiis interfuimus. Diei ſolennitas diverſis Muſicorum noſtrorum concentibus multùm aucta plurimos proteſtantium ad ſe traxerat. Dom. Paulus Jarosch D. Ablegatum templum ſubeuntem, in portæ veſtibulo exceptum aquâ benedictâ aſperſit, & ad locum muneris dignitati convenientem & rubro contectum holoſerico deduxit. Finita devotione Dominus Ablegatus ex heſterno invitatus, convivio à Domino Cæſareo rei tormentariæ Colonello de Grage præparato interfuit. Lætus tormentorum mugitus aſſonabat, quoties Auguſtiſſimi Cæſaris, Auguſtæ Imperatricis, Sereniſſimi Romanorum Regis, & Tzareæ Suæ Majeſtatis humillima hoſpitum devotio ingerebat mentionem. Dominus Ablegatus Cæſareus inter pocula familiarior cum Officialium bellicorum præcipuo tracto diſcurſu, ex eodem accepit, apprehendere Moſcos ſuam præſentiam, nec ſatìs capere, cur cum exercitu in campum ire prætenderet.

19. Hoc

Digitized by Google

19. Hoc die feſtum Sancti Nicolai, quem pro Sanctorum omnium Anteſignano venerantur, Moſci ſolent celebrare.

Danicus Miniſter Dominum Ablegatum inviſit, & inter colloquendum in ſinceritatis ſpecimen aperuit; Miniſterium Moſcicum à Domino Ablegato valde ſollicitum reddi; tertia jam ab eo conſilia habita fuiſſe, ut factæ propoſitioni accuratè reſpondeat.

20. In Cancellariis, quas Moſci Pricas vocant, Scribarum Supremus Ali dicitur. Huic incumbit ſedulò invigilare, ut reliqui ſuos labores ſtrenuè proſequantur. Tantùm negotii una dies dederat, ut totæ poſt dies noctes viderentur impendendæ, cùm diurna tantum officia ſolverentur; Ali ergo domum ad quietem ſeceſſit; Hunc ſecuta eſt fæx reliqua ſcribarum. Altero poſt die Dumnii Cancelliſtarum contumaciam advertentes, ipſum Ali, quod peſſimo exemplo cæteris contempti obſequii author fuiſſet, ad Batoccas (Species Baculorum eſt) damnârunt. Scribæ autem flagitioſorum inſtar, ſua ad loca ferro & compedibus alligati ſunt, ut ſcribendo noctem diei jungere addiſcerent.

21. Ex mandato Domini Ablegati infirmum adhuc & in Germanorum Slowoda decumbentem Ablegatum Polonicum Secretarius inviſens, ex eodem intellexit; Poloniarum Regem Varſaviæ eſſe; Comitia interim ſublata, omnes cordatis pectoribus ituros; duos Legatos à Rege ad Sapieham miſſos, exceptis comitiis univerſalibus hunc in omnia conſenſiſſe. Timeri ſcilicet tempora Henrici Hungarici, ubi à Republica duodecim Regni Senatores inſcio Rege occiſi, & ante ſolium proſtrati Regem docuiſſent Jura Poloniæ confirmare.

22. Diſceſſit quidam affinis nuperi Ablegati Moſcici ad aulam Cæſaream Coſmæ Nikitiz Nephimonoff, ex theſauro Tzareo diverſa donaria in pretioſis pellibus conſiſtentia Viennam pro ventura illuc magna legatione devecturus.

23. Etſi Tzarea Majeſtas hodiedum clementiſſimè regnans omnibus in Imperio noſtro Romano Germanico toleratis religionibus publicum exercitium indulſerit; nihilominus tamen Moſcorum non pauci ſummam virtutem putant, advenas ad amplectendam fidem ſuam coëgiſſe. Contra quos hoc die duo catholici Domini Ablegati protectionem implorârunt.

Ac-

Accepta prius per Priſtavum ſecuritate dandi craſtina die ad omnia poſtulata reſponſi, Dominus Ablegatus in palatium Legatorum conceſſit, habitationis ibidem parandæ commoditatem adnotaturus.

24. Circa duodecimam advenit Diacus Boriſius Michalowiz, ante tres annos per quinquennium Reſidens Varſaviæ; hunc comitabatur interpres D. Schwerenberg cum quodam Cancelliſta. Poſt mutuæ ſalutationis obſequia, præmiſſam civiliſſimam de valetudinis ſtatu ſciſcitationem, datas Miniſterii reſolutiones ad ea, quæ Dominus Ablegatus nuper propoſuerat, ſchedæ inſcriptas recitare exorſus eſt in hunc ferme modum: etiam Tzaream Majeſtatem fraternam cum Romanis Imperatoribus amicitiam ab Anteceſſoribus ſuis ad ſe derivatam quibusvis officiis ſemper hactenus ſtudioſè coluiſſe, & impoſterum culturam eſſe, eam quidem nullo tempore interruptam; nunquam tamen antehac tam auctã, & indiſſolubilem, quàm pacto noviſſimè fœdere coaluiſſe; Tzaream Majeſtatem fraterni amoris ſui ſinceritatem jam abundè explicâſſe, reciprocámque Cæſaream amicitiam, quam Dominus Ablegatus in propoſitione ſua conteſtatus eſſet, jam indè à reditu ultimi Moſcowitici Ablegati Coſmæ Nephimonoff luculenter perſpectam, & confirmatam habere. Videri quidem Miniſterio, Domino Ablegato facultatem concedendam fore Tzareum ſequendi exercitum, ſed in abſentia Principis tantam authoritatem uſurpare non poſſe; ſi deſuper fortè ſcribi vellet ad Tzaream Majeſtatem, ante octo ſeptimanas nullius reſponſi ſpem eſſe. Expeditos autem duos exercitus; hunc ſub Belliduce Soltikow agere ad Azow; illum ſub Principe Dolgoruga, & Coſſaccorum Duce Maſeppa ad Boryſthenem prope Oezakow caſtrametatum.

Duos Miſſionarios Cæſareos, quos Dominus Ablegatus ſecum adduxiſſet, ad ſuam Reſidentiam in Slowodam ſinè ullo obſtaculo poſſe concedere. Alios duos autem, qui ultra quinquennium officio Miſſionariorum in Moſcovia functi ſunt, à Miniſterio abſolutè dimitti non poſſe, ſcriptum tamen jam ad Tzaream Majeſtatem, cujus mandata expectanda.

Tertium ad Venetos navium Magiſtros ſubmiſſum, datâ ad Cancellariam notitiâ pro itineris ſui ſecuritate, paſſum Veroniſcham obtenturum. De ſolito inſuper libero ſuſtentamento mentio facta, Domino Ablegato id recuſante; jubere

bere enim Clementiſſimi Domini ſui mandatũ, ut propriis ſumtibus Moſcuæ viveret, prima hujus veſtigia omnibus ſe ſubſequentibus Miniſtris Cæſareis ſuo exemplo relicturus; ſibi propterea facultatem conceſſam eſſe, idem ſcriptura ſolenni ſtipulandi.

25. 26. 27. His diebus noſtra mobilia in palatium Legatorum avecta ſunt, & diſtributa in illo futuræ habitationis conclavia. Ultimo die, quo tota noſtra habitatio in dictum palatium plenè traducta eſt, cuidam domeſticorum gladius neſcio quo caſu in plateam excidit; quem Moſcus quidam Plebejus inſpectante noſtrorum altero furtivè ſuſtulit in domum ſuam aſportandum; repetenti gladium reſtituere cunctatur, jurgii & ſecuti exinde tumultûs contumaci tergiverſatione author; tota domus nunciato noſtrorum periculo plena erat, Dominus Ablegatus, cui impediendæ omnis cum externa potiſſimum gente contentionis ſollicitudo in primis ſemper curis fuerat; cultu tumultuariè compoſito equum, qui proximus aderat, conſcendit, quid rei eſſet ipſemet exploraturus; res autem jam compoſita ſinè alterutrius læſione abierat.

28. 29. Sex Moſci unius domûs domeſtici, quòd Domini ſui vitæ perfidiſſimè inſidiati conceptum mente homicidium patraverint, ad ultimum ſupplicium damnati, ſecuri percuſſi ſunt.

Quamvis Boris Michalowiz Diacus Domino Ablegato pollicitus fuerat, mittendo Veroniſcham Miſſionario expeditis in Cancellaria liberi paſsûs literis de ſecuritate proſpicere; attamen hodie recuſabat; contra conſuetudinem enim fore, alicui fines regni non exeunti liberi paſsûs literas elargiri.

30. Feſtum Sancti Alexii à Ruthenis celebratum eſt, quo die primus Miniſter Dumnium Ukrainzow ſecum in prandium ſuum abduxit, diverſionis quærendæ gratiâ.

31. Præter Viſitationis honorem à Danico Miniſtro Domino Ablegato exhibitum nihil memorabile accidit.

JUNIUS.

1. Unius circiter horæ ſpatio ab urbe Moſcua ad fluminis Jausæ ripam nemus viret, ad quod verno, æſtivóque tempore ſubſiſtentes, in Moſcovia Germani in dies ſingulos con-

fluunt.

Digitized by Google

ſluunt. Cuivis Germanorum cœtui certus & aſſidua frequentatione, quaſi diuturna poſſeſſione proprius locus eſt; nulla enim iis alia eſt diverſio animorum, quàm inter dumetorum caliginem, & amœniſſimam arborum viriditatem conſuetis innocentibus luſibus animas exhilarare. Menſas etiam inſtruunt alternante inter ſe ſumptuum præbendorum viciſſitudine. Hoc die Cæſareum rei tormentariæ Colonellum de Grage ordo tetigit, à quo humaniter invitati gentilis recreationis gratiâ perfrui libenter annuimus.

2. Venetiis intra octo ſeptimanarum ſpatium Bojarini Szeremotow famulus cum diverſis litteris Moſcuam advenit.

Baro de Burchersdorff Architectus bellicus ab Auguſtiſſimo Imperatore Tzareæ Majeſtati ſubmiſſus, Kneſium Alexium Simonowiz Schahin militiæ Tzareæ Generaliſſimum convivio excepit. Rovel verò etiam Architectus bellicus Sponſalia cum quadam filia viduæ Monſianæ ſolenniter celebravit. Quibus Dominus Ablegatus interfuit, omnibus præſentibus per ejusdem tubicines ad inſolitam hilaritatem excitatis.

3. Architecto bellico Laval in vinculis conſtituto ſucceſſurus Baro de Burckersdorff, iter Azowium cum tribus Officialibus ex aula Ablegati Danici aggreſſus eſt. Eadem occaſione utebatur Miſſionarius Caſagrande Veroniſcham profecturus; cui D. Ablegatus de rebus ad iter neceſſariis liberaliter providerat. Hic D. Ablegato & Officialibus eò difficiliùs, tantóque majori doloris ſenſu valedicebat, quantò crebrioribus congrui honoris & benevolentiæ officiis ab omnibus fuerat honoratus. Illud quoque animi ægritudinem adauxerit, quòd jam tunc frequenti ominatione ſibi ultima fata inſtare præſagiebat, dolebátque morte prævento occaſionem ampliùs non fore, D. Ablegatũ cæterósq; itineris ſocios denuo videndi. Nec vanus augur erat, de ejus autem è vita diſceſſu inferiùs edocebo.

4. Jubente Tzareo Miniſterio Diacus Boriſius Michalowiz ad Dominum Ablegatum rediit, & prævia ſalutatione nomine primi Miniſtri depoſitâ Bojarinorum concluſum aperuit de Domino Ablegato, quod conſuetæ ſuſtentationis rationem attinet, Domino de Bottoni æquiparando. Addens etiam apprehendere Miniſterium, id tertia jam vice ab ipſo

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe recuſatum; cur primus abolere moliretur, quod inter Auguſtiſſimum Imperatorem & Sereniſſimum Tzarum continuâ aliquot ſæculorum laudabili conſuetudine firmum, & ſanctum fuiſſet. Obtentui autem iſti aliæ rationes ſuberant; videbant eodem tempore magnam Tzari Legationem, & ex abundanti tertium Oratorem apud tractatus pacis ultronea liberalitate ab Imperiali Camera honorificentiſſimè ſuſtentatum; erigendi pacti inſuper mentionẽ ingerebat D. Ablegat9 quo ſolita ſuſtentationis ratio aut penitus aboleri, aut certa quantitate definiri poſſet, quid ablegandis deinceps utriusque gentis Miniſtris primi & ſecundi ordinis foret ſubminiſtrandum; ſed id ipſum Moſcos offendit, novis pactis veteri conſuetudini quidquam poſſe derogari.

5. 6. Liberæ ſuſtentationis locò exteris Miniſtris dari ſolitæ prima vice Domino Ablegato à Tzareo Miniſterio pecuniæ ſubmittuntur.

7. Dominus Miſſionarius Cæſareus Franciſcus Xaverius Löffler ex Veroniſcha ubi Italis Sacramenta adminiſtraverat, media nocte reverſus eſt, ejus locum replebit, quem tertiâ hujus cum Barone de Burchersdorff abiviſſe dixi.

Conſilium bellicum habitum à Bojarinis in loco uno milliari ab urbe Moſcua diſſito.

Commodiſſimus ad iter faciendum currus, cum pleno ſex equorum tractu & pulcherrimis ornamentis, phaleris & tegumentis pretioſa arte laboratis â Domino Ablegato ad primum Miniſtrum ita exigentem miſſus, non ignaro, eos ad ſtabulum ſuum nunquam redituros.

8. Abſoluto in Slowoda miſſæ Sacrificio Dominus Ablegatus à Domino Guasconi mercatore Florentino lautiſſimo prandio exceptus eſt. Quocum pariter invitati diſcubuerunt D. Colonellus Grage, ac Doctores Carbonari & Zoppot cum quatuor Miſſionariis Cæſareis.

9. Quemadmodum Dominus Ablegatus ſummam Clementiſſimi Domini Principalis ſui reputationem omnibus privatis commodis longè antetulit; ita ex eo die, quo Moſcuam publicè ingreſſus fuerat, liberam quotidie tabulam præbuit iis, quos Natalium ſplendor, aut officii dignitas, à cætera plebe diſtinctos ejusdem familiari converſatione dignos reddiderat. Tzareus Medicus D. Zoppot hodierno noſtro prandio intererat cum Colonello de Grage, & aliis pluribus. Huius

famu-

Digitized by Google

famulum ad debita obſequia venientem milites cuſtodiæ noſtræ aſſignati falso prætextu ſuum ad conclave vi rapiunt, & verberibus in illum animadvertunt. Indignatus Dominus Ablegatus cuſtodes milites, qui in hoſpites ſuos aut eorum domeſticos id auderent, jubet militem, quem percuſſus famulus præcipuum notâſſet arreſtari, interea verò, quod accidiſſet, primo Miniſtro & Dumnio Ukrainzow per Secretarium ſignificat; ſatisfactionem ſe propria authoritate facilè quæſiturum, ubi Miniſterium rem inutili cunctatione differre cogitaret. Verùm conſiderata quærelæ noſtræ æquitate altero manè plena ſatisfactio ſubſecuta eſt; ad centum baculos (batoccas vocant) damnatus miles debitas temeritatis ſuæ pœnas dedit. In Germanorum ſuburbio non procul ab Eccleſia Catholica duæ domus incendio conflagrârunt. Hodie primus de rebellione Streliziorum incerto rumore terror.

10. Diebus rogationum (ſt. vet.) conſueverunt magni Moſcoviæ Duces Droizam, id eſt Monaſterium ſanctiſſimæ Trinitati dedicatum, ſolenni proceſſione inviſere, ea quidem devotione, ut dicto Monaſterio ad unum milliare accedentes, curribus exiliant, reliquum itineris pedites facturi. Quæ reverentia ſingularis ſepulto ibidem præcipuo Ruthenæ Eccleſiæ ſancto Sergio debetur. Ideo Tzariſſa, ne quidquam omitteret, quod priſca fides & pietas videbatur exigere, cum Tzareiwizio (hoc nomine Tzari maſculam ſobolem indigitant) nobilibus, multóque cuſtode milite ſtipata, pia peregrinatione hac voluit defungi.

Dominum Ablegatum Danicus viſitat, & familiarior factus, multùm conqueritur, quòd in curiali viſitationis ſolennitate Poloniæ Ablegato fuerit poſtpoſitus; ſibi enim præcedentiæ prærogativam meliùs competere; cùm Rex Daniæ Regio ſanguine oriundus, Jure hæreditario in ſceptrum avitum ſuccedat; Polonorum autem Rex electionis ſuffragiis modò ad illud faſtigium evehatur. Cujus argumenti eum citiùs non puduit, quàm à Domino Ablegato Cæſareo intellexiſſet eo nimium probari.

11. Kneſio Feudor Jurowiz Romadanowski electorum reginimum Generali actæ per Secretarium gratiæ, quòd militis anteheſternam audaciam caſtigare voluerit.

12. Degentes in Moſcovia Catholici majoris convenientiæ gratiâ (uti jam dixi) in obeundis anni feſtivitatibus cum Ruthenis aliísque vetus Calendarium ſequuntur; ea de ratione cum iiſdem feſtum glorioſæ Aſcenſionis Domini hoc die celebratum.

Cæſareus rei tormentariæ Colonellus de Grage citabatur ad Pricaſſam (Cancellariam) cui mandabatur, ut naves mortariis inſtrueret.

13. Feſtum Divi Antonii de Padua ſolenniter celebratum, ortum inſequenti nocte funeſtum iterum incendium ſeptendecim domos exuſſit.


14. Alia iterum conferentia in domo Dumnii Ukrainzow inſtituta. Poſtulata denuò DD. Miſſionariorum dimiſſio, quos Sacra Cæſ. Majeſtas ad humillimas eorum preces poſt quinquennales labores in vinea Domini poſitos clementiſſimè revocaverat, ad primi Miniſtri ex prædio ſuo reditum dilata eſt.

Quòd etiam Aula Cæſarea pacis conditiones à Porta Ottomanica per Angliæ Ablegatum D. Paget propoſitas cum Cæſareis ad Reges Angliæ, & Poloniæ, ac Generales confœderatarum Belgii Provinciarum Status datis literis, quas Excellentiſſimus Comes de Kinsky ad Angliæ Ablegatum deſuper exaraverat; tam amicè communicaſſet, Suæ Tzareæ Majeſtatis Miniſterium præter debitas, quas idcirco ageret gratias, amanter interpretari. Cuilibet fœderatorum enim vigore tertii triennalis colligationis articuli licitum eſſe, oblatas honeſtæ pacis conditiones audire, & de iiſdem tractationem inſtituere, ea ſolummodo lege, ut de propoſitis conditionibus reliquos fœderatos ſinè mora edoceat, ſimúlque omnes eo tractatu comprehendat, & includat, nec non omnia quæ aguntur, communicet. Aliàs namque nulla aut parva pacis obtinendæ ſpes affulgeret.

Domino Ablegato deinde de expeditorum exercituum progreſſibus quærenti ſequentia manifeſtavit. Principem Dolgoruga & Coſſaccorum Campi-Ducem Maſeppam 25tâ. Maii Bialogrodio diſceſſiſſe, & contra hoſtem retro Oczakow jam omnia infeſtantem terrâ, maríque in occurſum properâſſe; Belli-Ducem Soltikow verò extra Azowium ad Ingulez ſua caſtra locâſſe; ut irruptiones omnes impediret, & data occaſione cum hoſte victorioſè confligeret. Verùm multùm



Digitized by Google



Digitized by Google

tùm erraret, qui ſingula Moſcorum dicta ad rerum geſtarum veritatem exigeret. Hoſtium clades, ſuorum triumphos mentiri nôrunt. Tam felicis ingenii & Martis ſunt.

15. Dominus Generalis de Gordon omnes exterorum Principum Repræſentantes convivio excepit.

16. Circa ſeptimam & octavam matutinam exitiali incendio multæ ædes perierunt. Inventi etiam publicis in plateis duo Moſci, quibus capita nefando crimine erant abſciſſa. Noctis potiſſimùm tempore incredibilis latrocinantium multitudo graſſatur.

17. 18. 19. His diebus omnes anno evoluto quomodocunque juſtificati aut latronum inhumanitate occiſi, ſepulchro donantur; ſi excipias illos, quos læſæ Majeſtatis enormitas in perpetuam flagitii infamiam infamibus palis affixit.

20. Nocturna Bojarinorum concilia de ſedanda rebellione Streliziorum ſunt celebrata.

21. 22. Poloniæ Ablegatus Cæſareum & Danicum Repræſentantes, Generalem de Gordon (quem tabulâ relictâ ſingulis valedicere, & in occurſum rebellium properare oportuit) Commiſſarium Daniæ, Colonellos Blumberg & Grage, præter plures alios habuit convivas.

23. Moſcoviæ Metropoli appropinquare dicebantur rebelles, idcirco Campi-Dux Schahinius & Generalis de Gordon cum ſex millibus equitum, & duobus millibus peditum adversùs illos expediti.

24. Duo Moſci, qui non ita pridem herum ſuum quendam Germanum Colonellum Locumtenentem ſpe expilandæ ejuſdem ſuppellectilis nequiſſimè interfecerant, non procul à Germanorum ſuburbio ad viam publicam ſuſpendio ſunt puniti.

25. 26. 27. Tzareiwizius ob proximiora indies rebellionis pericula iter ſuum paravit ad Droizam, Monaſterium duodecim milliaribus Germanicis à Metropoli Moſcua diſſitum, quod validiſſimi munimenti inſtar, regnanti moderno Tzaro in periculoſiſſimo Streliziorum tumultu ſecuritatis aſylum præbuit.

 28. Pri-

Digitized by Google

28. Primus Miniſter Tzareiwizium cum Matre ſua Tzariſſa aliquot diebus in bonis ſuis liberaliſſimè tractat, variis diverſionibus ſumptuosè inſtitutis, quæ digna Regio Principe erant.

29. Lætum advenit nuncium rebelles eſſe victos ad Monaſterium Sacro ſanctæ Reſurrectioni dedicatum vulgò Jeruſalem dictum.

30. Dominus Ablegatus ad quoddam Monaſterium Monialium in urbe ſitum, in quo de Bojarini Szeremotow familia Abbatiſſa eſt, invitatus ſeceſſit. Bellaria autem quæ pro conſuetudine ſua obtulerant, erant nuces & cucumeres. Aliquot tamen veterrimi vini ſpecies proponebantur, quibuſdam monialibus reverenti cultu inſervientibus, & Dominum Ablegatum, ut ſæpius ad ſe rediret, civiliſſimè invitantibus.

JULIUS.

1. Apud primum Miniſtrum in Bebraſchentsko ſub tentoriis commorantem per Secretarium de dimittendis Miſſionariis Cæſareis inſtantia facta eſt. Cujus prandio interfuerat Dominus Ablegatus Poloniæ, monſtraverátque acceptas à Sereniſſimo Rege ſuo litteras, quæ laudata Cæſarei Ablegati dexteritate, repræhendebant facilem ejuſdem extraditionem Regiarum Credentialium. Templum Catholicum nimis anguſtum Dominus Ablegatus ſuis ſumptibus fecit in formam ampliorem extrui.

2. 3. Feſtum Corporis Chriſti ſolenniſſimè celebratum. Inſtituta proceſſione circumferebatur ſanctiſſimum, quatuor Evangelia ad totidem altaria decantata D. D. Cæſareo, Polonóque Ablegatis cum ſplendidis ſuis comitatibus præſentibus, & primi Muſicis ſuavi harmonia diei ſolennitatem concomitantibus.

4.5. Primus Miniſter Secretario dimiſſionem D.D. Miſſionariorum Cæſareorum denuò ex mandato urgenti, reſpondebat, ſe capitis periculum incurrere, ſi ſinè expreſſo Tzari mandato illos dimitteret. Scripſiſſe autem interea Tzaro, & poſt quatuordecim dierum decurſum exſpectare reſponſum. Objecta deinde pertinaci Credentialium retentione locò ſollicitatæ expeditionis Secretarium cum tribus pomis citrinis domum

Digitized by Google

domum remittit. Eodem tempore quidam ex Curlandiæ Baronibus de Blumberg Bojarinum hunc ambabus manibus ad terram demiſſis more Rutheno venerabatur.

6. Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Frater Pater Petrus Paulus Palma de Artois, Archi-Epiſcopus Ancyranus, in Regnis magni Mogol, Golgonda, & Idalkan Vicarius Apoſtolicus, cum Presbyteris, Capitaneo Veneto D. Molinos, Medico, horologiario & aliis quibuſdam perſonis Moſcuæ advenit.

7. 8. Quoniam Dominus Archi-Epiſcopus heſterna adhuc die adventûs ſui notitiam per Capitaneum D. Molinos dederat; non intermiſit etiam D. Ablegatus Cæſareus reciprocis civilitatis & de felici adventu gratulationis officiis per Secretarium defungi. Dominus Archi-Epiſcopus à Tzarea Majeſtate adhuc in Hollandia commorante, faciendi itineris ſui neceſſitate propoſita, id impetraverat, ut Kneſio Boriſio Alexiowizio Galizin Regnorum Caſani, & Aſtrachani Vice-Regenti litteris mandaretur; Dominum Archi-Epiſcopum, ubi Moſcuam attigiſſet, decenti non tantùm benevolentia ſuſcipere, ſed inſuper ad fines Perſiæ uſque ſecurè conducere, ſumptibus Tzareis liberaliter tractandum, quamdiu eundem in Tzareæ Majeſtatis Regnis & Provinciis transeundis verſari contingeret. Idcirco Galizin Tzareo mandato ſatisfacturus, eidem, curribus, & equis ſuis, cum omnibus, qui eundem in Moſcoviam ſecuti fuerant, in palatium ſuum introducto, aliquas cameras dedit, quoad Moſcuæ permaneret, incolendas.

9. Dominus Ablegatus Dominum Archi-Epiſcopum decenter viſitare conſtituerat, quia verò ambigebat, utrum ſolita viſitationis ſolemnitas loco, tempori, & habitationis anguſtiæ conveniret, expediebatur Secretarius, ut prævia humanitate intentionem Domini Ablegati exponeret, & ſciſcitaretur, quo potiſſimum modo viſitari vellet. Etſi verò Domini Ablegati arbitrio relinqueret Dominus Archi-Epiſcopus, in minus ſolennem tamen videbatur inclinare; quæ etiam locum invenit.

10. In hodiernum diem octava Corporis Chriſti incidit. Quamvis Dominus Archi-Epiſcopus à Domino Ablegato ad eandem feſtivitatem oretenus invitatus, primò difficultatem moverit; ubi tamen remonſtratum erat, publicum hunc

Digitized by Google

actum, quem in ſe ſuſciperet, vergere in ſolennitatis augmentum, Catholicæ Communitatis ſolatium, & non dubiam plurimorum ædificationem, præfatus Dominus Archi-Epiſcopus, ne quid de tanta diei feſtivitate periret, pontificali ornatu conſpicuus voluit intereſſe. Neque Dominus Ablegatus Cæſareus ex parte ſua quidquam omiſit, quo diei ſanctitatem aſſerere, & debitam infulis reverentiam ab invidioſo acatholicorum contemptu poſſet vindicare, tribus curribus, omnibus ſejugis cum toto ſplendidiſſimo ſuo comitatu ad Principis Galizini ædes conceſſit, exceptúmque ibidem Dominum Archi-Epiſcopum per urbem & ſuburbia ad Templum Catholicum inſigni magnificentia deduxit. Ante Templi fores, quidam Miſſionariorum cum aqua benedicta opperiebatur advenientem, quam relicto curru Archi-Epiſcopus ſumpſit, & Domino Ablegato, dein Officialibus, atque omnibus adſtantibus impertitus eſt. facienti ad aram duo Domini Ablegati Officiales inſervierunt, hoc pelvim, illo manutergium ſuſtinente; poſt Miſſæ Sacrificium proceſſio in Templo inſtituta, & ad quatuor aras totidem Evangelia recitata ſunt, Domino Archi-Epiſcopo ſub læto, utì compellant; tubarum, tympanorúmque concentu Sanctiſſimum circumferente.

Pòſtquam his Sacris Deo decenter litatum eſſet, Dominus Ablegatus in totius Communitatis vices ſuccedens Dominum Archi-Epiſcopum cum Sacerdotibus ſuis, ſicut & Poloniarum Ablegatum cum Miſſionariis Cæſareis, aliíſque dictæ communitatis præcipuis viris ad prandium, iis convivis dignum, officioſè rogavit.

11. 12. Necdum ſolenni acceſſu Daniæ Ablegatus Dominum Archi-Epiſcopum honoraverat, veritus, utì videbatur ſe Romanæ Eccleſiæ Authoritatem agnoſcere, ſi infulam coleret. Dominus Ablegatus Cæſareus ſagaci animo inveſtigans, ſtatum morbi, quo Danicus laborabat, facili negotio deprehendit; medelam ſuggeſſit ſolertia, quendam inſtruit, qui id Danico pro nota capacitate referret, Dominum Archi-Epiſcopum non ſola Eccleſiaſtica dignitate fulgere, ſed ſublimi inſuper alio Charactere inſignitum eſſe; honores debitos exigere ultimum, quos primo fortaſſe reſpectui, licèt bene merenti, exhibere dubitaret. Fructuoſus abiit iſte labor; Daniæ enim Ablegatus depoſito errore decentia viſitationis officia non diutius diſtulit.

13. Do-

Digitized by Google

13. Dominus Archi-Epiſcopus ad prandium Principis Alexandri Petrowiz, cui cura navium impoſita erat, rogatus ſe contulit.

14. Viſitabatur à Domino Ablegato Cæſareo Dominus Archi-Epiſcopus, & hic viciſſim viſitavit Danicum Ablegatum, ejuſdem antehesterna officia reciprocaturus.

15. 16. Cùm animadverteretur, multos provectæ ætatis Catholicos Sacramento Confirmationis nondum eſſe initiatos, hominum ſolatio & animarum bono, ut in fide roborarentur, proficuum viſum, Dominum Archi-Epiſcopum eam functionem obire. Sex Sacerdotes tunc commodè aderant, qui diverſis Eccleſiæ miniſteriis defungerentur. Confirmatorum quinquaginta numerati ſunt. Excellentiſſimo Domino de Gordon Tzareæ Majeſtatis Generali Locum tenenti cum Uxore ad Sacramenti hujus perceptionem accedenti, Dominus Ablegatus Cæſareus adſtitit, munus Patris Spiritualis ſuſtinens, Dominus Ablegatus Poloniæ non impari promptitudine, cuivis roganti eadem exhibuit officia Chriſtianæ charitatis.

17. 18. 19. Mortui nepotis Domini Generalis de Gordon ducebatur funus. Quod DD. Ablegati Cæſareus, & Polonus rogati comitabantur. Apud Germanos in Moſcovia degentes mira conſuetudo invaluit, funera nuptiarum inſtar conviviis celebrant, ex convivandi compotandíque lætitia fortè dolori ſolatium quæſituri.

20. 21. Decretæ atque inſtitutæ ſunt in Arce Tzarea publicæ ſupplicationes, ut Divina bonitas imminentia inteſtini belli mala averteret, & Patriæ tranquillitatem conſervaret.

22. Ad Anniverſarium Natalis diem Auguſtiſſimæ Imperatricis feſtiva ſolennitate celebrandum Dominus Ablegatus nullis ſumptibus, nulli operæ parcebat. Omnes exterorum Principum Repræſentantes, Tzareæ Majeſtatis ſupremi bellici Officiales, quóſque vel memoria Germanæ originis, vel munerum quæ ſuſtinebant, dignitas ſupra plebem evexerat; utriuſque ſexûs gratiſſimi convivæ ad diei feſtivitatem confluxerunt; epularum magnificentia omnium animos admiratione ſuſpendit, id multi ſatìs extollere non poterant, invidioſa collaudatione aſſerentes; ſolius Cæſarei Miniſtri eſſe tantos ſumptus ſinè æmulatione profundere. Hoſpites

Digitized by Google

ſpites 24.erant;conſuetudo illa communis non omittenda eſt, quâ officiales & ſervi omnes ſagninandi ſunt, qui Dominos ſuos ad locum convivii ſequuntur.

23. Quidam ex domeſticis Domini Ablegati cum Moſcis in rixas prolapſi, à multo milite ad cuſtodiam rapiebantur; Officiales Germani autem, qui ad excubias ſtabant, intellectâ perſonarum qualitate omnes dimittunt; uno retento quem magna vociferatione Moſci rixæ authorem deſignaverant. Quem tamen Generaliſſimus Kneſius Feudor Jurowiz Romadonowsky, nocturnas ſtationes luſtraturus arreſto liberavit, eúmque ad palatium Legatorum cum militibus ſecuritatis gratiâ adjunctis conduci juſſit.

24. Etſi in heſterno tumultu res necdum ad nudi ferri furorem devenerat, erant tamen, qui id conquererentur. Vulnera oſtendebat Moſcorum aliquis falsíſque teſtibus levi pretio emendis contendebat, ab evaginato in ſe gladio remanſiſſe cicatrices, cujus falſitate veriori teſtimonio evidenter ante oculos poſita ſatis mirari non poteramus, corruptos populi mores, impunémque eſſe abominabilem mentiendi, pejurandíque conſuetudinem. Inter Moſcos falſos teſtes ubique quæres, ubique invenies; paſſim enim in Moſcovia tam perverſam rationem fortuna inſtituit, ut propè ſit ad egregii animi indicium poſſe fallere.

Cujuſdam Diaci (Cancellarii puta) Uxor columnas infames ante Tzaream Arcē Kremelin in ultima rebellione erectas, caſu tranſiens, affixorum miſerata vices vocem in talia ſuſpiria ſimpliciter laxaverat. O quis hominum novit, utrum ſontes an inſontes fueritis. Verba hæc ad ſe allata confeſtim alius tanquam non dubiam majoris mali ſuſpicionem ad Bojarinos detulit. Pericuoſa videbatur fœminæ pietas in damnatos & publicè reos. Quapropter ſinè mora cum marito ad inquiſitionem trahitur, ubi verò compertum, ſimplicem, fœminíſque conſuetum, pronum in miſeros affectum, nulla autem cogitatæ malitiæ indicia adeſſe, pœnâ mortis quidem abſoluti, exilio tamen mulctati ſunt. Sic ſimplex & innocens oris libertas caſtigatur, ubi ſubditi ſolo timore cöercentur in obſequio. Colonellus Locumtenens Narbekoff nuperæ ſeditionis reus cum 25. ſervis ad carcerem rapitur & torturam.

25.26.

Digitized by Google

25. 26. Tandem Dominus Diakus Ukrainzow, deſideratum ad ſe acceſſum, continuæ octo dierum efflagitationi Domini Archi-Epiſcopi ſed illubenter permiſit. Proxima contemptui exceptio palam docuit, Dominum Archi-Epiſcopum haud oportunè veniſſe ad Dumnium; neque enim domum ſuam,neque cubicula ſubeunti,in occurſum properavit, neque primam ſedem obtulit, quam prior ipſe, laſſitudinem cauſatus, ſtudioſè occupaverat. Neſcio an in æmuli ſui Galizini invidiam: ægerrimè enim tulerat, Dominum Archi-Epiſcopum Principi Galizino paſſum ſuum & litteras primùm extradidiſſe, neglectam querens Cancellariam Legatoriam, cui, terras Moſcoviæ tranſituri, atque omnes peregrè advenientes, præcipuè aliquo dignitatis charactere inſigniti, primæ requiſitionis honorem deberent. Ex illa enim emanare mandata in Waywodas, & Vices-Gerentes, ut tranſeuntibus de viarum commodis, & ſecuritate proſpicerent. Princeps autem Galizin Caſani, & Aſtrachani Vice-Rex nullam à Cancellaria Legatoria dependentiam agnoſcebat. Quo ſæpe fieri aſſolet, ut immerentis injuria duorum ambitioſæ æmulationi evadat victima.

Abſoluto hodierno prandio Dominus Ablegatus cum maxima comitatûs ſui parte ad Principem Galizinum ſe contulit, ut ſolenni viſitatione, & familiariori Principis alloquio frui poſſet. Curioſa fuit humanitas, qua Muſicis ſuis, natis Polonis, ut præſentes diverteret, varios concentus imperavit, præterea multùm obſecrans, ut Dominus Ablegatus ad prædium ſuum concederet, quo Dominum Archi-Epiſcopum ante plenam ejuſdem in Perſidem expeditionem perducere, & recreare cogitâſſet; varia vini genera adferri juſſit, ut opulentiæ ſuæ vires oſtenderet. Duo Principis filii præſenti Domino Archi-Epiſcopo, & Domino Ablegato jubebantur inſervire, verè in teſtimonium ſuperbæ humanitatis. His ſocium addiderat juvenem quendam Principem Tzerkeſſium non ita pridem parentibus ſuis Tzereaſſiorum Tartarorum Principibus furtivo violentóque conſilio ereptum, & baptizatum. Quem ditiſſima quædam familiæ Galizinæ vidua in ſolatium paternæ hæreditatis,quam furtivè Patri ereptus amiſerat, hæredem nuncupavit. Juventutis hujus inſtructorem Polonum habet, linguæ latinæ addiſcendæ modò operam navant; Galizinorum modeſta apparebat

Digitized by Google

indoles; Tzerkeſſii econtra, generoſus, conſtánsque vultus, bellicoſi animi index videbatur, in quem erat genitus. Omnes nos demum attonitos tenuit Principis Galizíni atrox in Pædagogum invectiva & comminatio: Tu mei, meorúmque proditor, cur domûs meæ ſecretum propalare, & juratam ſilentii fidem audes violare? Noſtine Galizinum, penes quem ſtat te ſuſpendere, & ſic (manus comprimebat) conterere, magnum ſcilicet eſt etiam domûs tyrannum eſſe.

27. Dominus Archi-Epiſcopus plenè expeditus, diſceſſum ab urbe in ſupradictum prædium auſpicatus eſt; præter navim omnibus neceſſariis inſtruendam centum Rublos & tria Zebollinarum paria donaverat Tzarus, his ipſe Galizin ex propria liberalitate centum aureos addidit.

28. Princeps Galizin Dominum Ablegatum ante biduum rogaverat, ut ſe in prædio ſuo non gravaretur inviſere; hanc ob cauſam, & ut oſtenderet, eam Principis propenſionem ſe magno in pretio habere, illuc iturus, cum diluculo itineri ſe dedit. Dobroviza prædio nomen eſt. 30. verſtis, aut ſex milliaribus Germanicis diſtat ab urbe. Camporum planities, magna ſui fœcunditate commendata, amœnam & facilem effecit profectionem; prandii tempore locum attigit, cùm ipſe Princeps adventum noſtrum opperiturus cum Domino Archi-Epiſcopo in ſummitate templi, ſuis ſumptibus magnificè conſtructi, omnia ſpeculabatur. Coronæ ſpeciem templum exhibet multis figuris lapideis, quas Itali efformant artifices, foris ornatum. Exacto, quod multis impenſis cumulaverat, prandio, colloquendi ſuavitas, in jucundiſſimi horti ad voluptatem extructo cubiculo ſermones ad veſperum uſque extraxerat, donec cœna famulorum officiis interea parata ad ſe vocaret convivas.

29. Domino Archi-Epiſcopo, & Principe Galizino poſt auroram ſalutatis, reditus noſter Moſcuam maturabatur; Dominus autem Archi-Epiſcopus iſto ex loco iter in Perſidem aggreſſurus, poſtquam ambo valedictione defuncti eſſent, perſiſtebat in prædio. Quotquot in Principis ſervitiis conſtituti erant, eos ſeorſim omnes conſueta liberalitate remuneratus eſt Dominus Ablegatus, cujus frequentiorem reditum omnibus fortè votis expetierunt.

30. 31.

Digitized by Google

30. 31. Natalis Domini Ablegati domeſticis ſuis occaſionem, & anſam præbuit feſtivæ aggratulationis. Ad grande convivium, quod Daniæ Ablegatus paraverat, Dominus Ablegatus noſter rogatus, conceſſit, coquendis aſſandísque ferculis ita fervebat culina, ut caminus flagrare, & in flammas abire inceperit; incendium tamen domeſticorum labore adhuc in nativitate ſua ſopitum. Primæ noctis tempore Muſici noſtri domeſtici tubis, tympanísque clangentibus, & amœniſſimâ inſtrumentorum diverſimode concertantium ſymphoniâ ſuam erga Dominum Ablegatum devotionem ſtudiosè demonſtrabant, totam latè viciniam ad inſuetam tenebris alacritatem ex plumis ſuis evocantes.

AUGUSTUS.

1. Dominus Ablegatus Poloniæ quendam Tzareæ Majeſtatis translatorem vi ad ædes ſuas pertractum, obtentu dicti cujuſdam injurioſi, per Tzareos milites cuſtodiæ ſuæ datos horrendum in modum baculis cœdi juſſit, quod Miniſterium Tzareum acerbè ferens, cùm aliter ulciſci rem non poſſet, aut fortè nollet, pecuniam liberæ ſuſtentationis locò dari ſolitam, ex eo tempore eidem ſubtraxit.

2. 3. 4. 5. Quidam ex ſtabulo noſtro poſtquam omnibus Sacramentis ritè munitus eſſet, febris malignæ calore extinctus.

6. In Slowoda Germanorum ſuburbio unum cœmeterium omnibus advenis cujuscunque religionis commune eſt. Illuc heſterni defuncti famuli noſtri ducebatur funus currui impoſitum; humandis autem mortuorum cadaveribus certi homines conſtituti non ſunt, his ſuccedit aliorum pietas, qui ſuo exemplo cæterorum advenarum quoque officia, fors in ſimili occaſione reciprocanda, ſibi devinciunt. Officiis divinis ipſemet Dominus Ablegatus in perſona interfuit. Hoc die ad opulentum epulum à Vidua Monſciana inſtructum Dominus Ablegatus invitatus conceſſerat; filiæ precibus negari non poterat, quin tota noſtra muſica ex mandato Domini Ablegati ſe eo conferret, omnes convivas in multùm noctis exhilaratura.

7. Herì ſepulto ſolennibus exequiis parentavimus. Poſt Officium Defunctorum Miſſæ ſacrificium pro animæ æterna

requie Deo immolatum eſt. Multus imber, horrenda cum fulgure tonitrua, ſublata diei ſerenitate tempeſtatem conciverunt.

8. 9. Dominus Ablegatus contractæ cum Dumnio Ukrainzow familiaritatis jure eum inviſit. Sequens diſcurſûs materia erat, quòd Dolgoruga, & Maſeppa cum exercitibus ſuis in anteriori Boryſthenis ripa ad Aſlan, & Precopp proficiſcantur. Hinc Turcæ cum ſexaginta navibus Oezacowium præternavigârunt, & in Boryſthenis oſtio ſubſtiterunt, ut vel Oezacowium defenderent, vel Tawan inſultu tentarent. Præterea in rapidis Boryſthenis vorticibus magnam annonæ jacturam feciſſe Moſcos, quidquid enim ex Kyowia, Ukraina, & Ruſſia in proviſionem Inſulæ Tawan, & ipſiusmet agentis exercitûs devexerant, naufragio periiſſe, Campi Ducem Soltikow, quamprimùm ad paludem Mœotidem venerant fortalitium Paolowsky ab architecto bellico D. Laval anno elapſo inchoatum, penitus deſtruxiſſe, locò hujus verò in ſecuritatem portûs aliud ædificari mandâſſe ubi flumen Myos in Mœotidem ſe exonerat.

10. 11. Moſcis vetus Calendarium ſequentibus primam Auguſti hodierna dedit dies. Præcipua diei hujus feſtivitas eſt fluvii Neglinæ Moſcuam interſecantis benedictio; ſolennis proceſſio ad aquam ducitur, in qua potiſſimam partem Poppi numeroſiſſimè confluentes obtinent. Semskoy (ſunt ſervi, quorum operâ in culinis uti ſolent) ſcopis inſtructi antecedunt, ſuccedunt milites, albos baculos manibus geſtantes; illi, ut plateam à ſordibus immunem faciant, iſti ut populum ſpectandi avidum, fortè importunè irruentem arceant à Clero. Ante Crucem ingens portabatur lucerna, tribus in ea accenſis luminibus; indecens enim credunt, Crucem ſinè lumine geſtari. Aliqua fluminis parte cancellis incluſa, in amœniſſimi fontis ſpeciem ſtructuram collocant, hanc Clerus ſubit, & omnes ejuſdem angulos implet, multis cereis accenſis, ad ſolitas preces deſcendunt; quibus finitis, fontem benedictione, incenſo, & ardenti cereo ter fonti immerſo luſtrant. Patriarcha deinde ramum luſtralibus undis rorantem manu prehendens, atque adſtantes omnes eodem aſpergens ſolennitati coronidem conſuevit imponere. Quo munere hodierna die Metropolita Krutizky, Patriarchâ adverſa valetu-

letudine impedito, functus eſt; hanc ſolennitatem Dominus Ablegatus cum officialibus ſuis ex Cancellaria Legatoria inſpexit. Re ſic peracta & Poppis ad templum ſuo ordine redeuntibus utriusque ſexûs homines ſe catervatim præcipitârunt,in flumen, térq; capita undis benedictis immerſerunt; credunt enim eas efficacis eſſe tutelæ, & toti corpori conciliare ſanctitatem. Vulgi ſcilicet eam opinionem eſſe dico, quod in Moſcovia ſola regitur ſuperſtitione. Incipit Ruthenorum jejunium, quod vocant die Aepffel-Faſten / & durat uſque ad Feſtum Aſſumptionis.

12. Oſtendit Dominus Guaſconi faſciculum litterarum, in quibus inepta multa & incondita, ſinè lege, ſinè modo, ſinè ratione conſcripta authorem laborantis ingenii, & non ſanæ mentis indicârunt, conqueſtus inſuper, eâ, quæ modò anteceſſerat, nocte hunc in ædes ſuas injectum; injicientes verò magno tumultu detonuiſſe ad ædium fores, juſſiſſéque intromitti, ſe enim domeſticos eſſe. Sed in Germanorum ſuburbio periculoſa eſt ſimiliter deſipientium temeritas.

13. Domini Generalis de Gordon filius natu maximus Catholicus cum UxoreCatholica ex Scotia hìc advenit.

14. Dominus Ablegatus Daniæ conſiderato prægnantis Uxoris ſuæ utero quotidie magìs ingraveſcente, ne in caſu enitendi fœtûs muliebre auxilium ex Slowoda eandem deficeret, requiſivit Miniſterium, ut ex ſingulari favore tempore tam neceſſario Urbis porta aperiretur; ſed recuſavit id Romadanowsky, à ſe amovit Dumnius Ukrainzow.

15. 16. Apud Ruthenos iterum ſolennitate ſpeciali omnes terræ fructus benedicebantur.

17. 18. Funus cujuſdam Bojarini è Regione Aulæ Legatoriæ mortui ante conſpectum noſtrum prætervehebatur; ubi Uxoris, aliarúmque conjunctarum dolorem multæ mulieres conductis violentísque lachrymis adjuverunt.

19. Domino Ablegato litteræ Viennenſes afferebant, magnam Legationem Moſcicam apud Aulam Cæſaream glorioſa deprædicatione promulgâſſe eximiam de Tartaris obtentam victoriam; ſub alio itaque prætextu conferentiam poſtulabat, Miniſterio in eadem proponens;ambosDominos Monarchas concluſi nuper fœderis tenorem ad omnia proſpera, & adverſa fideliter communicanda obligare; ſibi idcirco materiam datam eſſe, de infelicitate ſua conquerendi, quòd ſibi

Digitized by Google

de proſperis Moſcicarum expeditionum ſucceſſibus nihil communicent; maximè cùm aſſertum fuerit, profligatis, cæsisque Tartaris, quadraginta equorum millia in prædam & ſpolium exercitibus ceſſiſſe. Inſperata hæc propoſitio Miniſtros, & Cancellarium, quid reſponderent, diu dubios, & ſuſpenſos tenuit; tandem revocato animi conſilio Dumnius ita exorſus eſt: ante Domini Ablegati adventum eam Moſcis Victoriam à Deo datam eſſe. Quidquid ſit, nemo militum, qui in caſtris fuerant, de ea victoria vel minimum ſcire, aut narrare poterat. Unde colligo, eam inviſibilem & abſolutè myſterioſam fuiſſe.

20. 21. 22. Chryſoſtomus Vögelein in officium translatoris acceptus in Cancellaria Legatoria Miſſionario Cæſareo D. Emiliani formulam prælegente juramentũ fidelitatis præſtitit. Bis erectus ad imaginem Ruthenicam cereus, bis iterum delapſus eſt; placuit aliquibus id in venturorum omen accipere.

23. 24. 25. Quidam Germanus Vexillifer ejurato Lutheraniſmo, & fidei Catholicæ Profeſſione publicè facta ad ſacram ſynaxin acceſſit.

26. Magnum in urbe incendium ultra centum domos redegit in cineres.

27. Audito Tzari reditu Bojarini attoniti ſingulis diebus bis concilia frequentabant.

Mercatorum ſervi ex tabernis ſuis ad Pricaſſam vocabantur, ut Kopikas, parvam monetam, quæ Moſcis una eſt, numerarent, ſegniores aut minùs accurati inventi batoccis puniebantur.

28. 29. His diebus aliquot ſcribæ ex Pricaſſa apud alterum quendam ſcribam cum uxoribus ſuis convivabantur; placuit pulcherrima hoſpiti, qui aliis convivium inſtruxerat; hinc ex fraude, quam corde meditabatur, omnes, maximè fœminas, vino inebriare laboravit. Adverterunt fallax conſilium reliqui, & hoſpitis uxori, apud quem bacchabantur, pari dolo largis poculis propinabant. Omnibus vino marcidis, & ad terram procumbentibus, ut primùm hoſpes amore exæſtuans, quo ſe pulcherrima reclinâſſet, notaverat, tanquam ſic meliùs quietem capere poſſent, lumen extinxit, & cæteros ſuperſtites mares ad aliud cubiculum, & nova poculorum certamina invitavit. Omnes vino ebrii redierunt ad conclave, ubi dixi fœminas procubuiſſe. Hoſpes ad locum digreditur,
in

Digitized by Google

in quo ſe pulcherrima poſuerat, quæ autem ex oculis amorem, & laſciviam prodentibus, cogitationes ejus facilè conjectaverat, & illo hoſpite nequior, aut ſi mavis, religioſior, locum priorem non tantùm non reliquerat, ſed propriam inſuper hoſpitis uxorem ſubſtituerat. Hoſpes ſinè lumine fraudem mulieris detegere non poterat, prioribus ergo cogitationibus plenus, uxorem ſuam inſcius omnibus blanditiis demulcet, ac amoris indicia replicantem ultimo affectu complectitur; expleta libidine adhuc uxorem ſuam eſſe ignarus plures alios ad eadem commercia invitabat. Qui vino inſanientes facilè conſenſerunt; proditione, aut alio indicio re & fraude divulgata, hoſpes poſt convivii ſumptus riſu exploſus eſt; quòd non ſolùm ad cibum & potum, ſed & propriæ uxoris amplexus ſocios invitâſſet. Tantùm eſt, adulterium commiſiſſe, ut, quæ deploranda, rideant.

30. Decem perduelles inter Coſſacos ad Tanaim ſuſcitandi tumultûs cogitationem ſuſceperant, ut eo faciliùs ad portum Archangelicum penetrare, & naves ibidem diripere poſſent. Verùm à Colonello Mejer intercepti, & loris vincti Moſcuam perducti, delictum confeſſi, duo in fruſta diſcerpti, unus gladio, ſeptem ſuſpendio vitam finierunt.

31. Dominus Ablegatus Poloniæ accepit ex Lithuania: Dominum Oginski tres Colonellos, Poplauky, Godewsky & Luezko peremiſſe in duello; ultimum in fruſta diſſecuiſſe. Provocaverat quidem D. Oginsky juniorē Principem Sapieha, cujus vices tres modò nominati Colonelli ſubiviſſent. Viſo autem infelici ſuorum ſucceſſu milites ſuos ad Regis ſervitia miſiſſe.

SEPTEMBER.

1. In exteriori quodam munimento fortalitii Azow Commendans tormentum bellicum locaverat, appoſito vigili. Venit illuc qui circa Azowium, cum campi Duce Soltikow commendabat exercitum; cùm autem vigilem indormiviſſe adverteret, applicuit ſe tormento, illúdque cum ſuis abduxit, excubitore poſt tantos tumultus ſomnum nondum excutiente. Quo intellecto Commendans ſeu Waywoda Azowii Moſcuam ſcripſit, & inſtitutâ vehementiſſimâ querelâ, eum, qui tormentum cum ſuis abduxerat, furti accuſavit; utì quidam fide dignus ex Cancellaria mihi retulit. Triumphavit Waywoda in multitudine Patronorum.

Dumnio

Digitized by Google

Dumnio Ukrainzow per Secretarium gratiæ actæ ſunt, propter conceſſum liberum paſſum apportandi vini ex Archangelo, item pro promiſſa maturiori expeditione DD. Miſſionariorum; quam tamen magis percepto inſtantis Tzareæ Majeſtatis adventûs nuntio in acceptis habendam arbitror.

2. 3. 4. Quidam Capitaneus libidinoſi cum octenni puella commercii convictus, ultimo ſupplicio affectus eſt.

Dominus Ablegatus conferendi causâ Dumnium adivit. Gratiæ cumprimis repetitæ ſunt, pro conceſſo libero paſſu ad vinum, & res alias ad œconomiam neceſſarias ex Archangelo apportandas. Item pro expedita demum Miſſionariorum dimiſſione, quibus duodecim Potwodas, uſque ad Moſcoviæ, Lithuaniæve fines indulſerat. Ubi autem ad exercitum ſermo deflecteret, Dumnius ſic orſus eſt dicere. Dolgoruga, & Maſeppa ad Boryſthenem retro Oezakow ex parte inimica in Bialogrodenſes, & Crimenſes Tartaros cum Turcis ſub Seraskierio Baſſa conjunctos, ſe moverunt. Septimâ verò Julii conflixerunt cum illis ab ortu ſolis uſque ad meridiem. Vi tormentorum verò & munitionis gravioris Tartari cum auxiliaribus Turcis cedere compulſi ſunt. Cedente hoſtili exercitu Campi-Dux Dolgoruga filios ſuos Lucam & Boriſium cum duodecim millibus militum in hoſticum expedivit. Quo Tartari Patrii ſoli defendendi admoniti, ad ſua ſe receperunt; in latiſſima autem caſtrorum vicinia Principis Dolgorugæ, crebris Tartarorum incurſionibus omnia everſa, & exuſta ſunt. Rumor erat, adveniſſe quendam Moldaviæ Ablegatum, quod Dumnius acriter negat, tandem tamen fatetur: non Ablegatum, ſed Capitaneum huc veniſſe, nihil negotiari, tantùm rogare, ut Patriarchæ Moſcoviæ recommendetur. Moſcos inſuper Moldavo nunquam fidem adhibuiſſe. Moderno tempore quendam Moldaviæ Ablegatum ad Moſcica caſtra profectum, obtentu ferendæ ad Principem Dolgoruga officioſæ ſalutationis, ſed tanquam in arreſto detentum, ante præſentis expeditionis finem non dimiſſum iri. eodem prorſus modo Tzaream Majeſtatem edicto prohibuiſſe, omnem periculoſam cum Moldavis communicationem; vigore cujus Moldavis Sacerdotibus in Moſcoviam liberum ingreſſum ampliùs non eſſe, neque Moſcicis permiſſum in Moldaviam ſuo arbitrio eggredi, conſueta etiam Græcorum mercatorum commercia penitus fore ſublata.

Tzarea

Digitized by Google

Tzarea Majeſtas cum duobus ſuis Oratoribus Generali Lefort, & Feudor Alexiowiz Golowin, & aliquot aliis, quorum dignitas eminebat aut gratia, tempore veſpertino Moſcuam advenit. Sereniſſimus Poloniarum Rex conductorem dederat Generalem vigiliarum Præfectum Carlowitzium, qui cum quodam nobili Polono juvene, & apud Aulam Regiam gratioſo, Tzaream ſuam Majeſtatem ita benigniſſimè cupientem Stolizam uſque ſecutus & comitatus eſt. Non placuit tamen reduci ampliſſima Tzarorum Reſidentia Arx Kremelina, verùm poſtquam aliquas domos, quas multis Clementiæ ſuæ ſignis nobilitatas, præ cæteris habebat eximias, inſuetâ aliàs Majeſtati humanitate ſalutaverat, ad Bebraſchentsko digreſſus, inter milites ſuos in lateritia domo ſomno, & quieti indulſit.

5. Interea rumor urbem pervaſit, adveniſſe Tzarum; Bojarini, Moſcorúmque præcipui, tempore ſalutationibus maturo numeroſi eò confluunt, ubi Tzarum quieſcere conſtabat. Magna erat gratantium multitudo, ea obſequiorum promptitudine fidei intemeratæ conſtantiam ſuo Principi probatura. Etſi primus Orator Franciſcus Jacobeides Lefort eo die clientum ſuorum neminem ad ſe admitteret, obtentu laſſitudinis, quam tam longinqui, & aſſidui itineris mala cauſâſſent; nihilominus tamen Tzarea ſua Majeſtas, quoſcunque venientium ea alacritate ſuſcepit, ut ſubditorum ſuorum ſtudia videretur fuiſſe præoccupatura; qui Majeſtatem de more ſuo veneraturi in terram ſe demitterent, eos benignè ſublatos, quáque potuit prona, oſculo preſſit, ſolis privatis amicitiis debito. Si forfex in præſentium barbas promiſcuè graſſata illatæ injuriæ invidiam à ſe amoliri queat; habent ſanè Moſci, quod inter felicitatis ſuæ momenta numerent, eum diem ſibi illuxiſſe. Kneſius Alexius Simonowiz Schahin Tzareæ militiæ Campi Dux primus fuit, qui prolixioris barbæ impedimenta forfici ſubjecit. Neque eſt, quod infamiæ imputent, cùm ejus rei Authorem habeant Principem, cujus arbitrio aut mandato vitam conſecrâſſe, ſanctum & religioſum autumant. Neque ullus reliquis ludibrio exponitur; omnibus in eandem ſortem natis. Sola muneris ſuperſtitioſa ſanctitas Patriarcham, provectæ ætatis veneratio Principem Lekugowiczium Tzerkasky, & adminiſtratæ Tzareæ tutelæ honor Tichonem Nikitowiczium

K Stres-

Streſnow excuſavit. Cæteros omnes oportuit in exterarum gentium mores concedere, forfice veterem conſuetudinem eliminante. Inter ſermones de exteris, quos ſalutaverat Principibus, Regis Poloniarum mentionem cum honore intulit. Vos omnes & ſinguli (ita adſtantibus Bojarinis & Magnatibus ſuis loquebatur) eo uno mihi viliores eſtis, non conſiderato, quo ſortem veſtram egreditur, Regiæ dignitatis faſtigio, ſed ejus ſolius amore; quod privatorum animos perſæpe conciliat. Tantùm potuit tridui commercium, quo Regis familiaritate delectabatur. Ejuſdem arma adhuc glorioſè geſtabat, quibuſcum ſua permutaverat; ut palam fieret, pactæ ſuæ amicitiæ conjunctionem, nodo Gordio arctiorem coaluiſſe, nullo unquam enſe dirimendam.

6. Militares regiminum ſuorum exercitationes inſpexit Tzarus, primùm expertus, quantùm eæ turmæ diſtarent à milite; geſtus motúſque corporis ſuo facto præivit, propria inclinatione docens, quam corporum habitudinem ineptæ moles conarentur efformare; captus demum inconditæ multitudinis tædio, cum Bojarinorum grege ad convivium abiit, quod ab Oratore ſuo Lefort parari voluerat. Feſtivas propinantium voces admugientium tormentorum læti tumultus auxere, convivii gaudio in ſerum usque veſperum protracto. Tenebrarum igitur ſilentio uſus, cum fidiſſimorum pauciſſimis Arcem Kremelinam intravit, ubi, cum ſuaviſſima filii Principis impubertate Paternos affectus aliquantùm ſatiaverat, ter oſculo, multíſque aliis paternæ dilectionis indiciis relictis, ad lateritiam ſuam in Bebraschentsko habitationem ſe recepit, Tzariſſæ conjugis ſuæ conſpectum fugiens; quam jam adulto plurium annorum faſtidio averſatur.

Tzareum Miniſterium Domino Ablegato amicè inſinuari fecit, abſtineret pauliſper à publicis conventibus, neque domeſticis ſuis facultatem faceret nimiùm liberè domo exeundi; id conſuetudini dandum, ne conſervatâ hactenus magnâ, apud omnes ſui æſtimatione periclitaretur.

7. 8. Tzarea Majeſtas Sereniſſimam conjugem ſuam in peregrina domo, ſecreto quatuor horarum colloquio dignata fuiſſe dicebatur, ſed rumore falſiſſimo, maximè cùm alii veriſimilius referrent: fuiſſe Nataliam Tzari Sororem chariſſimam. A Domino Ablegato audientia poſtulabatur.

9. 10. Efflagitata iterum audientia promittitur brevì concedenda. 11. Pri-

Digitized by Google

11. Prima Septembris ſecundùm veteris Calendarii computationem Rutheni novi anni ſumunt auſpicia. à primis enim creati orbis incunabulis annorum ſuorum numerum ineunt. Moſcis aliàs dies hic celeberrimus extitit inveteratæ conſuetudinis ſolennitate. In Arcis Kremelinæ patentiſſima area Tzaro,& Patriarchæ duo ſolia ditiſſimè ornata extrui ſolebant; quæ hic Epiſcopali, ille regio cultu inſignis occupabat; ut veſtimentorum ſuperbus decor majorem venerationem conciliaret Majeſtati, quam absque hoc divinitatis inſtar populus ſuſpicit, cui rarò copiam ſui facere conſueverat. Poſt ceremonialem Patriarchæ Benedictionem Magnatum,cæterorúmque præcipuorum gratulantium vota adTzarum deferebantur,qui nutu,geſtúque gratias agens, quod ſibi bene precati fuerant, reciprocabat. Ceremonias haſce abſente Tzaro aliquot annis omiſſas tanquam exoletas jam & antiquatas non revocavit temporis noſtri ambitioſa novitas. Nimis religioſa viſa Proavorum devotio, quæ tot ſacris ritibus Majeſtatem permiſit alligari. Læta nihilominus anni inchoati auſpicia ſumpta ſunt, epulis apud Campi Ducem Schachin Regio luxu inſtructis. Bojarinorum,ſcribarum & bellicorum officialium incredibilis penè frequentia, ſervi etiam nautici magno numero coiverant; inter quos ſæpius immixtus Tzarus poma diviſit,& quemvis inſuper fratris compellatione honoravit. Viginti quinque tormentorum exploſio ſingulis feſtivis propinationibus ſignum dedit. Neque tamen tanta diei ſolennitas impedire potuit, importuni tonſoris officium, quo, ex conſtituto notus apudAulam Tzaream morio fungebatur; reluctari admoventi forficem nefas fuit; continua colaphizatione caſtigandum. Ea ratione inter iocos & pocula ab inſano & ridiculo quamplurimi admonebantur veteris deponendæ conſuetudinis.

12. Primus Miniſter Nareskin vocato ad ſe Domino Ablegato aperit, determinâſſe ſuam Majeſtatem Tzaream craſtina die eundem admittere ad audientiam.

13. Horâ quartâ veſpertinâ ſplendidiſſimo comitatu ad Audientiam conceſſimus. Erat illa iis in ædibus, quas ſuis ſumptibus magnificè extructas, Generali & Admirali ſuo Lefort interim dederat habitandas. TzareamMajeſtatẽ multiMagnates coronæ in modum cinxerant,quos inter omnesTzarus eleganti corporis, animíque magnitudine, in teſtimonium la-

 tentis

Digitized by Google

tentis Majeſtatis decorè eminebat. Primum Miniſtrum Nareskin, & Dumnium Ukrainzow officii ratio ſuo Principi propiùs admoverat. Majeſtatem decenti obſequio reveritis, gratioſus annutus benignitatem pollicebatur. Duas omnino Credentiales litteras Tzareæ ſuæ Majeſtati exhibendas ante ſe portari juſſerat Dominus Ablegatus. Primas Secretarius, ſecundas Miſſionarius D. Franciſcus Emiliani, ſuam utpote cauſam concernentes geſtabat. Has obſequiosa veneratione porrectas Tzarea manus dignanter excepit, ad cujus oſculum poſt Dominum Ablegatum omnes Officiales & præſentes Miſſionarii admiſſi ſunt; Curialibus deinde quæſtionibus de Auguſtiſſimi Principalis, & ſua etiam Domini Ablegati valetudine ſecutis, decentes reverentésque reſponſiones Audientiæ coronidem impoſuerunt.

14. Hymnus: (Te Deum laudamus, &c.) in templo Catholico ob felicem Tzari reditum inter tympanorum, tubarúmque clangorem decantabatur.

Tzarea Majeſtas ad magnum convivium ſuis impenſis à Generali Lefort paratum, omnes Repræſentantes, Bojarinos, alióſque munerum dignitate, aut ſua dilectione conſpicuos juſſit invitari.

Daniæ Ablegatus, quòd credentiales ſuas exigenti Miniſterio incautè extradiderat, fruſtra apud Tzaream Majeſtatem reducem audientiam ſollicitabat; adeò tamen apud Generalem Lefort ſe inſinuaverat, ut in ejuſdem ædibus ad Tzareæ manûs oſculum, antequam Tzareo convivio accumberet, fuerit admiſſus. Pari credentialium præmatura extraditione eidem ſorti ſe ſubjecerat Ablegatus Poloniæ; omni igitur ſpe audientiæ evaneſcente, ſaltem ad manûs oſculum admitti obſecrans, eo in parvo cubiculo voti ſui compos factus eſt, ubi poculorum, ſcyphorúmque ſupellex cuſtodiebatur. Daniæ Ablegatus multùm ſuæ gratulabatur victoriæ, potiorem loco ſe jactitans, quòd prior oſculi gratiâ fuerat. Ambitioſæ ob præcedentiam contentioni, cùm ùterque altero major eſſe vellet, indignatus Tzarus familiari Moſcis verbo uſus eſt, quo mentis vitium indicatur; Durackos compellans. Omnibus diſcumbentibus Tzarea Majeſtas Poloniæ calamitates ſimilibus exaggerabat: Viennæ bonis cibis pingueſcebam, ſed omnia rurſus abſtulit inops Polonia: regerit Poloniæ Ablegatus: mirari ſe, id Tzareæ Ma-

jeſtati

Digitized by Google

jeſtati contigiſſe; ſe ibi natum, educatum, & huc tranſiviſſe; pinguedinem tamen contraxiſſe (pinguis enim erat) cui Tzarus: non ibi, ſed hic Moſcuæ te ſaginâſti: alludens ad liberæ ſuſtentationis ſumptus, quibus à Tzaro ſuſtentabatur. Necdum convivium abſolutum erat, quando Tzarea Majeſtas à Campi Duce ſuo Schahinio, cum quo diſputando diſcurrebat ferYidiùs, plena furore, nemine quid pararet conſcio, loco exivit: compertum deinde ad examinandos milites diſceſſiſſe, ut ſe informaret, quot Colonellos, alióſque regiminum officiales ſinè conſideratione meritorum pro ſolo pecuniæ pretio dictus Campi-Dux creâſſet. Paulò poſt reduci iracundia ita creverat, ut evaginatum gladium, ante Campi-Ducis oculos ea comminatione menſæ affligeret: Sic feriendo regimen perdam tuum. Juſto furore exæſtuans ad Principem Romadonowski digreditur, & ad Dumnium Mikitim Moſciwiz; advertens autem hos excuſare Campi-Ducem, ita excanduit; ut iteratis nudi ferri incertis ictibus omnes convivas redderet attonitos: Kneſius Romadonowski digitum, alius caput levi vulnere dolebat afflictum. Mikitim Moſciwiz à revertente ab ictu gladio manu læſus; ictus longè funeſtior parabatur in Campi-Ducem, qui procul dubio ſuo in ſanguine fuſus Tzareæ Dexteræ ſuccubuiſſet, niſi Generalis Lefort (cui penè ſoli id licebat) Tzarum amplexu ſtringens manum retraxiſſet à vulnere. Verùm acerbè ferens Tzarus, aliquem eſſe qui juſtiſſimæ ſuæ iracundiæ exitum auderet impedire, vertit ſe continuò, & importunè impedientis tergus duro verbere afflixit; ſolus quippe medicinã adferre noverat, quo nemo Moſcorum propiori dilectionis gradu Tzaro admotus eſt; dicunt ab ima hominum ſorte ad invidioſæ potentiæ faſtigium evectum; is ita mitigavit animum, ut ſolis minis indulgens, abſtineret à cœde. Diram hanc tempeſtatem jucunda ſerenitas excepit; Tzarea namque Majeſtas vultu lætitiam præſeferente choreis interfuit, & in majoris alacritatis teſtimonium, eos muſicis imperabat modulos, ad quos (ſic inquiebat) apud amantiſſimum Dominum fratrem ſuum ſaltaverat; quando nimirum Auguſtiſſimus Hoſpes Sereniſſimos tractabat convivas. Duæ domicellæ ſe furtivè ſubtrahentes, juſſu Tzari, per milites reductæ ſunt. Iterum 25. tormenta celebrabant propinationes, jucunditate convivii ad mediam ſextæ matutinæ protracta.

 15. 16.

15. 16. Dominus Ablegatus ad Dumnium Ukrainzow, cum eo certis de momentis collaturus, ſe contulit, quem pariter adiêre Miſſionarii Franciſcus Xaverius Löffler, & Paulus Joſephus Jaroſch, de impetrata tandem dimiſſione gratias acturi.

17. Circa horam ſecundam venit Priſtavus indutus pellicium viride ex Serico & Zobellinis, quale ex theſauro Tzareo tanquam ex recondita penu in obeundis ſimilibus functionibus cum reſtituendi obligatione accipiunt. Hujus comites erant culinæ & cellæ Tzareæ Sub-Præfecti, quos aliquot ex Cancellaria Legatoria ſcribis ſtipatos duodecim Semsky (quorum opera in culina Tzarea uti ſolent) ſecuti ſunt, veſtibus ſerico exornatis induti, his lintea ſuperinduerant, dein longo ſyrmate procedebant ducenti milites dapes Tzareas ferentes; apportabatur etiam potus, & variæ cremati, vini, Mulſique ſpecies, cereviſia, & Guaſſ. Hi ſternebant menſam: mappa tenuiſſimæ texturæ labor erat; capſula pro ſale aurea, appoſita duo alia ejusdem metalli vaſa, in quorum uno piper, in altero ſal; è regione menſæ tabula adornabatur pro Tzarea credentia; ſcyphi ponebantur variæ magnitudinis, maximus menſuram ulnæ bene æquaverit. Erat autem ordo ſcyphorum; ut paribus magnis ſemper minora jungerentur, & tabula tot argenteis & inauratis crateribus inſtructa ſpeciem organi repræſentaret. Circa tabulam credentiariam commodè ſcamna muro proximo innitebantur, quæ occupabant ingentia vaſa, hæc ex ſtanno, illa ex argēto inaurata. Non procul jacebat dolium duarum amphorarum Guaſſ. His ita compoſitis præſcriptam verborum humanitatem, nomine ſuæ Tzareæ Majeſtatis Priſtavus legere exorſus eſt: Tzarea Majeſtas Potentiſſimus noſter Dominator magni facit ſuam cum Cæſarea Majeſtate integrè ſemper colendam fraternam amicitiam, téque ejusdem Ablegatum ſalutat, & ex ſingulari benignitate menſæ ſuæ participem reddit. Repoſuit Dominus Ablegatus: profundiſſimas Tzareæ Majeſtati gratias habeo, pro clemente exhibita Tzareæ menſæ liberalitate, eam non tantùm inter ſumma beneficia numerabo, ſed etiam apud Sacram Cæſaream Majeſtatem Dominum meum Clementiſſimum, in prima ad eandem humillima relatione eâ, quâ par eſt, ſubmiſſiſſima devotione exaggerabo. Poſt hæc vas ex Achate promebatur, pretioſiſſimo cremato repletum; dein concha ex Rubino, quam Priſtavus Domino Ablegato propinavit. Diſcu-

Digitized by Google

Diſcubuerunt poſtea: prima ſedes Domini Ablegati, altera ab illa Priſtavi erat, præter hoſpites Dominum Carbonarium, D. Pleyerum, & DD. quatuor Miſſionarios aſſidebant omnes Domini Ablegati Officiales. His, poſtquam conſederant, crematum diſtributum eſt. Poſtremò cibi apponebantur, inter aſſaturas etiam cygnus erat; centum & octo varii generis cibi numerabantur, ſed pauciſſimos Germanus palatus approbavit. Prima propinatio Priſtavi erat in ſanitatem Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, ſecunda in ſanitatem ſuæ Tzareæ Majeſtatis, tertia denique in ſanitatem Miniſtrorum fidelium Auguſtiſſimi Cæſaris, & Sereniſſimi Tzari. Tentaverat quidem ſubdolus Priſtavus rei ordinem interturbare, monuerátque Dominum Ablegatum, ut biberet, ínque ſanitatem alicujus propinaret; verùm nullo malè adhibitæ ſolertiæ fructu; regeſſit enim Dominus Ablegatus: ſe necdum ſitire, neque ſibi tanquam hoſpiti primam propinationem competere; ipſe, cùm tractet nomine Tzareæ Majeſtatis, exequatur pro libitu officium ſuum. Adſtabant frequentes Moſci, & cubiculum ſervitii, & obſequii cauſâ impleverant; quibus omnibus ſecundùm gradus conditionis ſuæ ſuccedentibus, Dominus Ablegatus propria manu ſcyphum vini porrexit, talis utpote conſuetudò invaluit, quâ menſa, & cerimoniarum ſolennitas abſoluta eſt.

18. Opulentum convivium hoc die inſtruxerat Colonellus Cæſareus de Grage, id Tzarea Majeſtas ſuâ præſentiâ dignabatur; etſi dolore dentium genæ intumuerant. Dominus Generalis Gordon improviſi Tzarei adventûs tempore in prædio ſuo triginta circiter milliaribus ab urbe diſſito commorabatur; quo intellecto, hodierna die redux Tzarum veneraturus, ad idem convivium venit, bis ad terram de more demiſſum, & ſeri nimis obſequii ſui veniam precantem, quod temporis inconſtantiæ, & tempeſtatibus imputabat; Tzarea Majeſtas oſculo dato ſublevabat, volentíque genua, dexteram porrigebat. Domino Ablegato non tantùm epulo, ſed cœnæ etiam intereſſe licuit, quam ſibi Tzarus parari juſſerat. Neque ad eandem præter D. Ablegatum admiſſi ſunt plures quàm tres Generales, Lefort, Gordon, & Carlowiz; liberiùs nunquam animi ſui alacritatem Tzarus oſtendit; fortè, quòd Bojarinorum, aliorúmque nemo aderat, qui inviſo aſpectu gaudii ſenſum turbaret.

19. 20. Poloniæ & Daniæ Repræſentantibus tractamentum

Digitized by Google

tum Tzareum datum eſt. Cibos viginti quinque Polonus, viginti duos tantùm Danicus, ſex autem amphoras varii potûs uterque accepit. Videtur Miniſterium voluiſſe dirimere controverſiam, quam de prærogativa Danicus Polono moverat; Polono namque & primus tractamenti honor, & ciborum pluralitas pro bona cauſa militabat. Acerba ea res Danico obtigit, quòd Polono inferior ſit habitus; diſcrimen ferre non poterat, quo per tractamentorum diverſitatem tanto intervallo ab aliis recederet.

Patriarcha Tzariſſæ, Monaſterio needum incluſæ, indéque contempti Tzarei mandati culpam in alios rejicit, qui mandati Juſtitiam auſi fuiſſent diſputare, cujus indignatione Tzarea Majeſtas multùm accenſa, Archimandritam cum quatuor Poppis, quibus id Patriarcha imputaverat per milites ſuos parvis curribus (Sboseck) imponi, & ad Bebraſchensko nocturno tempore trahi juſſit.

Malo ſuo fato, quidam ex cuniculariis Cæſareis, Urban dictus, bene potus in Germanorum ſuburbium, ubi domicilium ſuum habebat, equo ſe contulit; hunc quidam audaculus Ruthenus probroſis primùm verbis, dein actu ipſo injuriosè aggreditur, is opprobria pertæſus, atque ignominiæ ab homuncione tam ſordido proficiſcentis impatiens vim vi repellere, & contra offendentis temeritatem naturali defenſionis æquitate utens, piſtoleto, quod furor in ebrio impotentior obtulerat, ſe tueri cœpit. Globus, quem in aggredientem furiosè extorſerat, capitis ſuperficiem modicè libavit. Nullum in vulnere vitæ apparebat periculum; ne tamen querela ſaucii apud Tzaream Majeſtatẽ multi ſtrepitûs negotium faceſſeret, amicè cum illo convenit, ut promitteret, rei, cujus ipſe potiſſimum author fuerat, ſilentium, pro quo quatuor Rublos exſolvit. Interim autem casûs hujus indicia deferuntur ad Tzarum, comprehenditur Urban, jam capitalis ſupplicii reus; violatæ legis vindictam eſſe publicam, cui privatorum conventiones præjudicio eſſe nequeant, legi enim ſubjacere, quicunque in alium dolo malo, gladium aut cultrum evaginaverit, jaculum extorſerit, aut inſtrumento ad mortem qualificato alium invaſerit, morte etiam non ſecuta, neque ebrietas excuſationi eſſe poteſt, ſi Moſcorum ratiociniis aſſentimur. Ipſa ſiquidem Tzarea Majeſtas, dum propoſita hominis ebrietate delictum minuere quidam æquiſſimè laborabant,

Digitized by Google

bant, hæc palam locuta eſt: Sauffen/ Rauffen / hoc fore excuſabile, Sauffen/Schieſſen/ impune eſſe non debere; quo veriſimiliùs inſinuare voluit: excuſari poſſe ebrios, qui ſolis manibus, non qui armis inter ſe certarent; unde iterum infero, mediam ebrietatem apud Moſcos mereri veniam, ultimam verò coërcitionem.

21. 22. Miſerum hominem Urban ab ultimo ſupplicio abſolutum ad knuttas (horrendum flagellorum genus eſt) condemnant, quod denuo impedit Domini Ablegati pro eo interceſſio.

23. Ad ſumptuoſum Domini Ablegalti Cæſarei epulum præcipuè ſequentes invitati convivæ convenerunt. Daniæ Ablegatus, Generalis Lefort cum ſuo cognato, Generalis Gordon cum filio, Generalis Vigiliarum Præfectus Carlowiz, Colonelli de Grage, & de Blumberg, Commiſſarius Suecicus Knipper, Commiſſarius Danicus Baudenan, Colonellus Locumtenens Colon; & ad idem prætextu familiaritatis ſe contulit Bojarinus Feudor Madvæowiz Apraxin, aliquot ab hinc annis, in Magiſtratûs bene adminiſtrati prœmium confirmatus Waywoda in portu Archangelico.

Circa veſperum ſe intruſit quidam Moſcus convivis ignotus, & quantùm ex habitu, cultúque corporis adverti poterat, ignobilis; acceptum à primo Miniſtro mandatum mentitus, ut de præſentia aut brevi adventu Tzareæ Majeſtatis inquireret, altioris mali ſuſpicionem fecit; hominem proinde Generalis Lefort interrogat de causa, & authore miſſionis; cùm autem hæſitaret, ſéque mittentis nomen oblitum diceret, aliquot colaphis cœſus à militibus in Bebraſchentsko ducitur, accuratiori craſtino examini reſervandus.

24. Quidam Archimandrita ingentem triginta librarum panem de more ſuo benedictum Domino Ablegato dono miſit. Cui alius quidam magnæ authoritatis Monachus, crematum, poma, nuces, ceraſa, omnia cremato intincta addiderat. Generalis Szeremetow poſt diſpenſationem ſummi Pontificis, & Ordinis Equitum Melitenſium magni Magiſtri Eques creatus, & cruce donatus dicitur; hinc omnium invidia, & vociferatio plurimorum.

25. Per regimen Gordonianum reducti ſunt rebelles Strelizii ad reaſſumendam inquiſitionem, qui in variis munitis circumjacentibus locis hactenus cuſtodiebantur.

Digitized by Google

Concluſum deinde fuit in concilio ſecreto, ut Pharmacopæi ſinguli examinentur, inſpiciantur eorum teſtimonia, habiles reperti ſerventur, reliqui verò in modò extructas naves diſtribuantur.

26. 27. 28. Feudor Alexiowiz Golowin ſecundus nuper ad Aulam Cæſaream Orator Tzaream Majeſtatem magnifico convivio excepit; in augmentum lætitiæ tormenta bellica majora adhibita.

29. Quendam Poppam rebellionis complicem ipſemet Tzarus examinavit; qui tamen etiam ad equulei comminationem adhuc nihil confeſſus eſt.

30. Tzareiwizius Tzarum in Bebraſchentsko viſitavit cum chariſſima Tzari Sorore Natalia.

OCTOBER.

1. Quindecim ex reductis nuper, convictíſque rebellibus rotâ fracti, atque capite truncati ſunt, quibus ea poſt tormenta vita duraverat.

2. Duodecim Potwodæ à Miniſterio ad aulam noſtram miſſi ſunt, qui DD. Miſſionariorum Cæſareorum commoditati, & oneribus avehendis ad Moſcoviæ fines uſque inſervirent.

3. Ad Monaſterium Neo-Virginum diſceſſit Tzarus, ut Sororem ſuam Sophiam, dicto Monaſterio incluſam examinaret; publici enim nuperi tumultûs vulgò rea habebatur: primus autem utriuſque intuitus uberrimas amborum lachrymas exciviſſe dicitur.

Quòd Poppa jam ſupra memoratus pertinaciter aſſeverabat, omnes, quòd ſciret, Poppas Deum pro felici Tzareæ Majeſtatis reditu exorâſſe, torturæ ſubjicitur, ejuſdémque peracutis doloribus ſtimulatus fatetur, rebellium animâſſe ſe pervicaciam, laudâſſe intentionem, & cœptis benedixiſſe.

4. 5. Omnes Tzariſſæ amici Moſcuam citantur, dubio eventu; mali tamen præſagium creditur, cùm de Tzariſſæ repudio non obſcurus ſermo urbem pervaſerit.

Rebelles ob ſilentii pertinaciam trahuntur ad torturam, quæ inauditæ immanitatis fuit. Knuttis atrociſſimè cœſos igni admovent aſſandos; aſſatos rurſus cœdunt, & poſt repetita flagra denuo ignis approximatur. His vicibus alternat Moſcicus equuleus. Tantam Tzarus in Bojarinos ſuos concepit animo diffidentiam, ut ab illis nihil rectè agi perſuaſus

Digitized by Google

ſus, vel minimam quæſtionis hujus partem iiſdem concredere vereatur: Quin potius interrogatoria ipſemet concipit, reos examinat, non confitentes urget, ſilentii autem pertinacioris repertos crudeli jubet ſubjici equuleo; in quem finem in Bebraſchentsko (acerrimæ hujus inquiſitionis loco) triginta & aliquot indies ignes collucere videntur.

6.7. D.D. Miſſionarii Cæſarei, Franciſcus Xaverius Löffler, & Paulus Joſephus Jaroſch cum duodecim Potwodis, vulpinis pellibus donati, iter ſuum Viennam aggreſſi ſunt. Colonellum Locumtenentem Karpakow intolerabilis torturæ atrocitas loquendi facultate privavit; propterea Tzarei Medici ſollicitudini commendatur, ut reſtitutis virtute medicaminum ſenſibus, iterum equuleo ſubjici poſſit. Quos in abſentia Tzari Campi-Dux Schachinius ad varias militarium officiorum dignitates pretio venditas evexerat, Tzarus hodie decrevit exauthorandos. Tam horribilis & indies exercitæ torturæ crudelitas ad Patriarcham pervenerat, credebat is ſui officii eſſe, ut ad manſuetudinem hortaretur iratum; Beatiſſimæ Virginis iconem convenientiſſimam arbitrabatur, ut ejuſdem intuitu humanæ ſortis conditio, & ſolitæ commiſerationis affectus rediret animo, in feritatem pene degeneranti; ſed vera momenta juſtitiæ, quibus Tzarea Majeſtas tanti flagitii metiebatur magnitudinem, ſimulatæ pietatis oſtentatio pervertere non potuit; evenit enim, ut neceſſe eſſet, toti Moſcoviæ, crudelitate, non pietate conſuli; quæ tamen cöercitionis ſeveritas malè tyrannis vocatur; cùm ſua etiam interdum rigori conſtet æquitas; maximè quando membrorum morbus, aut contumax putredo ita invaluit, ut nulla ad publicam politici corporis ſanitatem remedia ſuperſint, quàm ferrum, & ignis, quibus illa ſeparantur à corpore. Non indigna igitur ſuo faſtigio Tzari invectiva in Patriarcham fuit: quid tibi cum icone? aut quæ muneris tui pars te vocat iſta in loca? abſcede ocyus, atque imaginem in locum repone cultui ſuo debitum. Scias me Deum colere, & Matrem ejus ſanctiſſimam te fortè impenſiùs venerari. Supremi mei officii, & debitæ in Deum pietatis eſt, tueri populum, & crimina in commune ejuſdem exitium vergentia publica ultione perſequi.

Eodem adhuc die Moſcicus quidam cantor arguitur, quatuor Strelizios læſæ Majeſtatis reos domo ſua ſecretò com-

Digitized by Google

communicaviſſe, quem, utpote jam alterius perduellionis accuſatum, ipſemet Tzarus ſtipatus Principe Romadonowski, & Generale Artemont ad quæſtionem traxit.

Duæ pariter Sereniſſimarum Sororum cubiculariæ, Schukowa Marphæ, Fiera Sophiæ, ab ipſomet Tzaro in Arce Kremelina comprehenſæ, poſt comminationem, & aliquot ictus torturæ faſſæ ſunt: odium, quo omnes Moſci Generalem Lefort, & ſingulos Germanos proſequuntur, potiſſimam flagitioſi conſilii cauſam fuiſſe. Adeò enim pleroſque Moſcorum barbaros natura fecit, ut ferre non poſſint, allatam ab exteris virtutem.

9. Tzarus Danici Ablegati primogenitum ex fonte baptiſmatis levavit, eíque Petri nomen dedit, collevantes fuerunt Generalis Lefort, Generalis Vigiliarum Præfectus Carlowizius, Danicus Commiſſarius Baudenan; fœminæ autem: defuncti Generalis Meneſii relicta vidua, Uxor Colonelli de Blumberg, Domicella Monſiana. Eo in actu Tzarea Majeſtas porrectiſſimæ ſemper frontis conſpiciebatur; lachrymanti, dum unda baptiſmali aſpergeretur, puerulo baſia dedit; tabaci pixidem à Danico Ablegato oblatam clementer accepit, ínque dantis amplexus ruere non eſt verita. Kneſium Boriſium Alexiowizium Galizin, illuc veſperi adventantem, in extremæ humanitatis ſpeciem oſculo benevenire juſſit. Alexaſcam verò favoritam ſuum, gladio accinctum, inter tripudia deprehendens, deponendi gladii morem inflicto colapho docuit; cujus impetum ſanguis ex naribus abundè defluus ſatìs teſtatus eſt. Idem cometes Colonellum de Blumberg tetigiſſet, maximè quòd neglecta Tzari admonitione inter choreas gladium cunctaretur deponere. Cui tamen ſollicitè deprecanti, quod peccaverat, ignovit. Per juniorem Lefort Domino Ablegato Tzarus intimari fecit, cras ſe in rebelles juſtitiam vindicativam exerciturum.


10. Ipſemet Tzarus in Bebraſchenstko militibus ſuis tectus, & exterorum nemine propiùs admiſſo quinque perduellium in ſe commiſſam perfidiam ſecuri ultus eſt. Ducenti & triginta alii ſuſpendio expiârunt ſcelus, Tzaro, Principum Miniſtris, Moſcicíſque Magnatibus, præter ingentem Germanorum multitudinèm horrendæ hujus tragœdiæ ſpectatoribus.

Quidam Strelizius, quòd Generalem Lefort anſam rebellionis dediſſe aſſereret, eo præſente ab ipſo Tzaro interrogabatur:


178842 B

4089

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

tur: num dictum Generalem noviſſet? aut quo peccato omnium odium promeruiſſet? an objecta fortè crimina vera ſciret? qui hiſce reſpóndit: Se nec noviſſe ipſum, nec tutò ſcire, an, quod de ipſo vulgò querebantur, revera ita ſe habuerit. Credidiſſe ſe ſcriptis, neque communi omnium querelæ reluctari ſibi uni licuiſſe. Cùm ampliùs quæreretur: quid facturus fuiſſet, ſi ſuis fortuna adſtitiſſet cœptis, & vel Tzarum, vel ipſum Lefort intercepiſſet? ſubitò regerebat: ad quid ſimilia ſciſcitaris? ipſe apud te meliùs cogitabis. Niſi nos deſeruiſſet felicitas, urbe Moſcua potiti, omiſſa ſimili ſciſcitatione tanquam fruſtraneâ, animadvertiſſemus in Bojarinos, eo modo, quem omnes probâſſent. Hunc Strelizium rotâ frangi mandavit Tzarus, potiſſimùm quòd Generalem Lefort Tzareæ profectionis authorem dicere auſus eſſet.

Tzarus peplum, publicum luctûs ſignum indutus, defuncti cujuſdam Germani Colonelli Locumtenentis funus comitatus eſt, quem quatuor juvenes ex nobilitate Moſcica ſecuti ſunt.

11. Lege Ruthena cautum eſt, ut inventa quæcunque ſtatìm ad Pricaſſam deferenda ſint; ubi ferentis nomen, & dies inventæ, latæque rei, cum re ipſa annotatur; non viventia in Pricaſſa, animalia verò in ſtabulo Tzareo cuſtodiuntur. Qui itaque quamcunque rem perdidit, apud Pricaſſam ſe inſinuat; ſi verò animal fuerit, in ſtabulo Tzareo in illud inquirit, inventum, probatúmque ad ſe pertinere, levi & tolerabili lytro illud poteſt vindicare. Sic equus ante aliquot dies à noſtrorum uno amiſſus, per Pricaſſam reſtitutus eſt, tribus tamen rublis antea exſolutis.

12. Humus creberrima nive tecta, & rigidiſſimo frigore omnia conſtricta fuerunt.

13. Tandem annorum & juvenilis ætatis ratio, atque immaturi judicii imbecillitas quingentos Strelizios ab ultimo ſupplicio exemit; naribus tamen, auribúſque abſciſſis in remotiſſima finitima loca cum perpetua admiſſi ſceleris macula deportati ſunt.

Fiera Principiſſæ Sophiæ cubicularia omnium ſecretorum conſcia, inquirente Tzaro ad torturam rapta eſt, ubi autem detractis veſtibus nuda ſub Knuttarum ictibus ingemiſcebat, apparuit gravis uterus, quem, Tzaro urgente, libidinoſis cujuſdam cantoris commerciis imputabat, ſéque eâ, & plurium, quæ quærebantur, confeſſione à pluribus ictibus liberabat.

14. Ma-

Digitized by Google

14. Magnificentiſſimo convivio nominis ſui, & diei anniverſarii feſtivitatem celebravit D. Franciſcus Jacobeides Lefort, quod Tzarus cum plurimorum Bojarinorum præſentia nobilitavit. Dumnius Æmilianus Ignatowiz Ukrainzow neſcio quâ ſuâ culpâ Tzaream indignationem meritus, pro dubia ſalute ſua anxius ad omnia infimæ demiſſionis officia delapſus eſt; omnes inſuper Bojarini, quaſi ex condicto ſingulis, alternísve interceſſionibus pro ipſo deprecati ſunt; averſum tamen ſemper à ſe Principem habuit; denique Lefort Tzaro ad feneſtræ ſolitudinem invitato, Dumnium pro mercede excuſavit; nulla tamen adhuc reconciliatæ Tzareæ gratiæ indicia apparuerunt.

15. 16. Rebellionis caput Batska Girin in ſilentii ſui pertinacia acutiſſimis torturæ doloribus quater repetitis vinci non potuit; ad confrontationem verò ſui vicennis pueri, quem in Moſcoviæ finibus interceptum, ad ſua famulitia cöegerat, totam delicti ſeriem narrare exorſus eſt. Eo veſpere ex portu Archangelico advenit Vice-Admiralis Tzareæ claſſis maritimæ natione Holandus.

17. Tzaream Majeſtatem hodierna iterum die vindictam publicam in quoſdam perduelles exercuiſſe multis vulgabatur. Continuata hactenus atrociſſima tortura Vice-Colonellum Karpakow ita excarnificaverat, ut loquendi, movendíque facultas unà deſierit. Ideo Tzarei Medici arti, & ſollicitudini impensè commendabatur. Medentis incuria cultrum reliquerat in carcere, quo fortè medicinam paraverat, indignatus Karpakow ſibi jam penè exanimato virtute medicaminum redire vitales ſpiritus, non alio fine, quàm ut novis, & crudelioribus cruciatibus denuo ſubjiceretur, cultrum gutturi admovet, ut ſic interruptâ vivendi viâ mortem inveniret, tantis doloribus finem & ſolatium impoſituram; ſed manui jam propè ſceleratæ non ſufficiebant vires; ab iſto enim vulnere convaluit, & hodie ad tormenta retractus eſt.

18. Tzarus apud Generalem Lefort prandium ſumpſit.

19. Colonellus Schambers multis ſumptibus convivium paravit, ad quod cum pluribus aliis Tzarum habuit convivam. Neſcio quis turbo gaudia infeſtaverit, comprehenſum Dominum Lefort, & in terram præcipitatum Tzarea Majeſtas pedibus conculcavit. Qui propior igni, propior incendio eſt.

20. 21. Ducenti iterum & triginta rei ad murum album

circa

Digitized by Google

circa civitatem ad ſingulas Urbis portas laqueo perempti ſunt.

Concluſit hodie Tzarus ex omnibus ſuis ſubditis, Bojarinis, Principibus, Officialibus Bellicis, Stolnicis, ſcribis, civibus & plebeis, & ſingulis Tribubus binos ſeligere, quibus jure Concilii collectis, mandatum, poteſtatémque concederet, Sophiam, ejuſdémq; pernitioſas molitiones examinandi, quámque pœnam illam promeruiſſe convenirent, dictandi, & palam pronuntiandi.

22. 23. Mittit Generalis Lefort, ut Dominus Ablegatus quendam ſuorum officialium ad ſe deleget; habere ſe, quod ex juſſu Tzareo notum faciat; expedito autem ad ſe Secretario aperit, Tzaream Majeſtatem proximo die Dominico apud Dominum Ablegatum prandium ſumere conſtituiſſe; ea tamen expreſſa conditione, ne Poloniæ Ablegatus, & Cæſareus rei tormentariæ Colonellus de Grage invitarentur. Aliquot iterum centeni rebelles ad album Moſcuæ murum ſuſpenſi ſunt.

24. 25. His diebus invitati Hoſpites, & omnia ſumptuosè parata ſunt, quæ ad venturi Sereniſſimi Convivæ dignam exceptionem videbantur neceſſaria.

26. Poſt horam decimam Tzarea Majeſtas ad epulum liberalibus impenſis inſtructum rhedâ venit; reliquos præcipuos Hoſpites adnexus cathalogus dabit. Bojarinus Leukirilowiz Nareſcin, Generalis Lefort, Princeps Galizin, Princeps Apraxin, Bojarinus Golowin, Ablegatus Daniæ, Generalis de Gordon, Generalis Carlowiz, Baro de Blumberg, Generalis Lefort cognatus, Colonellus Schambers, Colonellus de Gordon, filius Generalis de Gordon, Adamus Weyd, Suecicus Commiſſarius Knipper, Danicus Commiſſarius Baudenan, Locumtenens Colonellus Meneſius Erchel, Tzarei Medici, Carbonari, & Tzopot, Vice-Admiralis, Poppa Campeſtris, Tzari favorita Alexaſca, multi præterea nobiles Moſci. Fœminæ: Domina de Mons, Domicella de Mons, Generalis Meneſii vidua cum filia, Generaliſſa de Gordon, Colonelliſſa de Blumberg, & Gordon cum filia, Colonelliſſa de Schambers, & de Duitte, Domina de Knipper, Domina de Baudenan, Domina Palckin, Domina Colombin, Uxor Adami Weyd Domina Erchelin Baroniſſa de Borgsdorff, Guaſconiana cum filia, uxor Domini de Rouel duæ filiæ de Baltes, Filia Domini Kellerman, filia Domini de Hülſt. Convivium hoc commendabat ſumptuoſus

ſus culinæ labor, & cellæ vario vino repletæ pretium; aderat namque Tokajanum, Budenſe rubrum, Hiſpanicum ſectum, Rhenanum, Gallicum rubrum, aliud cum illo quod vulgò Muſcatum vocant, multiplex mulſum, & diverſi generis cereviſia, nec non ultimum apud Moſcos complementum vinum aduſtum. Bojarinus Golowin congenitâ nauſeâ à lactuca, & aceti uſu abhorret; huic Tzarus ſuo mandato per Colonellum Schambers arctiſſimè detento lactucam, & acetum per os, & nares vi immiſit; donec violentam tuſſim promanans ex naribus ſanguis ſequeretur. Paulò poſt frigida quædam ſtomachi intemperies Tzarum corripuit, & omnes per artus ſubito rigore transcurrens latentis mali incuſſit formidinem. Generalis Lefort de Principis ſalute inter cæteros anxius jubet Medicum Carbonarium de Biſenegg indagare venam; is id linquentis animi frigus breve eſſe inquiens, in morbi remedium vinum Tokajanum, quod generoſiſſimum aderat, popoſcit. Gratiſſima fuit Principi hæc medendi ſolertia, nec pharmaco tam ſalutari diu diſtulit uti; ſciſcitabatur præterea ex Medico: cur Uxorem ſuam vendere deſtinâſſet? qui in levē riſum ſolutus audacter reſpondit: quia annuum ſalarium dare differs. Aliquot ſcilicet paulò ante diebus ſua explicata neceſſitate apud Principem Romadonowski ſalarium Carbonarius ſollicitaverat; replicanti Principi, ut pecuniam mutuam acciperet, continuò regeſſit: ſibi præter Uxorem nullum aliud pignus ſupereſſe; modò tamen Princeps pecuniam mutuò dare reſolveret, ſe paratum eam oppignorare, aut vendere; cæteroquin Tzarea Majeſtas porrectiſſima ſemper fronte interni gaudii indicium dedit.

27. Nominatæ ſuperiùs duæ cubiculariæ vivæ in terram defoſſæ ſunt, ſi fides habenda eſt ei, quod fama vulgaverat. Quotquot Bojarinorum & Magnatum concilio intererant, quo contra rebelles Strelizios certamen decretum eſt, hodiernus dies ad novum vocavit tribunal, ſingulis ſinguli rei propoſiti; quemvis oportebat ſententiam, quam dictaverat, ſecuri exequi. Princeps Romadonowski, antequam tumultuarentur, quatuor regiminum Dux quatuor Strelizios urgente Majeſtate eodē ferro ad terram proſtravit; crudelior Alexaſca de viginti decuſſis capitibus gloriabatur; infelix Gallizin, quòd malè feriendo dolores damnati multùm adauxerit. 330. unà ſimul educti ad feralem ſecuris ictum latè patentem planitiem civili quidem, ſed impio ſanguine purpurârunt.

Ad

Digitized by Google

Ad idem lictoris officium cum Barone de Blumberg Generalis Lefort invitabatur; ſed excuſantes, id domi ſuæ moris non eſſe, auditi ſunt. Ipſemet Tzarus in ſella ſedens totam tragœdiam, támque horrendam tot hominum lanienam ſiccis oculis inſpectabat, hoc unum indignatus, quòd Bojarinorum plurimi inſueto huic muneri tremulas manus admoviſſent; cùm tamen nulla pinguior victima Deo mactari poſſit, quàm homo ſceleratus.

28. Popparum hoc die cöercitio fuit, eorum videlicet, qui prælatione iconum B. Virg. & S. Nicolai plebejos ad ſeditioſorum partes pertracturi pro felici impiæ machinationis ſucceſſu conſuetis ad aram precibus Dei auxilium invocârunt; unus ante templum ſacroſanctæ Trinitatis ex patibulo ſuſpenſus, alter capite truncatus, & in dedecoris perpetuitatem rotæ impoſitus. Duo fratres perfidiæ rei, membris exterioribus à lictore fractis, vivi rotæ alligabantur, & inter viginti alios ſecuri percuſſos, atque ſanguine ſuo conſpurcatos, tertium ſuum fratrem invidiosè conſpiciebant, calamitosa murmuratione indignati, celeriori mortis genere à ſe avelli, quem primùm natura, dein delictum flagitiosa charitate ſibi conjunxerat. Non procul à Monaſterio Neo-Virginum triginta erecta patibula, quadrati figuram referentia, ducentos & triginta Strelizios, digna crudeliori vindice capita laqueo exceperunt; tres autem periculoſi tumultûs authores, qui Sophiam exhibitâ ſupplicâ ad Regni gubernaculum invitaverant, ad dicti Monaſterii muros proximè feneſtram cubiculi Sophiani ſuſpenſi ſunt, qui inter illos medius pendet, chartam ſupplicæ in modum compoſitam, & mortuis manibus alligatam ſuſtinet; fortè ut præteritorum conſcientia perpetuo dolore mordeat Sophiam.

29. Architectus bellicus La Valle ab Auguſtiſſimo Imperatore ante aliquot annos in Moſcoviam miſſus, atque à Tzarea Majeſtate ad dignitatem Generalis evectus, ab Azowiano Caſtro Moſcuam uſque in ferro, & compedibus advenit, ac in Pricaſſa novo carceri & cuſtodiæ mancipatus eſt, utpote perfidiæ accuſatus.

30. Tzareæ Majeſtatis duo Oratores, qui noviſſimè apud Aulam Cæſaream Legationem obierant, Generalis Lefort, & Bojarinus Golowin eo modo urbem Moſcuam ingreſſi ſunt, quo Viennæ fuerant introducti, multi ſejuges currus, quotquot haberi poterant, comitatûs ſplendorem augmentabant;

tabant; nec infra dignitatem ſuam Tzarus credidit, numero comitantium immiſceri; ad Principis Feudor Jurowiz Romadonowski tunc Vices gerentis palatium urbanum tendebat proceſſio; neſcio cujus Credentiales litteras Junior Lefort tanquam Secretarius Legationis præferebat, quas dicto Principi ludicra & umbratili ſolennitate exhibebant; Utopiæ Regis fortaſſe fuerunt; oblata enim muneris locò ſimia totam comœdiam ludibrio finivit. Nemini de comitatu niſi in Germanicis veſtibus licebat comparere; maximè ut Princeps Romadonowski inviſo intuitu irritaretur. Cùm enim diceretur ipſi, Oratorem Golowinum Viennæ veſtes Germanicas induiſſe, indignabundè reſpondit: Tantæ imbecillitatis, & amentiæ Golowinum non credo, ut Patriæ gentis habitum contempſerit.

31. Duo rebelles potiſſima perfidorum capita fractis exterioribus ſolummodo membris, vivi rotis impoſiti ſunt, ut longiori morte pœnas darent, conſilii ſui crudelitate dignas.

NOVEMBER.

1. Non ignorabat quidam ex Septentrione Ablegatus, Tzarum nocte proximè antecedente in domo Danici Commiſſarii Baudenan ſomno indulſiſſe; ideo illuc concedebat, ratus, ea obſequii humilitate ſibi gratiam cæteris majorem conciliare. Nec aberravit; ei enim Tzarus ſecum ducto magnum Ivanum oſtendit, ſive campanam totius mundi maximam; ſed vix non momento perdidiſſet, quidquid favoris laborioſè collegerat. Præter cæteros Repræſentantes ad epulum vocatus cum Tzaro venerat, quod à primo Miniſtro Leone ſumptuoſè paratum erat; Tzaro proximus diſcubuerat, eundémque cum reliquis Repræſentantibus, & Tzareis Miniſtris diu reluctantem exoravit, ut heſternorum reorũ rotæ impoſitorum etiamnum viventium diuturnum ſuppliciũ globi trajectu abbreviaret; favorita Gabriel, cui ea executio demandata erat, redux nunciat: damnatorum unũ aliquo adhuc tempore poſt globũ vixiſſe; unde Tzarus occaſionem ſumpſit ſequentis enarrandæ hiſtoriæ: Aurigam quendam in Polonia à bombarda, quam ſecum geſtabat, caſu exploſa, ita læſum, ut globus per labia intrans, in occipite denuo exiverit; eum nihilominus adhuc novẽ dies ſupervixiſſe. Ablegatus, quem ſupra dixi, diei hujus felicitatem à præmaturo obſequio auſpicatus, portenti, ac prodigii inſtar rem habet; Tzarus autem affirma-

Digitized by Google

affirmationẽ ſuam tantò magìs exaggerat, quantò majore ſtupore Ablegatũ cernebat attonitũ, qui deniq; allatis quibusdam rationibus phyſicis de veritate rei periculosa ambitione philoſophabatur, adjiciens ſibi id difficulter perſuaderi. Commotus Tzarus, verborum ſuorum fidem pertinaciùs impugnari, Generalem Carlowizium accerſit, ut narratæ rei ſeriem denuo ordiretur &c. Hoc idem ediſſerente, cum quadam indignatione Philoſophum ſibi publicè obloquentẽ, ita alloquitur: Credíſne jam? ſi fortè adhuc incredibile videbitur, Poloniarum Regi ſcribam, ut ejuſdem teſtimonio tibi fidem meam probem. Inter veſcendum etiam de diverſitate regionum ſermo fuit; peſſimè notabatur, quæ proximè Moſcoviam tangeret. Replicat ex illa miſſus Miniſter: ſe verò multa notâſſe in Moſcovia, quæ mererentur cenſorem; regerit Tzarus: ſi tu ex meis eſſes, meis jam ex patibulo pendentibus te adderem ſocium, ſcio enim bene, quò tua collimet oratio. Eidem ex compoſito Tzarus occaſionem fecit, cum morione & aulæ ſuæ ludibrio ſaltandi, omnium inſecuto riſu, non tamen comprehendit, quàm dedecoroſâ fabulâ ſibi illuderetur; niſi Dominus Ablegatus Cæſareus, qui magnum ſemper apud eum pondus habebat, per quendam ex ſuis familiaribus commodè admonuiſſet, ut Characteris ſui pro dignitate meminiſſet; alio joci commento inflictas à ſacra manu alapas, amoris teſſeram interpretatus eſt. Facta ſcilicet aliena modò noſtra interpretatione denominationem ſuam accipiunt, ut ſæpe videas eoſdem actus pro temporum, & geniorum ſorte nunc injurias eſſe, nunc gratias.

Edicto prohibebatur imperiales ſolidos in ſolutum accipere, eos verò ad locum monetarium portandos, ut, cum Kopikis (moneta Ruſſica) mutentur. Magnum exinde lucrum Tzarus capit, ex ſolido enim imperiali quem 55. Kopikis mutat, interdum 110. cuduntur, ſicuti noſtro tempore re ipſa experti ſumus.

2. Tzarea Majeſtas Veroniſcham diſceſſura per Generalem ſuum Lefort epulum parari, omnéſque Repræſentantes præter Bojarinorum præcipuos juſſit invitari. Tzarum ſolito tardiùs venientem non levis momenti negotia procul dubio occupaverant; etſi inter ipſam menſam non attentâ Repræſentantium præſentiâ adhuc quædam cum Bojarinis ſuis diſcuteret; ſed proxima altercationi conſultatio erat; non verbis, non manibus parcebatur, omnibus nimio, & in con-

Digitized by Google

ſpectu Majeſtatis periculoſo fervore ad obſtinatam opinionis ſuæ defenſionem incitatis; ita ſibi repugnabant, ut pene criminarentur. Duos humilioris officii ratio arduæ huic diſcuſſioni non immiſcuit, alia ruſticitatis methodo lepidiſſimi joci gratiam quæſiverunt: pane, quem in menſa inveniebant, alterius caput tetigiſſe, egregii facinoris laudem promerebatur; laborabant quippe omnes genuina documenta dare veræ ſuæ originis. Inter ipſos Moſcos tamen convivas aliqui reperti ſunt, quos modeſtior cum Principe ſermo inſignis animi indicio commendabat; æquiſſima morum gravitas efloreſcebat in profecta ætate Principis Lehugowizii Tzerkaski; maturaconſiliis prudentia in Bojarino Golowin; idonea publicis rebus ſcientia in Artemonewizio; quæ eò auguſtiori ſpecie emicabant, quò cernebantur rariores. Indignatus, quem ultimò nominavi, ad Regias dapes tot, támque diverſas admitti delirantium ſpecies, Siberienſis Pricaſſæ Dumnio locuturus, latino (quod callet) idiomate utebatur, & alta voce exclamabat: Stultorum plena ſunt omnia, ut vox ad omnes idiomatis gnaros facilè perveniret. Sublatam menſam tripudia excipiebant, hæc Poloniarum Ablegati dimiſſio. Proximum in triclinium, ubi ſcyphi, pocula, & varia potûs genera cuſtodiebantur, ſe Tzarus ex cætera lætantium turba improviſa celeritate eripuit, Poloniarum Ablegato ſequi juſſo. Confluebat illuc pariter totus convivantium globus, avidus quid rei ageretur. Necdum omnes ſuamet ipſa maturatione impediti in cubiculum penetraverant, cum litteris recredentialibus Poloniarum Ablegato jam extraditis, exinde rediens Tzarea Majeſtas volentes adhuc, conantéſque intromitti, fecit erubeſcere. Intercedente Generale Lefort duo Capitanei nautici Hollandi notoriæ inobedientiæ rei, & à conſilio bellico ad ultimum ſupplicium damnati, ad Tzarum intromittebantur, ubi prævia deprecatione ante pedes provoluti, gladio per Tzaream manum ſibi reddito, vitæ, honori, & priſtinis officiis reſtituti ſunt; ingens ſanè ſummæ Tzareæ Clementiæ rudimentum. Oſculo deinde omnibus Bojarinis, & Repræſentantibus, ſpecialiter quidem D. Ablegato Cæſareo valedixit, Polono excepto, quem recredentialium receptio videbatur abſtrahere ab ulteriori ſalutatione Majeſtatis. Circa horam ſextam veſpertinam iter Veroniſcham aggrediens, præter alios officii vilitate ignotos comites habuit D. Vice-Admiralem Hollandum, Generalem Vigiliarum Præfectum de Carlowiz, & Adamum Weyd. Carlowizio

Digitized by Google

wizio idem honor & tractamentum decretum eſt, quo antea Poloniarum Ablegatus fruebatur: indè hic non vanè ſuſpiciari ſe poſſe, credebat, tam inopinam & celerem expeditionem ſuam ſecreta illius machinatione fuiſſe promotam.

3. Viginti quatuor cum Poppa noviter accuſati, nuperam rebellionem conſilio animâſſe ad audaciam, ad carcerem & inquiſitionem rapti ſunt.

4. Publico mandato omnibus injunctum eſt, ut, qui tabernas mercatorias in platea Arci Kremelinæ proxima haberent, eas ſinè ulla tergiverſatione quàm celerrimè deſtruerent ſub pœna amiſſionis bonorum, & corporali arbitraria. Majorem urbis ſplendorem & ornamentum edicti cauſam fuiſſe volunt.

Domino Ablegato Poloniæ epulum Tzareum datum eſt, quo abituros Repræſentantes excipi mos, & conſuetudo introduxit.

5. Vigore heſterni edicti jam tabernæ Arci Kremelinæ propinquæ deſtruuntur: hæc parendi neceſſitas.

Alio Tzari mandato omnes paulò adultiores robuſtæ ætatis pueri Veroniſcham mittuntur, ut navigiorum ſtructuram à laborantibus ibidem Magiſtris addiſcant, ducenti primi exinde in Hollandiam mittendi hodie iter ſuum auſpicati ſunt. Defuncti Generalis Meneſii binos filios ætatis excuſavit imbecillitas.

6. Architectus Bellicus La Valle à Generaliſſimo Schachinio examinatus, & cùm inficiaretur quædam à ſe ſcripta, propriæ manûs exhibitione confuſus dicitur.

Kneſius Feudor Jurowiz Romadonowski intellexerat Tzareum Medicum Zoppot ſuis in ſervitiis alere quendam Germanum, quo tanquam interprete uteretur, ratus eundem ſibi, & filio in multis utilem fore, invitum à non conſentiente violenter abduci curavit.

7. Incepit denuo, qui aliquot diebus remiſerat, intenſus auræ rigor.

8. Quòd Medicus Zoppot apud Generalem Lefort de interprete vi abducto conqueſtus fuerat, eum Romadonowski hodie coactus remiſit.

Eidem Medico aliquis ex Tzarea Cancellaria ſcriba ſimiam tulit cum mandato, ut eandem ex arte ſua curaret, qui linguæ Ruthenæ, quam neſciebat, obtentu ſe excuſavit, & collegam ſuum Carbonarium ſubſtituit, quòd ob linguæ peritiam medendi capacior eſſet.

Digitized by Google

Nobilis ille Polonus, qui cum Generale Carlowizio Tzaream Majeſtatem Moſcuam uſque conduxerat, gratiâ, & liberalitate Tzarea inſignis reditum ſuum in Poloniam auſpicabatur.

9. 10. 11. Germanis hìc viventibus nos accomodantes, & vetus Calendarium ſecuti ſolitæ in Romana Eccleſia devotioni, & veſperis pro animabus defunctis interfuimus.

12. Inſinuatum Poloniarum Ablegato, ut trium ſeptimanarum ſpatio cameras ſuas evacuaret, & extra Moſcuam ſe conferret, eas enim adventuro Ablegato extraordinario Electorali Brandenburgico jam à Miniſterio aſſignatas.

Principiſſa Marpha ad remotum quoddam ab urbe Monaſterium tanquam ad carceris perpetui ſupplicium relegata eſt.

13. 14. 15. 16. 17. Generalis Lefort magnum convivium inſtruxit.

Idem omnibus barbitonſoribus, & chyrurgis gladios geſtare prohibuit, quòd hactenus frequentia homicidia ab illis fuerint patrata.

18. 19. Suecicus Commiſſarius Knipper ſumptuoſo epulo multos excepit convivas.

20. Advenientes ex campo Germani Officiales palàm conquerebantur, tota anni hujus expeditione nihil milite dignum à Dolgoruga geſtum eſſe; quamvis enim ſufficienter informatus fuerat, ultra 10000. cujuſvis ſexûs & ætatis homines in tota Crimæa non vivere, cum ſexaginta tamen millibus militum nihil auſus eſt moliri. Quam Ducis ignaviam ipſimet Crimææ Tartari turbinis inſtar in Moſcorum fines irrumpentes, edita miſeranda ſtrage mulctaverunt. Valuikâ enim, finitima Moſcorum civitate, incenſâ, & direptâ, trans fluvium Oſcue uſque Bialogorodium ferales ignium ſuorum furias circumtulerunt. Vici, pagi, oppida, & coloniæ deploranda incendiorum depopulatione in buſta, & cineres abierunt; ſex hominum millia tanquam jumenta in duriſſimam ſervitutem abacta; oppidò paucis ſylvæ, & ferarum latibula ſecuritatis præſtiterunt aſyla. Adhæc Moſcos in ſuiſmet caſtris funeſtior hoſtis afflixerat; Princeps Dolgoruga enim, neſcio qua conſilii infelicitate, exercitui de neceſſaria annona non providerat; nulli officialium exſoluta ſtipendia, & quindecim gregariorum millia fame enecta perierunt.

21. 22. 23. 24. 25. Auguſtiſſimi Imperatoris anniverſaria nominis feſtivitas primùm in choro, dein apud Dominum Ablegatum Cæſareum ſumptuoſo convivio magnificè celebrata.

26. Quan-

Digitized by Google

26. Quanquam immanis nupera, & atrociſſima rebellium executio aliquot hominum millia fune, ferro, & rotâ paucorum dierum tyrannide abſumpſerit; omni tamen perfidorum hominum fœce necdum purgata Moſcovia eſt. Ex quo enim Tzarea Majeſtas Veroniſcham abiit, occultæ inquietorum quorundam coitiones bonis metum incutiunt, civilis belli contumaciam acerbiorem poſſe reſurgere; adhuc quidem diſſimulata ſuſpicione, niſi quòd ejuſdem notitia Tzareæ Majeſtati tacitè data ſit, ut antequam invaleſcat, malo renaſcenti de fortiori remedio maturè proſpiciatur. Curſor quidam cum litteris, & quibuſdam magni pretii utenſilibus Veroniſcham ad Tzaream Majeſtatem elapſa nocte expeditus, in lapideo urbis Moſcuæ ponte violenter comprehenſus, & ſpoliatus eſt; litteræ quidem diſruptis ſigillis in ponte diſperſæ orta luce comperiebantur; ſed quò utenſilia, quò curſor ipſe raptus ſit, nullum indicabat veſtigium. Facinus hoc conſpirantium perfidiæ imputatum, curſorémque ſub præterfluentis fluvii Neglinæ glaciem detruſum ominantur.

27. Quidam ex ſervis nauticis Hollandis à Tzareo milite in rixa lanceâ confoſſus eſt.

28. 29. 30. Ad Monaſterium Neo-Virginum trahis conceſſimus, ingens illud quadratum patibulum, & tres pendentes ad Sophiani cubiculi feneſtram inſpecturi.

DECEMBER.

1. Naves Magnatum impenſis ædificatæ juſſu Tzari evehuntur in aquas, in rudimentum artis & ſpei futuræ. Illa Patriarchæ omnium maximè periclitabatur, in multa fruſta infauſto caſu alliſa & diſſiliens.

2. Duo Hollandi à Moſcis, ut ſuſpicio erat, trucidati in plateis inventi ſunt mortui. Septem alia rebellium millia trecentis ab urbe verſtis ſe conglomerare dicebantur.

3. Cum Generali Carlowizio Adamus Weyd Veroniſchâ rediit.

4. Septuaginta ex nocturnis Moſcuæ graſſatoribus comprehenſi, ex quibus duo lictores, antea Poppæ, primi equuleum ſubire coacti ſunt.

5. Vina, & alia neceſſaria in portu Archangelico coëmpta, & toto trecentorum milliarium itinere à Tzareis militibus conductoribus cuſtodita, ſalva & ſecurè advenerunt.

6. Ad

Digitized by Google

6. Ad Tzareum vivarium evagati, ubi album incredibilis magnitudinis urſum, leopardos, lynces, & plura alia animalia, quæ ibi ad ſolam videndi voluptatem aſſervantur, contemplati ſumus. Poloniæ Ablegatus Veroniſcham ad Tzarum admitti flagitabat, ſed ejus rei facultatem negavit Miniſterium, cùm in plenè dimiſſum nulla ampliùs caderet negotiatio.

7. 8. 9. Recommendante Domino Ablegato Cæſareo Architectus bellicus La Valle, carcere, vinculiſq; ſolutus à Campi Duce Schachinio libertatem obtinuerat in Germanorum ſuburbio cum trium militum cuſtodia divertendi, & Eccleſiam Catholicam pro devotionis ſuæ exercitio frequentandi. Obtenta verò facultate abuſus denuo ad Cancellariam raptus, ibidem perſonali arreſto detentus eſt.

10. Volunt Tzaream Majeſtatem Veroniſcha diſceſſiſſe Bialogorodium, ut geſta, factáque Belli Ducis Dolgoruga penitiùs indagaret.

11. 12. Trecenta Oxow diverſi vini à mercatoribus ab Archangelico portu advecta, Generalis Lefort ſuam in cellam ferri juſſit, Tzaro omnes ejuſmodi impenſas ad voluptatem facientes ſolvente. In rationem vectigalis ordinariè ea vina ſuccedunt; pro quovis enim Oxow vini Hiſpanici 60; pro Oxow vini Rhenani autem 40. ſolidos imperiales vectigalis locò ſolvere oportet. Oxow autem continet quatuor urnas.

13. 14. 15. 16. In alicujus Bojarini domo unus ex Capitaneis maritimis cum Uxore divertens, & nocturno tempore cum Bojarino invitatus trahâ vectus animi recreandi gratiâ; redux Uxorem ſuam invenit capite truncatam, nec de ſicario aliquid certi haberi potuit.

17. 18. Generalis Lefort Domino Ablegato Cæſareo apud ſe prandenti effigiem oſtendit Ducis Sabaudiæ ſibi ſubmiſſam, gemmis, & pretioſis lapidibus ornatam, addens fratri ſuo Syndico Geneventi ſimilem dono obtigiſſe.

19. 20. 21. Dominus Poloniarum Ablegatus aliquot Ruthenos Principes ad prandium ſuum invitavit. Poſt multam compotationem profuſiſſimè liberalis omnia ſua obtulit hoſpitibus; nec Rutheni oblata recuſabant: hic currum cum ſex equis, alter par piſtoletorum pretioſiſſimum, tertius librum, quem reliquum videbat, petiit, quæ ſingula ſingulis Polonus donavit, addens: ut videant Moſci, me ex Ruſſia nihil exportaturum, quod ab illis proveniſſet.

22. Magnum convivium à Generale Lefort inſtructum.

23.

Digitized by Google

23. 24. 25. Cum filia mater in mariti necem conſpiraverat, & per duos ſicarios, triginta cruciatis emptos, crudele facinus patratum eſt; ambæ vivæ ad collum uſque in terram defoſſæ, digna admiſſo ſceleri ſupplicia retulerunt. Intenſiſſimum frigus ad tertium mater, ultra ſextum verò diem ſuſtinuit filia. Mortuorum cadavera foveis ſuis extracta, ad ſupradictos ſicarios laqueo peremptos, capite deorſum verſo è pedibus ſuſpenſa ſunt. Hæc mariticidii pœna ſolam uxorum coërcet perfidiam; uxoricidas tantus rigor non perſequitur; quin etiam ſolâ pecuniâ perſæpe crimen redimitur.

26. Generalis Vigiliarum Præfectus de Carlowiz apud Miniſterium Moſcicum ſollicitavit pro viginti millibus militum, ob timendos novos Lithuaniæ motus, ad confinia quam primùm ſubmittendis. Contra negotiationem hanc proteſtabatur Ablegatus Polonus, monebátque Carlowizium: conſideraret, pro Polonis, an Moſcis negotiaretur; credibile enim non eſſe, Moſcos re infecta ſinè attentatis rapinis, & ſpoliis receſſuros; quin potiùs optata occaſione uſuri, inſanabilia Reipublicæ vulnera infligent: conſultius videri, ſi Tzarea Majeſtas per Reſidentem ſuum apud Rempublicam de injurioſis ejuſdem molitionibus conquereretur, utpote in ſui contemptũ redundare, poſt electionem, & coronationẽ Regis ritè annunciatam, novi Regis eligendi cogitationem velle ſuſcipere.

27. Sex ruſticorum millia, & totidem militum turmæ Veroniſcham miſſæ ſunt ad avertendam, quæ timebatur, Tartarorum irruptionem.

28. 29. 30. Tzarea Majeſtas Veroniſchâ redux filiam Baronis & Colonelli de Blumberg ex fonte Baptiſmatis levavit; collevantium ſeptendecim, & ex omnibus ferme religionibus fuerunt. Inter quos præcipui: Dominus Ablegatus Cæſareus, Generales Lefort, & Carlowiz, D. Adamus Weyd. Inter alios diſcurſus Dominus Ablegatus Cæſareus de pœna mariticidii, & vulgata circa eandem conſuetudine poſt tertium diem ſuperſtites ex foveis ad laborioſam vitam, & in Monaſterium quoddam evocandi, ſermonem cæpit movere. Tzarus, ad cujus aures ea vox obſcurè allapſa erat, quid quæſtionis eſſet, ſciſcitabatur, & intellecta conſuetudinis, lenitate, reponebat audiendi avidis: eam conſuetudinem tam parùm vigere, ut ipſemet ſe ſcire diceret, quandam non ita pridem ad idem ſupplicium damnatam, poſt duodecim dierum inediam ſcelus promerita morte expiaſſe. Donec enim ad foveam

Digitized by Google

damnata vitam trahit, cuſtodes milites ſub pœna corporali graviſſima in mandatis habent, nihil ad eandem cibi, aut potûs admittere, quod ream reficere poſſet; ut ita cruciatus toleraret diuturniores. Ipſa nocte concubia eam Tzarus adiiſſe, & examinâſſe dicitur; fortè ut clementem ſe oſtenderet, ſi mereretur; ſed obſtitit facinoris magnitudo, & periculoſa atrociſſimi exempli condonatio; confirmârunt alii: voluiſſe Tzarum, ut ex militibus cuſtodibus quiſpiam excuſſo globo liberaret mulierem ab ulterioribus lentæ mortis tormentis, ſed obſtrepuiſſe conſilio huic Generalem Lefort: militis non eſſe mulierem, & mortis ream globo trajicere, quo, & alio quodam faſtidioſo verbo accedente Tzarum commotum juſſiſſe miſeram mortis eventum exſpectare.

31. Lautiſſimo epulo præter Tzarum ducentos nobiliſſimos convivas Generalis Lefort excepit; ſed Tzarus duorum turpiſſimis calumniis,quos prima poſt Tzarũ dignitas æmulos effecit, ita exacerbatur, ut palàm minitaretur, alterutrius capite, quisquis eorum maximè nocens reperieretur, ſe litem diremptuum. Principem Romadonowski diſcutiendis rebus Commiſſarium dedit, Generalem verò Lefort mitigandi furoris cauſâ accedentem violento pugni impulſu à ſe repulit.

JANUARIUS.

1. 2. Anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi noni apud Tzaream Majeſtatem in Bebraſchentsko omnes Bojarini vocati comparuerunt; pacis & belli conſilia agitabantur. In Germanorum Slowoda inventus colonus multis vulneribus exanimatus; cicatrices quidem necis inſtrumentum cultrum indicabant, ſed nulla latronis fugientis reperta veſtigia ſceleri impunitatem conceſſerunt.

Rebelles Azowio huc pertracti perfidiæ pœnas dederunt; cujus flagitii complex Poppa à Tzarea dextera ſecuri percuſſus occubuit. Item ſex adulteratores monetæ ultimo ſupplicio affecti, monetâ adulterinâ liquefactâ, & in os infusâ.

3. Hodierna die in vigilia Nativitatis Domini (ſtil. vet.) quam anteceſſit Ruthenum ſex ſeptimanarum jejunium; omnia fora, & compita carnibus refertiſſima viſa ſunt; hìc incredibilis anſerum multitudo, ibi tanta porcorum jam mactatorum copia, ut eandem integro anno crederes ſuffecturam; cæſorum boum non impar numerus; generis diverſi volucres; ex tota Moſcovia, & omnibus illius partibus in unam

Digitized by Google

unam hanc Urbem convolâſſe videbantur. Fruſtra differentes ſpecies nominavero, quidquid deſiderari poterat, habebatur.

Quidam Bojarinorum in Bebraſchentsko coram Tzaro nimia oris libertate abutebatur; ſed in corpore caſtigatus eſt, & verberum dolor eidem ſatis inculcavit, quàm reverentem eſſe oporteat cum Principe ſermonem.

4. Generalem Gordonium, adverſa valetudine lecto affixum, Tzarea Majeſtas viſitavit, eidémque aperuit: quàm firmi conſilii ſit, non obſtante pacis lege, quæ fortè brevì concludenda omnes hoſtilitates prohiberet, cum navibus ſuis maria experiri. Gratulabatur Gordonius fortiſſimum conſilium Tzaro, ſed adjiciebat, ſecuritatem portûs primas curas poſtulare, aliàs totam claſſem ventis ludibrium, hoſtibus verò prædam futuram. Sana mens licèt ægro in corpore à Tzaro quoque probata, ſi gloriæ aviditas moras pati poſſet. Ideo Gordonio magìs, quàm animi in Principe magnitudo perferre poſſet, de portu, & periculis ſollicito, contemptis momentis prudentiæ, ambitioni ſuæ convenienter reſpondit: Naves meæ in mari portum invenient. Schachinio, quòd bellicorum munerum dignitates vendidiſſet, creandorum Officialium authoritas abrogata, & Gordonio tanquam cuſtodi ejuſdem religioſiori ad interim concredita eſt, quam confeſtim exercuit, Capitaneum Straus ad munus Colonelli Vigiliarum Præfecti promovendo.

5. Tzarea Majeſtas apud Generalem Artemonium Michalowizium Golowin prandium ſumpſit.

6. Fœmina, quæ & maritum occidit & matrem, interrogata, quo impulſu ad tam inhumani flagitii impietatem adacta eſſet? an ignorâſſet, quàm crudelis rigor ulciſceretur ejuſmodi crimina? ad quærentis admirationem imperterrita fronte repoſuit: vidi nuper duas mulieres mariticidii reas, ſuis in foveis lentam mortem exſpectâſſe; nec dubito, quin idem ſupplicium me maneat, nec quidquam deprecor, ſatìs eſt mihi, occiſo marito, & matre, me tam forti lætari facinore. Huic addita aduſtione membrorum ordinaria foveæ pœna aſperata eſt.

7. Advenit ex Media Ablegatus cum quinque tantùm perſonis.

8. 9. Tzarus apud Principem Galizinum prandebat, cùm ſubito tumultu nunciatur ortum incendium, & certi cujuſdam Bojarini ædes jam conflagrâſſe. Quo excitatus Tzarus

 prope-

properè à menſa exilens, eóque curſum præcipitans, ubi incendium graſſari audiverat; non conſilium tantùm, ſed proprias etiam manus flammis reſtinguendis adhibuit, in ipſis domûs convulſæ ruinis viſus laborare.

10. 11. A Pricaſſa Legatoria quindecim Potwodæ Poloniæ Ablegato miſſi ſunt, ne diſceſſum ſuum diutius moraretur; quo eodem die publica Sacerdotis voce toti communitati Catholicæ abiturus valedixit.

12. Idem præmiſſis oneribus ſuis itineris initiũ ſumpſit. Quidã jocator (vulgò Taſchen-Spiller) non ita pridem Moſcuã attigerat, ingenti ſpe artis ſuæ in terras tam longè diſſitas profectus: ex Scotia Patria ſua veniens, ſtirpẽ eorum ambitiosè jactabat; quibus Generalis de Gordon rebus generosè geſtis illuſtrem Natalium ſplendorem apud Moſcos aſſeruerat; jam ex ea eſſe agnitus videri poterat, niſi artis jocatoriæ vilitas, quam unam profitebatur, eum degeneris ortûs præjudicio damnâſſet: neque enim imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Hunc miſerum, & ſuperba ſua cognatione dejectum fortuna ad ultimum tandem exitium continua calamitate deduxit; nam cum Capitaneo quodam (cui Schmid nomen) delapſus in jurgia ſummæ infelicitatis ſuæ faber extitit. Capitanei uxor cum filiabus adultis marito ſuo cum jocatore manibus colluctanti, & pene ſuccumbenti in auxilium ruens, jocatorem multitudine manuum ad ſæviora conſilia adegit; pugione enim, quem geſtabat, arrepto, Capitanei latus tam profundè hauſit, ut promanantẽ copiosè ſanguinem anima quoque fuerit ſecuta. Patrata cæde, ad Dominum Poloniarum Ablegatum, tanquam ad ſecuritatis aram confugit; ſed infelici conſilio; Ablegatus enim indies ex Moſcovia emigraturus, dubitârat, miſerum ſecurè avehi poſſe, indéque præcipiti, neque ſatis matura conſideratione hominem ex Aula Legatoria in Germanorum ſuburbium, ex loco aſyli, & tutis latebris in aperta carceris, vitæ, & ſupplicii diſcrimina ipſemet trahâ deduxit. Credebat utpote apud Colonellum de Gordon in ſervitiis Tzareis conſtitutum, & omnibus mandandi poteſtate præditum diutius poſſe latere, quàm apud eos, quos unanimis diſſitarum gentium conſenſus quadam legum ſanctitate munitos voluit, & inviolabiles. Ipſe Ablegatus veſpertino tempore, & turbulenta celeritate Slowodam petens, illius, quod veheret, fecit ſuſpicionem; ſtatim enim reducti indicio habito, citanti lictori jocator extraditus eſt, in quem

vulgi

vulgi ſententia pro more ſuo atrociora decernebat ſupplicia, quòd uxorem marito, & quatuor liberos patre privaverat. In quæſtione pœnali, cujus ternam crudelitatem in Moſcorum invidiam pertulit, neceſſitatem cœdis in ſui defenſionem obtendebat, ſe ad hoc facinus adactum fuiſſe, ad jugulationem, quæ ſibi ab altero imminebat, impediendam.

Servus quidam occiſo Domino perfidiæ impunitatem impetraverat, mortis pœnâ, ad quam damnatus erat, gratiosè abſolutus; hunc tamen Tzarus de novo hodierno homicidio certior redditus in vincula trahi, & ultimo ſupplicio affici juſſit.

13. Natalitiorum Salvatoris noſtri tempus ſumptuoſa comœdia celebrat. Moſcorum præcipui electione Tzari variis dignitatibus Eccleſiaſticis adſcititiis præfulgent. Hic Patriarcham exhibet, illi Metropolitas, Archimandritas, Poppas, Diaconos, Subdiaconos &c. Quod quivis ex his nominibus Tzari denominatione nactus fuerit; illius decentibus veſtimentis induatur, neceſſe eſt. Tzarea Majeſtas Diaconi perſonam ſuſtinebat. Scenicus Patriarcha cum fictitiis ſuis Metropolitis, aliiſq; in octoginta trahis, & ducentorũ hominum numero urbem Moſcuam, & Germanorum Slowodam pervadit pedo, mitrâ, & aliis aſſumptæ dignitatis inſignibus conſpicuus. Apud ditiores Moſcos, Germanos Officiales, mercatores divertunt omnes, & nati Dei laudes accinunt, muſicâ inquilinis domuum magno pretio redimendâ. Hos omnes poſt nati Dei encomia apud ſe decantata, Generalis Lefort jucundiori muſicâ, convivio, & choreis recreavit.

14. Mercator Moſcoviæ ditiſſimus, quem Filadilow nominant, quòd Tzaro cum Bojarinis ſuis apud ſe natum Deum laudanti duodecim tantùm rublos dederit, ita offendit, ut Tzarus quamprimùm 100. plebejos ad dicti mercatoris ædes cum mandato dimiſerit, ne ſingulis ſingulos rublos cunctaretur exſolvere. Principem Tzerkaski verò, quem opulentiſſimi ruſtici nomine mactant, alienum periculum fecit cautiorem; ne Tzari indignationem mereretur, mille rublos obtulit cantantium turbæ; eandem promptitudinem Germanos oportet oſtendere. Stratas ubique, & ferculis frigidis refertas menſas paratas ſervant, ne imparati inveniantur.

15. 16. Feſtum trium Regum, ſive potiùs Epiphaniam Domini fluminis Neglinæ benedictio commendavit. Hanc præcipuam anni ſolennitatem contemplaturus Dominus Ablegatus Cæſareus ad Cancellariam Legatoriam conceſſit, ubi in præterfluentem fluvium feneſtræ patebant. Proceſſuri

Digitized by Google

ri ad flumen hyemali rigore conſtri ctum hoc ordine ibant. Regimen Generalis de Gordon initium dedit; Colonellus Vigiliarum PræfectusMeneſius agmen duxit,Colonello Gordonio debitum ſibi in regimine locum occupante; ſplendori erat novarum veſtium exquiſitus rubor. Gordonianum excepit regimen alterum Bebraſchentsko dictum, & veſtimentorum recenti viriditate ſpectabile.LocumCapitanei occupaverat Tzarus, eminenti ſtatura venerationem concilians Majeſtati. Secutum tertium regimen, quod Semonowski cognominant; Pygmæi tympaniſtæ tantùm decoris addebant regimini, quantum ſolitæ humanæ ſtaturæ natura detraxerat; militum togis color cæruleus erat. In quovis regimine duo muſicorum chori; quodlibet octodecim muſicos numerat; regimen Bebraſchentsko octo, reliqua ſex tormenta bellica poſt ſe trahebant. Officiales regiminum pene omnes Germani nativitate ſua ſunt, aut origine; flumini glacie indurato theatrum ſuperinſtructum erat, Gordonianum ſuperiorem, Semonowski inferiorem fluminis latitudinem, longitudinem verò è regione erecti theatri occupaverat regimen Bebraſchentsko, ſuis ubique plantatis tormentis. Eâ ſeptimanâ regimen Generalis Lefort excubiarum ſtationes obibat, ideo duæ ejuſdem centuriæ clerum conducebant,duæ item baculis albis inſtructæ viam parabant, & confluentis populi violentiam arcebant. Ipſos Poppas duodecim Semskoi (ſervi culinæ Tzareæ) proximè anteibant, ſcopis, quas geſtabant, platearum munditiem ſervaturi. Perſonæ quingentæ Eccleſiaſticæ, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, Abbates, Epiſcopi, & Archi-Epiſcopi, indumentis dignitati, & muneri ſuo competentibus, atque auro, argento, gemmis, lapidibùſque pretioſè ornatis conſpicui auguſtiorem ſpeciem tribuebant devotioni. Cruci, quæ inſignis, & ex auro erat, à duodecim clericis præferebatur laterna, in qua tres cerei ardebant; nefas enim, & indecens Moſcis eſt, crucem ſinè lumine apparere in publico. Hominum incredibilis multitudo ſe undequaque conglomerabat; plenæ plateæ, obſeſſa hominibus tecta, muri civitatis refertiſſimi ſpectantibus erant. Ubi clerus capax theatri ſpatium impleverat, ſuum initium ſacræ ceremoniæ ſumpſerunt; multis accenſis cereis Divinæ invocationes præmittebantur. Numinibus ritè poſtulatis, Metropolita incenſando totum theatrum circumibat, in cujus medio fontis in ſpeciem rupta ligone glacies aquæ
locum

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

locum fecit, ut promineret; hanc tertiò incenſatam, trina ardentis cerei immiſſione, & ſolita benedictione luſtrabat; è regione theatri columna muris altior erecta ſtabat, in qua vexillum Regni velitabat is, quem Tzari electio eo honore dignũ judicaverat; ſingularis utpote Tzarorum eſt gratia, huic officio deſtinari; cujus luculentiori indicio, veſtibus à capite ad calcem novis, & aliquot inſuper aureis pro lubitu Tzari ſolet donari. Vexillum iſtud candidum eſt, aquila bicipiti auro intexta præfulgens, id autem antè explicare non licet, quàm clerus theatri cancellos ſubierit; tunc attendendum vexillifero ad ceremonias, incenſationem, & benedictionem, quarum ſingulas vexilli velitatione indicat; quem cætera regiminum vexilla accuratè obſervant, ut velitationibus ſuis correſpondeant. Abſoluta aquæ benedictione omnium regiminum vexilla eò appropinquant, theatrúmque cingunt, ut aquâ benedictâ debitè aſpergantur; quam aſperſionem deinde Patriarcha, aut eo abſente Metropolita theatro, ſive choro ſuo diſcedens, Tzareæ Majeſtati, & omnibus militibus conſuevit impertiri. Ad ultimum feſtivæ ſolennitatis complementum mandato Tzari tormenta bellica omnium regiminum mugiebant; quæ ſclopetorum excuſſorum lætus ſonitus trinis vicibus excipiebat. Ante ceremoniæ hujus initium vas figurâ ſuâ ſarcophago non impar rubro panno coopertum, in quo aqua benedicti fluminis ad Tzareæ Majeſtatis palatium advehenda, à ſex candidis equis Tzareis trahebatur; portârunt itidem clerici vas quoddam pro Patriarcha, & plurima alia pro Bojarinis, & Magnatibus Moſcoviæ.

17. Feſtum S. Joannis Baptiſtæ celebrabant Rutheni, qui herì baptizati Chriſti myſterium ſolenniter obiverunt. Ablegatus Poloniæ ſuum ex Moſcovia diſceſſum auſpicatus eſt.

18. Ex ſervis nauticis, qui nuper in Hollandia conducti, noviſſimè Moſcoviam ſubintraverant, multi ducebant uxores, qui ſuas legitimo matrimonio ſibi junctas in Hollandia, donec redirent, reliquerant; quo comperto Generalis, & Admiralis Lefort omnium religionum & Eccleſiarum Paſtoribus, Parochis, & Miſſionariis prohibuit, ne deinceps quemvis ſinè ſuo præſcitu, & ſpeciali conſenſu, copulare, aut matrimonio jungere præſumerent. Nitebatur æquitate prohibitio, aliàs enim facilè futurum erat, ut homines leviſſimi, cœlo, religione, & bonis moribus conculcatis, in perniencioſiſſimam Poligamiæ veſaniam prolaberentur.

19.

19. 20. Medicus Tzareus Gregorius Martinowiz Carbonari de Biſenegg noſtro prandio præſens à pharmacopæo, Goſen ad ægrotum monachum citatus fuit. Fortè tunc luna dilucidum intervallum homini jam ſubtraxerat; contra conſuetudinem enim, & reverentiam, omiſſâ præviæ inſinuationis decentiâ, familiari publicis diverſoriis ruſticitate, cubiculum ingreſſus erat, ubi Dominus Ablegatus Cæſareus cum Hoſpitibus ſuis pro more veſcebatur. Stupebant omnes hominis importunitatem, maximè non ſat noti, & multis inviſi; nihil publicè locutus, Medicum indicat, & faſtidioſo nutu ad ſe evocat; qui hoc ipſum indignatus, cum inſano ſibi rem fore, facilè oſtendit, eam larvam ſibi non placere. Neque Dominus Ablegatus Cæſareus acriùs delirantem, & Tzareæ Majeſtatis imperium, ut videbatur falsò ingerentem diutius tulit; ſed per ſuos de habitatione ſua juſſit educi, & ſignificari, eam temeritatem iteratò ſi tentaverit, impunem non abituram. Quis enim crediđiſſet, hominem affectæ mentis vitio in notiſſimum furorem prolapſum, Principis miniſteriis adhiberi; & dubia Medico mandati veritas fiebat ex eo, quòd modò ab ægroto venerat, quem Tzarus vellet viſitari. Verùm amenti crevit veſania; pharmacopæus velociſſimum curſum, qualis furioſis eſſe ſolet, præcipitavit ad Tzarum, de Tzarei mandati contemptu, ſua injuria, & inexcuſabili Medici inobedientia acerrimè vociferatus; cujus querelam adjuverunt, qui eum aut matrimonio affinem, aut religione ſocium habuerant. Horum criminationibus concitabatur Tzari indignatio in Medicum inſontem; cui eandem periculoſiorem efficere, alio, perverſóque dolo conabantur; cùm enim Medicus poſt viſitatum denuo ægrotum, obſequii cauſâ ad Tzarum intromitti peteret; vexillifer, qui tunc excubiarum ſtationes obibat, acceſſûs facultatem integro duarum horarum ſpatio inficiabatur ex compoſito, ut ex ipſa adventantis cunctatione, quam tunc Medico excuſare non licebat, iniquiſſimæ querelæ ſuæ conciliarent fidem; quô factum eſt, ut Tzarus admiſſum tandem ad ſe Medicum non audierit; ſed tanquam jam publicè reum in militum cuſtodiam vel arreſtum quamprimùm juſſerit concedere.

Ad veſperum ducebatur funus occiſi nuper Capitanei D. Schmid, quod Tzarus comitatus eſt. Non omittendum duxi, quàm ſtolidè, & quanto auditorum ſcandalo Prædicans, de more ſermonem faciens palàm dicere non erubuerit: non dubium

bium

bium eſſe, quin alieno ſcelere occiſus immortali fruatur beatitudine; occiſorem verò, etſi fortè pœnam temporalem effugeret, æterna tamen damnatione nunquam iri liberatum. Judicium certè ſe uno tantùm dignum.

21. Bojarino Feudor Alexiowiz Golowin tanquam Tzareæ apothecæ Præſidi heſternus caſus, pharmacopæi inſania, & Medici arreſtati innocentia ex fide relata; ut ejuſdem arreſtum viſâ ſiniſtrè deferentis injuriâ eò citiùs relaxaretur.

22. Nulla adhuc pacis cogitatione ſuſcepta, omnia conſilia bello laborabant; quamvis ſubditorum animi continuis exactionibus depreſſi, tacita indignatione belli proſequerentur incommoda, deſideratæ verò pacis tranquillitatem ardentiſſimis ſuſpiriis quotidie ingemiſcerent. Ut autem de firmo bellandi conſilio omnibus conſtaret, Tzaro volente per Senatores Regni publicatum eſt, ut omnes Knesii ad infimum Stolonock usque (id eſt omnes Principes ad poſtremum nobilem) cum congruo facultatibus ſuis ſervorum numero ad maturam expeditionem ſe paratos ſervarent. Tam facilè eſt in Moſcovia numeroſos exercitus concire.

23. 24. Circa tertiam veſpertinam Ablegatus extraordinarius Brandenburgicus de Prinz publica ſolennitate Moſcuam ſequenti ordine ingreſſus eſt. 1mò. militum deſultoriorum recenter modò erecta, & ſeptuaginta duobus capitibus conſtans centuria, à Capitaneo ſuo enſem geſtante ducta; cujus viginti quatuor primi milites equis ſubnigris, medii albis, & ultimi viginti quatuor iterum ſubnigris inſidebant. 2dò. hos exceperunt tres equi à ſervis equeſtribus ad manum ducti. 3tiò. octo officiales Domini Ablegati Brandenburgici, equos Tzareos phaleris, ephippiiſque inauratis fulgidos ſuperbè prementes. 4tò. interpres trahâ vectus. 5tò. Subſtabularius Tzareus pariter in traha. 6tò. traha Tzarea inaurata à duobus equis candidis ducta, hanc cum Priſtavo Ablegatus occupaverat; præter duodecim ſervos Tzareos rubris veſtibus indutos, quatuor Ablegati curſoribus, quos cærulei coloris veſtimenta commendabant, eandem ſtipantibus. 7timò. currus ad commoditatem Ablegati factus, & à ſex equis albis tractus. 8tavò. rheda quædam, quam quadraginta octo trahæ, quibus varia onera impoſita erant, ponè ſequebantur. Hæc ſolennis introductio erat; habitationi verò ejuſdem in Aula Legatoria cameræ aſſignatæ, quas nuper Poloniarum Ablegatus incoluerat.

Digitized by Google

Mox poſt ingreſſum Generalis Vigiliarum Præfectus de Carlowiz nimium anxia civilitate prima ſalutatione Ablegati Brandenburgici favorem ſibi devincire cogitaverat, & fortè de ejuſdem valetudine certiora indagare voluerat; cui Ablegatus Brandenburgicus reciprocæ humanitatis locò paucis reponi juſſit: ſe non noviſſe Carlowizium, & meritò mirari, quòd de ignoti valetudine ſollicitetur: quod Carlowizium ægerrimè habuit. Ablegatus Brandenburgicus ſeptem pueros muſicos (hautboiſtas vocant) ſecum adduxit, quos à Magiſtro eorum tromp: Tzarus 1200. aureis emerat. Kneſius Feudor Jurowiz Romadonowski, & Feudor Madræowiz Apraxen ſimul erant; hunc Kneſius Romadonowski incultorum morum conſuetudine multis primùm convitiis impetitum, librato jam, quem manu tenebat, baculo ferire parabat; commotus autem Apraxen nobilioris animi vir, tam indecenti, craſsíque tractamenti injuriâ, evaginato gladio, niſi ſiſteret, lethale vulnus minitatur. Cohorruit ad ſubiti conſilii audaciam Romadonowski, & genua dicti Apraxen amplexus veniam rogavit: meminiſſet ſe fratrem, & amicum, non hoſtem eſſe: quàm crudelis in miſeros, tam pavidus in generoſos.

Colonelli Vigiliarum Præfecti Priſtavi, qui aulæ Præfecti munere in Ablegatione magna Moſcica nuper Viennæ functus erat, ducebatur funus; cui, & conſueto poſt ſolennitatem funeralem convivio à Generaliſſa de Meneſes inſtructo, Tzarus intereſſe dignatus eſt, & cùm vinum, quod circumferebatur, nimiæ acrimoniæ guſtando deprehenderet, palàm edixit, id bene convenire mortualibus exequiis.

25. Medicus Tzareus Carbonari de Biſenegg hodie arreſto ſuo liber, cùm ex Principe Romadonowski longioris detentionis ſuæ cauſam ſciſcitaretur, nihil aliud reſponſi tulit, quàm id vexandi duntaxat gratiâ factum eſſe. Lepidiſſimus certè & elegans hic jocus eſt, qui ſi non vitæ, ſaltem honoris periculum vexato adfert & jacturam. Similis vexatio certè non dat intellectum paſſo, ſed adimit inferenti.

26. Cujuſdam de plebe filiæ (Mons aurifaber pater dicebatur) natalis inclaruit, quia Tzarea Majeſtas eundem præſentiâ ſuâ nobilitavit.

27. Mercator Kannengieſſer elocavit filiam, in cujus ſolenni, magnificáque celebratione Tzarus illius fungebatur officio,

Digitized by Google

cio, cujus eſt, omnibus Hoſpitibus miniſtrare. Mareſchalli munus Generalis Lefort, D. Adamus Weyd cum Colonello Palck officialium obierunt.

28. Erneſtus Guilielmus de Seuff à Bojarino Pleſceow per iter in loco, Zuckermandl dicto, vi, & falſis perſuaſionibus in Moſcoviam deductus eſt. Peſſimè autem Moſcuæ habebatur: ipſi enim ſolo Guaſſ, & pane vivendum erat; ubi aliud petebat, ipſius caput Moſci ad parietem allidebant. Puero huic ſedecim ad ſummum annorum à Bojarino Pleſceow plures puellæ proponebantur; ex quibus pulcherrimam ſibi eligeret, ſi prius Ruthenam religionem amplecteretur; metus etiam ſuberat, ne alia quadam nefanda conſuetudine depravaretur. Is refugium ſuum cum lachrymis ad Dominum Ablegatum Cæſareum ſumpſit prima Natalitiorum die; Tzarus autem inſtante Bojarino, puerum tanquam ad famulitium & aulam ſuam adſciſcendum ſibi mitti, poſtulavit; nullam deinceps ſeveritatem, penuriam, aut vim ob religionem ſuam experturum. Hodie tamen pleniſſimè manumiſſus ad Dominum Ablegatum rediit.

Mercatori cuidam Anglo pœna ſolvendorum 1000. rublorum dictata eſt; quòd ejuſdem frater Moſcis ex Anglia in Cataloniam profecturis 2000. ducatorum cambium non ſolverit; non obſtante, quòd ipſis Moſcis, qui abituri tantùm 500. ducatos exegerant, omnis culpa æquiſſimo jure foret imputanda.

29. Quinquaginta monetæ adulteratores deprehenſi, habitâ ſufficienti criminis notitiâ, ad flagella (Knuttas vocant) condemnati ſunt. Succedit in pœnam fuſtigationis, noſtris in regionibus uſitatæ.

Moribus, & conſuetudini repugnat, exterorum Principum Ablegatos, antequam claros Tzari oculos viderint (id eſt audientiam habuerint) aliquem ad ſe admittere, aut accedere; nihilominus Danicus Ablegatus Brandenburgicum viſitavit: impatiens fortè ineundæ ſingularis cum illo familiaritatis.

30. Ablegatus extraordinarius Electoris Brandenburgici ad audientiam admiſſus, quem in inaurata Tzari traha, quam duodecim ſervi Tzarei, duo Ablegati Ephœbi, & quatuor curſores ſtipabant, cum Priſtavo vectum, anteceſſerunt Officiales ejus equis Tzareis ditiſſimè ornatis inſidentes; Credentialibus cæruleo ſerico involutis ab Ablegationis Mareſchallo immediatè ante traham prælatis. Audientia

data illis in ædibus, quas, ſumptibus Tzareis ad regium luxum extructas, interea Generalis Lefort inhabitabat, qui Tzaro poſt conſuetas ceremonias diſcedente, Dominum Ablegatum cum toto comitatu vino liberaliter honoravit: utpote quem paulò antè magnus Tzari Orator in terris Brandenburgicis Commiſſarium ſuum habuiſſe, adhuc noverat, & amabat.

Iterum decem adulteratores monetæ, uno ad ſuſpendium damnato Knuttis cœſi ſunt.

31. Maritum, multis vulneribus occiſum, in plateis inventum, & fuſo ſanguine fœdiſſimè deformatum, uxor in eodem carpento ante ſe poſitum lugubri & miſerabili ejulatu domum avexit.

Omnibus officialibus bellicis denuo ſeriò injunctum eſt, ut ad maturam expeditionem paratos ſe præſtarent.

FEBRUARIUS.

1. Dominus Ablegatus Cæſareus ſolenni comitatu Dominum Ablegatum Brandenburgicum viſitando curiali conſuetudini ſatisfecit.

Tractamentum Tzareum Brandenburgico datum. Major huic honor habebatur, quàm Polono, & Danico. Quinquaginta enim cibis, & viginti quatuor amphoris potûs inſtruebatur menſa; indicio reliquis dato, quantùm dilectione inferiores ſint.

2. Quam domum favoritæ ſuo Alexaſcæ Tzarus nuper donaverat, eam hodie ſolenni ritu Epicurea nimirum convivatione Bacchus initiavit. Elapsâ ſeptimanâ triginta Strelizii ex Azowiano caſtro huc pervenerunt, ſtatum Moſcuæ, & modum contemplaturi, quo perduelle propoſitum tantò faciliùs ad optatum exitum poſſent perducere. Sed delatis ad Tzarum impii conſilii indiciis, omnes comprehenſi, atrocitatem equulei quærente Tzaro primùm experti ſunt.

3. Ablegatus Brandenburgicus in mutuam ſolitæ officioſæ humanitatis viciſſitudinem Dominum Ablegatum Cæſareum viſitavit, toto ejuſdem ſplendidiſſimo comitatu augente ſolennitatem.

Dum triginta illi Strelizii hìc torquentur, iterum quingenti alii ſeditioſi Strelizii in Moſcuæ vicinia tumultuantur.

4. Novis rebellibus, novi parabantur equulei. Quot Bojarini, tot quæſitores; ſpectatæ fidei obſequium erat, torquere ſontes. Ablegati cujuſdam Officiales, quos avida videndi

dendi

dendi curioſitas ad Bebraſchentsko evocaverat, varia reorum ergaſtula inſpexerunt, illuc contendentes, ubi atrocior ejulatus majoris luctûs tragœdiam indicabat. Jam tria cum horrore tranſierant, ſed funeſtior ejulatus, & inaudita gemendi atrocitas, quartæ domûs crudelitatem rimari ſtimulabat; ſed vix intromiſſi, abituriebant, Tzari, Bojarinorúmque conſpectu attoniti: Nareskin, Romadonowski, Ticchon Nikitowiz è præcipuis erant; receſſuros alloquitur Nareskin: qui ſint? unde, & ad quid veniſſent? interrogans; ægrè ferebant, eo in officio ſe ab exteris deprehenſos eſſe. Renunciari deinde per interpretem juſſit, ut ad ædes Romadonowski concederent, habere enim Kneſium, quod ipſis loqueretur. Cunctantibus Tzari mandatum adjectum eſt, ni parerent, contemptui impunitatem non fore. Illi tamen nihil comminatione deterriti, libertatis fiduciâ inſolentiores reponebant jubentibus: ſe nullius audire mandata; ſi Kneſius, quod loquatur, haberet, non ignorare, cujus Ablegati domeſtici eſſent, apud eum omnia melius fieri. Diſcedentes verò bellicorum officialium unus perſecutus, ut invitos, quò Bojarini juſſerant, vi pertraheret, non dubitaverat retardando equo in præcipitem curſum effuſo manus injicere, ſed numero, & animo officialium partes fortiores erant; obniti parantem potiori reniſu deſtituentes ad tutius receptaculum evadebant. Fortè curioſæ temeritatis pœna fuiſſet, ad idem officium adactos à Bojarinis conſpici, in quo primi ipſos deprehenderant.

5. Affixa in urbe placata, ut ſe ſiſterent, qui nomen militiæ dare reſolviſſent, exceptis Bojarinorum ſervis, & quos alia juris vincula ſuis Dominis feciſſent obnoxios.

Quidam rebellionis complex quæſtioni pœnali ſubjiciebatur; ejus lamenta, dum alligaretur patibulo, ſpem faciebant, poſſe per tormenta exprimi verum; ſed eventu multùm contrario: quamprimùm enim corpus fune diſtendi cœpit, præter membrorum, quæ naturalibus ſuis juncturis evellebantur, horribilē fragorem, ipſe ad ſubſecutos etiam triginta Knuttarum ictus, mutus perſiſtebat, quaſi doloris major moles eſſet, quàm ut ſenſus affligeret. Credebant omnes, in homine nimia calamitate contrito, gemendi, loquendíque facultatem periiſſe; patibulo ergo, & infami fune ſolutum, mox interrogant: num noſceret, qui adeſſent? ſingulorum nomina ad ſtuporem accuratè recitavit. Sed ad ingeſtam de-

nuo de perfidia quæſtionem, altùm iterum obmutuit, nec ſilentium ſolvit, dum integro quadrante Tzari juſſu torreretur ad ignem. Quam ſceleratiſſimam perfidi obſtinationem Tzari indignatio diutius non ferens, baculum, quem tunc fortè gerebat, furiosè ſuſtulit, ut eo violenter intruſo obfirmatas pertinaci ſilentio fauces effringeret ad vocem & loquelam. Utì & verba hæc, quæ furenti exciderunt: fatere beſtia, fatere: iracundiæ magnitudinem palàm eloquebantur.

Circa undecimam noctis Kneſius Galizinus Ablegatum Brandenburgicum ad ſe accerſit, cauſatus: habere ſe magni momenti negotia cum eo conferenda. Neſcio quibus moribus introductum fuerit, ut Moſci res ſuas velint nocturna trepidatione potiùs, quàm diurnis miniſteriis agi: fortè, quia Principi, quem abſoluta poteſtas timendum magìs, quàm verendum efficit, frequentes Magnatum cum exteris côitiones meruerunt eſſe ſuſpectæ.

6. Ablegati Brandenburgici prima conferentia cum Legatoriæ Cancellariæ Supremo Præſide Leone Kirilowiz Nareskin habita eſt.

7. Medicus Zoppot incepit exercere Anatomiam præſente Tzaro, multìsque Bojarinis, quos Tzari mandatum etiam faſtidientes coëgerat.

Apud Kneſium Boriſium Alexiowizium Galizinum Tzarus prandere dignatus eſt, cujus in domo antecedente nocte, ſomno, curìsque indulſerat.

Ex inquiſitis rebellibus unus pugionem aptaverat in jugulum, ſed perficiendo crimini non ſuffecerunt vires; vulnus tamen tale erat, ut neglectum pararet morti viam. Intererat Principis, ne præcipitato obitu quæſtioni, & tormentis ſubduceretur: proinde imperavit, omnem medendi ſolertiam ſanando vulneri impendere. Quin adeſſe etiam, & ſolari patientem criminalem ſuſtinuit, cùm pharmaca diluerentur, ut Medici ſuâ præſentiâ induſtrii magìs omnia ex fide meliùs curarent.

8. 9. Sumptuoſo convivio Tzarum, Bojarinos, Repræſentantes, & officiales alios quamplurimos D. Adamus Weyd, ſplendidè tractavit. Tzarus autem altis cogitationibus immerſus, triſtis magìs, quàm læti animi faciem præſeferebat.

10. Mandatis nuperis citata nobilitas aderat, quid è re mandati ſit, expectans. Illis, qui ad bellica ſervitia ſe obtulerant, intimabatur: in militum numerum aſſumi non poſſe.

Mon-

Digitized by Google

Monſtrum videtur, quòd allata pacis notitia publici luctûs ſit causa, iis etiam, qui hucuſque pacem tantopere ſuſpirâ-runt, exteriori ſaltem ſpecie, ne offendant, eandem aver-ſantibus.

11. Tzarus biennali armiſtitio ſuo illubenter intellecto, cùm aliter non poſſet, edictis ad loca publica affixis, pro-mulgari fecit, nullam expeditionē bellicam eo anno futuram; redirent ad notas domos, qui ejus causâ acciti conveniſſent. Ex octoginta Chiliarchis Germanis quadraginta conſtitue-rat dimittere, ut ſumptus ad tempora magis neceſſaria ſervari poſſent, quinquagintaverò Colonellos Ruthenos ſuis in offi-ciis ſinè ſtipendio poſſe relinqui.

Novo flagitio alii ſexcenti periculoſos in Sibiria motus ex-citârunt, qui omnes equites ſub nomine Hordæ Tartaricæ horrendis latrociniis, rapinis, & ſpoliis omnia infeſtârunt, & diripuerunt. Affigebantur ſcripta publica, quibus de plebe omnes evocabantur ad Bebraſchentsko, ut intuerentur, quæ pœna perſequeretur Streliziorum perfidiam. In diverſis locis reorum executio erat; multi capite, auribus & naribus cen-tum alii truncati; quoſdam lictor inuſtione notabat, aqui-lam in facie ignominiosè præſeferentes.

12. Quidam externus ſancto gentibus nomine conſpicuus, oppoſiti Septentrionis commoda promovens, immodicum ex vino hauſto calorem frigidiſſimo aëre temperaturus, omnes urbis plateas carpento oberravit, nec antea domum ſuam reverſus eſt, quàm illud crebra offenſione, & alliſu la-ceratum, onus, & vectorem ampliùs ſuſtinere non poſſet. Felicitati ſuæ imputet, à noctambulonibus Moſcis ſe non de-prehenſum, offenſum, aut omnino trucidatum eſſe; maximè cùm plebis Moſcicæ præcipuæ deliciæ ſint furere, & debac-chari poſſe in Germanos. Clariſſimum ejuſdem documen-tum hodiernus aperuit dies. Ex noſtris curſoribus unus, idiomatis Moſcici gnarus, in Ruthenum incidit, multa in Germanos convitia furiosè evomentem. Vos canes Ger-mani, inquiebat, ſatìs hucuſque liberè furati, & prædati eſtis, jam verò tempus adeſt coërcitionis, & ſupplicii. Curſor ut contumelioſæ vocis teſtem haberet, qui eadem audiret, militem vocat, homuncionem denique ad cuſtodiam trahi jubet, ſed mandato Domini Ablegati Cæſarei homo nauci militum arbitrio relictus eſt, qui omnibus ſpoliatum fuſtibus bene onerârunt.

13. Dies

13. Dies ducentorũ hominum ſupplicio funeſtus, & atro certè calculo notandus, omnium capita ſecuri abſtulit. In ſpatio ampliſſimo, & Arci Kremelinæ proximo trabes, quibus rei incumberent, diſpoſitæ erant; longitudinem paſſibus ipſe emenſus ſum, duas trabes æquabat latitudo. Tzarea Majeſtas cum quodam Alexandro, cujus conſuetudine plurimùm delectatur, illuc carpento venit, & funeralem aream tranſiens, intravit propinquum è regione locum, ubi triginta damnati nefariæ molitionis crimen morte expiârunt. Interea ſupra deſcriptum ſpatium calamitoſa reorum turba impleverat, redierátque Tzarus, ut ſe præſente punirentur, qui in abſentem tantum nefas ſacrilego conſilio fuiſſent meditati. Scriba apportatum à militibus ſcamnum conſcendens, conceptam in rebelles ſententiam, diverſis in locis promulgavit; ut delicti enormitas, & ſupplicii irrogandi juſtitia circumfuſæ multitudini eò meliùs innoteſceret. Eo ſilente, lictor tragœdiam exorſus eſt: ſuus miſerabilibus ordo erat, omnes ſibi invicem ſuccedebant, nullam vultu præſeferentes triſtitiam, aut inſtantis mortis horrorem. Neque tamen eum mortis contemptum ad animi magnitudinem referri velim; potiùs credo, atrocis flagitii infamiâ, & tormentorum, quibus indies excarnificabantur, crudeli memoria ad tantum ſui, vitæque contemptum fuiſſe deductos. Unum ad trabem uſque cum prolibus uxor, multo & horribili ejulatu ſecuta eſt. Is mox trabi incubiturus chirothecas ſuas, & linteum, quod reliquum ſibi fuerat, uxori, & dilectarum prolium lamentabili turbæ ultimi vale locò dedit. Alius, quem ordo ad funeſtæ trabis oſculum vocabat, querebatur de morte, quam innocens cogeretur oppetere, cui Tzarus non plus paſſu remotus: morere miſer; ſi fueris innocens, culpam ſanguinis tui ego habebo. Præter Tzarum & ſupra nominatum Alexandrum adſtabant quidam alii ex Moſcorum Primoribus. Uni Tzarus dixit, ut & ipſe ſecurim apprehenderet; qui excuſando, ſibi non ſatis animi ad id officium eſſe, ſtoliditatis argui meruit. Peracta executione Tzareæ Majeſtati apud Generalem Gordonium cœnam ſumere placuit; læti autem animi indicium nullum dedit, reorum obſtinationem, & pertinaciam multis exaggerans; Generali Gordonio, præſentibúsque Moſcis Magnatibus indignante narratione expoſuit, aliquem ex damnatis tantæ pervicaciæ fuiſſe, ut trabi incubiturus, Tzarum propiùs fortè adſtantem his verbis aggredi

auſus

Digitized by Google

auſus fuerit: cede Domine, meum eſt hic jacere. Inter 150. tres ſolummodo ſe criminis, & proditionis reos confeſſi, & Tzaream Majeſtatem præſentem deprecati ſunt; idcirco Principis ſui Clementiâ digni, pœnâ mortis liberati, delicti veniam obtinuerunt. In craſtinum autem diem nova executio adornabatur, ad quam Generalem Gordonium Tzarus invitavit; velle enim ſe, novo, & inſolito genti ſuæ more reos non ſecuri ſed enſe juſtificari; oſtendit adhuc eo veſpere ſæpe dictus Alexander, carpento per omnia Urbis compita vectus, creberrima nudi enſis oſtentatione, quàm ſanguinolentam craſtini diei tragœdiam exſpectaret.

Antequam dies penitus cœlo deceſſerat, Ruthenus quidam cum octodecim complicibus ob exercitas rapinas captus, & incarceratus eſt.

14. Apud Campi Ducem Schachinium habebatur delectus officialium in Bebraſchentsko; ad Jauſam verò 150. rebelles trahebantur ad pœnam: 84. ſeditioſa capita Tzarus enſe demeſſuiſſe dicitur, Bojarino Pleſceow ſingulos reos ita in altum crinibus trahente, ut certior ictus foret. Tres e uſüi parati enſes erant, unus, dum librabatur, in fruſta diſſiliens deſtituit ictum. Qui Coſſaci huic tumultui ſe immiſcuerant, in quatuor partes diſſecti, & infamibus palis affixi, terrori, & pœnæ exemplo ſunt iis, quos inquietus animus fortè deinceps ad parem flagitioſam audaciam poſſet incitare. Quinque alii pervicacioris conſilii rei manibus, pedibúſque antea decuſſis capite plexi ſunt.

Tzareæ poſtæ Magiſter diem Mercurii litteris ad poſtam ferendis indici fecit; cùm antea fuiſſet dies Sabbathi.

15. Cùm peteretur conferentia apud Leonem Kirilowitium Nareskin; reſpondit is: ſe priùs Tzaro locuturum.

Advenerunt quatuor Franciſcani Itali Miſſionarii Apoſtolici in Chinas cum quodam Polono Tertiario S. Franciſci eorum Moſcuam uſque interprete; apportârunt ſecum litteras Cæſareas, Regis Polonorum, & Reipublicæ Venetæ ad Tzaream Majeſtatem; ut eò faciliùs tranſitus per Sibiriam obtineri, & illo viarum compendio uti poſſent.

Ablegatus Brandenburgicus cæteros Repræſentantes, & plurimos Officiales bellicos Germanos ad magnificè inſtructum prandium invitaverat.

P Circa

Digitized by Google

Circa quintam veſpertinam inter Dominum Ablegatum Cæſareum, & Bojarinum Leonem Kirilowizium Nareskin, ac Dumnium Æmilianum Ignatowizium Ukrainzow conferentia habita eſt. Potiſſima ejuſdem puncta ſequentibus continebantur. Primum erat Sac. Cæſ. Majeſtatem 26. Novembris elapſi ad inſtantes humillimas preces civitatis Imperialis Bremenſis, & remonſtratam ingraveſcentem apud eos annonæ difficultatem, amicas, fraternáſque ad Tzaream Majeſtatem litteras dediſſe, requirentes eandem, ut dictæ civitati Imperiali neceſſariam in ditionibus ſuis annonam liberè coëmendi, atque tutò indè exportandi facultatem concederet; quo præſtito beneficio Tzarea Majeſtas non tantùm dictam civitatem ſingularem in modum ſibi devinciret, commercium ſtabiliret, ſed & Auguſtiſſimum ad reciprocæ benevolentiæ officia obligaret. Secundum Monachos Franciſcanos brevì per Sibiriam in Chinas expediendos concernebat. His aliíſque quibuſdam punctis propoſitis ad Tzarum referendis, conferentia finita eſt.

Tzarea Majeſtas cujuſdam Colonelli, Mias dicti, nuptiis interfuit.

18. 19. Dominus Ablegatus Cæſareus omnes Repræſentantes, alióſque ex Germanorum Slowoda præcipuos opulento convivio excepit.

Magna prædonum in Moſcovia eſt copia, major temeritas. In quorum pectoribus artis ſuæ crudelitas omnem humanitatem, & pudorem delevit, pleno etiam die graſſari non timent; adhuc clara modò inchoati crepuſculi luce famulum Tzarei Medici Zoppot, Dominum ſuum ponè ſequentem, invaſit ex prædonum grege aliquis, & ſpoliatum pro efferatâ ſua conſuetudine certò trucidâſſet, niſi Medicus id advertens, cum aliquibus aliis commodè ſibi occurrentibus veloci & improviſo auxilio latronis conſilia turbâſſet.

Inclinante nocte Dominus Ablegatus Cæſareus cum reliquis Repræſentantibus à Colonello Barone de Blumberg nomine ſuæ Tzareæ Majeſtatis invitatus, ad ædes Principis Romadonowski ſuburbanas conceſſit, ut ſpectaculo artificioſorum ignium intereſſet, cujus prima repræſentatione ternæ exhibebantur coronæ cum inſcriptione: vivant. Secundâ cor duplex cum inſcriptione: vivat. Tertiâ itidem duplex cor ſinè lemmate.

Digitized by Google

21. Quod palatium Tzareis impenſis exſtructum interea Lefortianum appellari placuit, fictitius Patriarcha cum tota ludicri cleri ſcena ſolenni feſtivitate Baccho inauguravit: ex ædibus Colonelli Lima in illud proceſſus inſtitutus. Patriarcham aſſumpto honore conſpicuum reddiderunt indumenta Pontificem decentia: mitram ornabat Bacchus, tota ſui nuditate oculos laſciviæ admonens. Cupido cum Venere inſignia pedi erant; ne ignoraretur, cujus gregis Paſtor eſſet. Hunc inſecuta cætera Bacchantium turba; hi magnos crateras vino repletos, illi mulſum, iſti cereviſiam, & crematum, ultimam accenſi Bacchi gloriam manibus præſeferebant. Cúmque redimiri tempora lauro hyemis rigore non poſſent, ſiccatam ad aëra tabaci herbam plenis pateris præferebant, quâ accensâ omnes palatii angulos pervagando, gratiſſimos odores, & amœniſſimum Baccho ſuffitum ex caliginoſis faucibus exhalabant. Duabus fiſtulis, per quas attrahendi fumi conſuetudine inaniſſima quorundam delectatur imaginatio, in transverſum poſitis, ſcenicus Antiſtes conſecrationis auguria confirmabat, quis enim credet crucem formatam, & pretioſiſſimum redemptionis noſtræ lytrum ludibrio habitum.

22. Ad Regiæ opulentiæ dapes, & ſumptuoſiſſimum duorum dierum convivium præter Moſcoviæ Magnates cæteri Repræſentantes nomine Tzareæ Majeſtatis invitati, in novo, & heſternis ceremoniis Baccho dicato palatio comparuerunt. Princeps Szeremetow Equitem Melitenſem ſe ferens, crucis inſigni pectori appenſo, Germanos mores, quorum veſtes induerat, ſolertiſſima imitatione exprimebat, gratus indè Regi, & præcipuo in honore habitus, Bojarinorum meruit invidiam; verentium, eundem annitente Tzari Clementia ad majus potentiæ faſtigium eluctaturum. Inſitâ mortalibus naturâ, recentem aliorum felicitatem ægris oculis aſpicere, modúmque fortunæ â nullis magìs exigere, quàm quos in equo vident. Quos Tzarus ex officialibus ſuis bellicis novitatis avidos largiores veſtes portare notaverat, iis propendentes profundiùs manicas abſcidit, & hiſce allocutus eſt: ecce impedimenta hæc ſunt; nullibi ſecurus agis; modò vitrum effundis, modò in juſculum incuriè intingis; cures exinde tibi caligas fieri.

Septimanam, quæ quadrageſimale jejunium antecedit, Rutheni Maslanizam vocant; quia prohibito eſu carnium

Digitized by Google

iis diebus butyro veſci licet. Veriùs Bacchanalia dixero, cùm continuis debacchationibus ſe, & tempus mancipent. Nullus tunc libidinis pudor, nulla Superum reverentia, nocentiſſima ubique licentia: quaſi crimina eo tempore commiſſa, nullus judex, nulla æqua lex perſequi poſſet; latrocinantium tanta ſecuritas, ut ferme audire nihil ſit, præter cædes, & funera. Vigiliæ quidem in certas ſtationes diſtributæ ſunt, tantis malis præventuræ; ſed temulentos, & communis vitii participes nulla cura, nullus metus coërcet. Hanc morum corruptelam penitus abrogare, multorum Patriarcharum laudabilis opera fuerat; plus tamen efficere non valuerunt, quàm ut exitiabili conſuetudini, quæ aliàs quatuordecim dies ſibi vindicaverat, octo dies adimeret, ut ex breviori infamia, cui in totum mederi inveteratus error non ſineret, leviora ſaltem vulnera eſſent.

23. In hunc diem continuabatur convivium, neque facultas data, domos proprias ad capiendum ſomnum adeundi; Repræſentantibus certa cubicula, & dormiendi hora aſſignabantur; quibus elapſis mutabantur ſtationes, oportebátque ſuccedere in choreas, & cæterorum tripudiantium plauſus.

Cùm Miniſtrorum quidam Alexandrum favoritam recommendaret, ut Tzarea Majeſtas eum ad Equeſtrem ordinem evectum Stolnock crearet, reſpondiſſe fertur: jam abſque hoc indebitos ſibi honores uſurpat, ambitioni præſtat demere, quàm addere.

24. 25. Ad propoſita in nupera conferentia puncta ſequens reſolutio obtigit Domino Ablegato. 1ò. Monachos Franciſcanos per Perſidem in Chinas expediendos. 2dò. petito Bremenſi in præſens deferri non poſſe; prohibere id propriam in Moſcoviæ viſceribus annonæ caritatem; in futurum autem nihil poſſe promitti; cùm futurorum eventus obſcuri ſint, & ignorentur. Quod ſua æquitate nitebatur, cùm tanta frumenti in ipſa Moſcovia difficultas fuerit, ut triplo, & quadruplo in loco meſſis, ſeptuplo autem in remotioribus Azowium versùs coloniis vendi conſueverit. In diverſis urbis locis decem, varia crudelitate occiſi, reperti ſunt.

26. Ex mandato Tzari Generalis Lefort eos omnes magnificè tractavit, quorum præcipuâ operâ in Cancellariis utuntur. Novæ autem pecuniariæ exactionis modus hic erat: cenſebantur omnes pro officiorum, quibus præerant, diverſitate; Dumnius mille, Diacus ducentis rublis æſtimabatur;

batur, eadem proportio ad ſcribarum infimum uſque pari diligentia obſervabatur.

Neque Moſcorum biennalis profectio utilitate caruit; modum didicerunt, exhauſto Principis ærario conſulendi; authore enim Generale Lefort, cujus conſilio id imputabant, cautum eſt, certâ horâ urbis portas claudere, qui deinceps intromitti cuperet, ſolutâ kopicâ, ſi ſolus, ingreſſum concedendum; ubi autem cum animalibus veniret, quot capita tot kopicas exigendos.

27. Lex hæc omnibus Repræſentantibus inſinuata per Principem Romadonowski; eos enim immunes eſſe non poſſe, cùm ipſa Tzarea Majeſtas eidem legi ſe ſubjecerit. Quòd ad Kabakam tres incertis latronibus occiſi jacuerant, Moſcus qui Kabakam incolebat, ad quæſtionem raptus eſt; ut indicaret, quos ſera in nocte habuiſſet potatores. Quo cœdis authorem faciliùs deprehendi poſſe ſperabant.

28. Ablegatus Brandenburgicus ad audientiam valedictoriam evocabatur, aderat Priſtavus cum curru Tzareo, & pro officialibus Tzari ſtabulum equos ſubmiſerat; comperto autem, inſcio Tzaro eam ſcenam paratam fuiſſe, in alium diem dilata ſolennitas.

Prope Kremelinam duobus in locis triginta ſex, in Bebraſchentsko autem 150. rebelles extremo ſupplicio affecti.

Jucundiores & Regii ſplendoris ludos adornaverat veſpera; meditatos ex ſulphure ignes ad videndi voluptatem factos exhibebat. Igitur ad palatium Lefortianum, unde liberrimus in artificioſi ignis ſimulacra proſpectus erat, præter Moſcicam nobilitatem Repræſentates rogati ſe contulerant. Tzareiwizius cum Sereniſſima Principe Natalia Sororum Tzari chariſſima eodem loci, ſed ſeparato in conclavi, inſpectabat ludentis ignis comœdiam. Repugnat enim mori patrio juvenes Principes frequentiorem ſui copiam facere, tanquam quibus major è longinquo reverentia: cui eatenus aſſentior, ubi populus Principem colit, non quem amat, ſed quem timet; poterit enim ſeceſſus ille magis metuendum reddere Principem, magis amabilem efficere nunquam poterit.

MARTIUS.

1. Ablegatus Brandenburgicus ad audientiam dimiſſoriam ſolenniter deductus eſt, in carpento Tzareo, ſex candidis equis

Digitized by Google

tracto, cum Priſtavo vehebatur; equos conſcendebant officiales; duodecim ſervi de ſtabulo Tzareo auxêre numerum comitantium; ſolennitas hæc autem in jam ſæpe nominato Lefortiano palatio peracta eſt. Eodem tempore, & occaſione Dominus de Zadora Kieſielski hactenus Ablegationis Mareſchallus legitimatus, & acceptatus eſt tanquam Reſidens, in locum Domini Ablegati ſubſtitutus, quem Tzarus juſſerat ad prandium remanere; ad quod ſplendidiſſimè paratum exterorum Principum Ablegati, & Bojarinorum primi convenerant. Peracto convivio Dumnius Moſeiwiz, qui ad arbitrium Tzari Patriarcham mentiebatur, in ſalutem propinare cœpit; bibentem oportuit poplite per ludibrium curvato Eccleſiaſticæ dignitatis larvam venerari, & benedictionis gratiam, quam duabus fiſtulis tabaci in crucis modum figuratis impertiebatur, implorare; ſolus ille Ablegatorum furtivo conſilio ſe ſubduxerat, cui vetuſtiſſimæ Chriſtianæ religionis ſanctitas non probabat hos jocos. Tripudiorum quoque initia idemPræſul paſtorali, & pedo conſpicuus honeſtabat. Quod conclave cubiculo proximum erat, in quo hoſpites lætabantur, iterum Tzareiwizius cum Principiſſa Natalia occupaverat, ibi choreas, & totum gaudentium tumultum diductis pauliſper aulæis, quibus locum ſuperbè ornaverant, inſpectârunt, non conſpecti à convivis, niſi per tranſennam. Congenitam Tzareiwizii pulchritudinem, veſtium Germanicarum humanitas & crinium aſſumptitiorum candidus decor mirè commendabant. Nataliam ſtipaverant ſelectæ Matronarum. Multùm quoque hic dies de morum Ruthenorum contumacia remiſit, qui à publicis hominum conventibus, & conviviorum lætitia ſexum muliebrem hactenus prohibuerant, aliquibus enim non epulis tantùm, ſed ſubſecutis etiam tripudiis licuit intereſſe. Tzarus ea nocte iter Veroniſcham paraverat, hinc Carlowizio in Poloniam ad Regem ſuum remigraturo, poſt alias invidioſas verborum blanditias oſculum dedit, ea lege, ut id deferret ad Regem velut evidentiſſimum pignus perpetui amoris, icone etiam ſua multo Adamante pertioſiſſimè ornatâ, Carlowizium donavit, Regiæ benevolentiæ fructu, quam ſibi conciliaverat.

Dominus Ablegatus Cæſareus interceſſione ſua pro Colonello de Duishe obtinuit facultatem abeundi Moſcoviâ cum uxore & prole; etſi ſinè exemplo fuerit, ſic dimitti quem-

quempiam, cum non tantùm ipſe, ſed & ejuſdem filia per baptiſmum Ruthenæ religioni mancipati eſſent. Omnibus demum Tzarus valedixit, & intellectâ pace confœderatorum aliquantùm turbatus, inter tubas, & ſymphoniam, atque aſſonantium tormentorum lætos fragores viam auſpicatus eſt.

2. Quantus præteritâ ſeptimanâ tumultus, & furor, tantum iſtâ ſilentium, & modeſtia, ſive pœnitentiâ tot ſumptuum, ſive ſcelerum conſcientiâ: niſi fortè feſtiva temporis ſanctitas homines modò ſolutos, & ad omnem libidinem & ſcelerum licentiam audaces ad tam compoſitam diſciplinam frœno adeò violento retraxerit; non tabernæ, non fora patebant; nullum tribunalium tempus, aut judicis officium, non oleo lini, non piſcibus veſci conceſſum; ſtrictiſſimum jejunium ſolo pane, & terræ fructibus corpora macerabant, inopinâ certè, & vix credenda metamorphoſi.

3. 4. Ad Aulam Legatoriam multi cogebantur Potwodæ, qui dolia pyrio pulvere referta, & multa alia ad belli proſecutionem requiſita, Veroniſcham ad naves aveherent.

Ablegati Danicus, & Brandenburgicus ex ædibus Generalis Lefort, cum quo ad ſalubrem veſperam uſque ſub aperto cœlo multùm perpotaverant, abierunt Veroniſcham, impetrato jam antea Tzari conſenſu.

5. Multi dimittuntur, quorum opera conducta erat, quadraginta chyrurgi licentiati; ex 900. ſervis nauticis ii ſervitiis expuncti ſunt, quorum Catholica religio Admirali non placebat. Generalis Lefort ſubito horrore atque æſtu febrium exardeſcere cæpit.

6. Ægroti vices ſupplet cognatus, & omnes Colonellos convivio excipit.

7. 8. 9. Generalis Vigiliarum Præfectus de Carlowiz itineri ſe dedit, quem comitati ſunt Tertiarius ille, qui nuper cum PP. Frãciſcanis advenit, junior Meneſius, & Monz. Crediderunt, quinquaginta milites Regios Saxones ejuſdem adventum opperiri Kadzinii, eum ad Regem uſque ſecurè conducturos.

A Regni Senatu decretum eſt, ut duobus proximis diebus omnes quomodocunque ſupplicio affecti ſepulchro donentur; ſive eos ſecuris, aut rota è vivis ſuſtulerit.

10. Generalem Lefort majus indies vitæ periculum urgebat, creſcente febris æſtu nullus quieti, aut ſomno locus, ipſe quo-

quoque doloris impatiens turbata mentis rectitudine, in delirium rapiebatur. Juſſu Medicorum vocati Muſici, qui ſymphoniæ ſuavitate demum ægroto ſomnum conciliaverunt.

11. Initium factum in reorum extinctorum cadaveribus ſepeliendis. Horrendum ſpectaculũ,& apud gentes politiores inſolitum,aut pene abominandum: in carpentis enim ſinè ordine plura cadavera, multa ſeminuda inconditè jacebant; ſicut mactata pecora ad forum, trahebantur ad foveas ſepulchrales.

Generalis Lefort uſu rationis penitus amiſſo, continua fabula factus, modò muſicos, modò vinum inclamabat; dum de Paſtore accerſendo mentio fieret, magìs inſaniendo excandeſcens, nullum ad ſe admiſit.

12. Generalis & Admiralis Lefort horâ tertiâ matutinâ extinctus eſt. Poſt ejus obitum multa & diverſa ſpargebantur; dubium utrum ſat certa. Cùm admiſſus ad eundem reformatorum Paſtor Stumpfius, multa de converſione ad Deum moneret, nihil aliud reſpondiſſe dicunt, quàm: ne multa verba faceret. Uxori in ultimo mortis articulo præteritorum, ſi fortè culpam admiſiſſet, veniam roganti, blandè repoſuit: contra te nihil unquam habui; te ſemper honoravi, & dilexi. Quòd autem non plura locutus, frequentatis capitis nutibus aliud quoddam commercium credunt deſignâſſe, Recommendavit præ cæteris domeſticos, & miniſteria eorundem, ut omnium merces accuratè ſolveretur. Aliquot ante mortem ſuam diebus,cùm adhuc in aliena domo charioris conſuetudinis gratiâ decumberet, horrendus tumultus in conſueto ejuſdem cubiculo excitabatur. Cohorruit uxor, & rata, maritum fortaſſe mutato conſilio jam rediiſſe ad propria, & ſic furere; miſſit, qui certiora explorarent; ſed redeunt illi aſſeverantes: neminem omnino in eodem conclavi ſibi viſum. Continuabat nihilominus tumultus, & ſi uxori ita aſſerenti fides habenda eſt, manè facto omnes ſellæ, menſæ, & ſcamna inverſa, & hinc illinc diſperſa cum horrore conſpiciebantur, præter altiſſima ſuſpiria, quæ tota nocte frequentiùs audita ſunt.

Veroniſcham quamprimùm expediebatur nuncius, qui Tzaro indicaret, Generalem Lefort ſupremo fato functum.

Interea verò Bojarinus Golowin omnia ſigillo munita cuſtodivit; clavibus cognato defuncti traditis.

13. Adve-

Digitized by Google

13. Advenit ex Polonia Alexander Dareski, cujus commiſſionem ſequentibus punctis deſcribebant: 1mò. ne cogerentur Poloni mutata religione tranſire ad Ruthenos. 2dò. ut liberè dimitterentur, qui Poloniæ, quàm Moſcoviæ ſervire mallent. 3tiò. ne ſe immiſcerent Moſci cauſæ, & diſſidio Elbingenſi. Contra liberam Polonorum dimiſſionem obſtrepuiſſe volunt Galizinum: eos dimitti haud poſſe, cùm omnia ſecreta, & intima ſtatûs Moſcoviæ fuerint perſcrutati.

14. Mercatoris cujuſdam taberna ditiſſima, neſcio in cujus delicti pœnam, confiſcabatur. Ille continuò noti Alexandri patrocinium 1000. rublis impigrè mercatur; hic tanti argenti avidus, ad ſuas partes illum trahere laborabat, cui tunc fiſci cura erat concredita. Sed ubi fideliorem ſe, & contrarium perſenſerat, utpote qui nefas credebat, fraude, damnóque publici ærarii Principis, privati hominis ſaginare peculium; minari etiam auſus eſt, ſi diutius repugnare perſiſteret, ſibi occaſionem non defuturam, contemptum, & neglectum vindicandi.

Generalis Lefort (uti aſſeverârunt) tantùm non reliquit, quo gentis invidiam ſibi, aut hæredibus concitaret. Quin potius ipſius cognatus coram Principe Galizino in terram projectus, ſupplex obteſtatus eſt: non habere ſe, quo pullatam de more veſtem ſibi fieri curaret.

Publica lege ſancitum eſt, nullam impoſterum ſupplicam Tzaro debere exhiberi, niſi ſigillo Cancellariæ ſignatam. Signaturæ autem iſtius pretium variat, prout diverſa, & major, minórve quantitas in libello expreſſa eſt. Pro ſingulis quinquaginta rublis, qui petuntur, ſingulæ griffnæ ſolvendæ ſunt; ubi autem petiti quantitas ad quinquaginta rublos non aſcendit, kopika taxa eſt.

In præcipuo Moſcoviæ templo exequiæ, & ſuffragia pro defunctis habebantur; primis cleri præſentibus, muniáque ſua obeuntibus.

15. D. Ablegatus Brandenburgicus rediit Veroniſchâ à Tzaro ſua icone donatus, quam pretioſi lapides fecerunt chariorem.

16. Generali Carlowizio in Poloniam redituro, ſubmiſſus, qui moneret, aliam, quàm Smolenſcienſem viam ingrederetur; ibidem enim ſtructas eſſe inſidias, nihil ea in regione tutum.

17. 18. Incendio combuſta domus, ſali aſſervando deſtinata; cujus ingens copia, præter plurima vaſa vino aduſto plena, quæ vires flammis addiderunt.

Digitized by Google

Veroniſchâ reverſus eſt Tzarus ob intellectam mortem chariſſimi ſui Generalis Lefort. Confirmabant, qui Tzaro adſtiterant, dum obitûs nuntium accepiſſet, non ſecus, quàm ſi Parentis mors nunciata eſſet, crebris editis gemitibus, lachrimiſque obortis in hæc verba erupiſſe: jam fidum hominem ampliùs non habeo; hic ſolus fidelis erat, cui me deinceps concredere potero?

19. Cùm cognatus defuncti Generalis Tzaream ſuam Majeſtatem debita humillima veneratione culturus adiret; nullus articulatæ voci erat locus, dolore, & fletu omnem loquendi conatum fruſtrante.

Apud Bojarinum Szeremetow Tzarus prandium ſumpſit, inquietus ſemper, vero animi dolore nullam tranquillitatem patiente.

D. Ablegatus Brandenburgicus multis Tzareis donis, conſueta erga Ablegatos liberalitate, eximiè decoratus eſt.

20. Domino Ablegato Cæſareo valedixit Vice-Admiralis, ad naves Veroniſcham eo adhuc die profecturus.

Pariter Bojarinus Golowin adulta jam nocte ad Dominum Ablegatum Cæſareum venit.

Tzarea Majeſtas inſtituit ordinem Equitum ſancti Apoſtoli Andreæ, crucem deferre præſcriptum, qualem ſancti Andreæ ſolent depingere, aliàs Burgundicam compellatam: inſcriptio primi lateris S. Andreas Apoſtolus. Alterius: Petrus Alexiowiz Poſſeſſor & Autocrator Ruſſiæ. In transverſo nomen Tzareiwizii: Alexius Petrowiz. Inſtitutus hic ordo eſt, ut eo honorentur, qui, rebus feliciter geſtis, in bello Turcico fortitudinis laudem meruerint. Primum ordinis hujus Equitem data cruce Bojarinum Golowin creavit, qui etiam Domino Ablegato Cæſareo eam hoc veſpere coràm exhibuit, & totius inſtituti ſeriem enarravit.

21. Utì omnes Repræſentantes ad funus defuncti Generalis Lefort invitati erant, ita etiam ſinguli in pullatis veſtibus comparuerunt; horâ octavâ matutinâ indictum tempus exportando funeri. Sed donec omnes in unum convenirent, & ſingula pararentur, ſol altiſſimus in meridiem vergebat, tragœdiam inſpecturus. Interim more apud Slowodenſes uſitato, menſæ tectæ, & cibariis oneratæ viſebantur. Longus paterarum ordo explicabatur; Omnis generis vina coronabant crateres, calefactum propinabant volentibus. Rutheni (quosvis enim alicujus dignitatis, aut muneris juſſu Tzareo adeſſe oportebat) ad menſam accumbentes avidè vorârunt ex ci-

Digitized by Google

ex cibis, qui omnes frigidi erant. Multiplices ibi piſces, caſeus, butyrum, ovaria, & ſimilia.

Princeps Szeremetow multa peregrinatione politior, & Germanum indutus, appenſámque ex pectore crucem Melitenſem geſtans, infra gravitatem ſuam credidit, vacare voracitati cum reliquis. Superveniens Tzarus multa doloris indicia, vultu ad mœſtitiã compoſito, præſeferebat. Repræſentantibus verò, Principem decenti cultu venerantibus, & in terram ſuo more demiſſis, exquiſitiſſima comitate reſpondit.

Cùm Leokirilowiz ſedem ſuam deſerens in occurſum Tzari properaret, ſalutationem illius quidem benignè ſuſcepit, reſponſo tamen aliquantùm temporis ſuſpenſo; donec animo collecto ad ejuſdem oſculum ſe inclinaret. Cùm exportandi funeris tempus adeſſet, Tzari, & quorundam aliorum miſeratio, atque prior in defunctum affectus palàm patuit: quippe Tzarus uberrimas lachrimas profudit, & inſpectante populo ob functionis ſolennitatem copioſiſſimè congregato, ultimum cadaveri oſculum dedit.

Proceſſionis funeralis hic ordo fuit. 1mò. Colonellus de Blumberg, equo intextis auro tegumentis fulgido vectus, totum agmen ducebat. 2dò. Hunc more ſuo regimen Bebraſchentsko dictum, ſecutum eſt, muſicis inſtrumentis ad actûs triſtitiam accommodatis; cujus prima centuria ab ipſo Tzaro pullato, & obfirmata in mœrorem facie ducebatur. 3tiò. Regimen Semonowski. 4tò. Regimen defuncti Generalis Lefort. 5tò. Cataphractus quidam Capitaneus in ornatiſſimo equo nudum enſem inverſo cuſpide præferens. 6tò. Tubicines, & Tympaniſtæ mœſtùm aggemente clangore. 7timò. Duo tubicines defuncti Generalis pullata contecti veſte. 8vò. Tria vexilla à pullatis pariter explicata. 9nò. Duo equi ditiſſimè adornati. 10mò. equus nigro tegmine inſtratus. 11mò. Quinq; pullati, in totidem ſericeis pulvinaribus certa inſignia manibus deferentes, nimirum: aurea calcaria, piſtoleta, nudum enſem cum adjacente vagina, ſceptrum, & galeam. 12mò. Funus in ſarcophago, nigro holoſerico contectum, quod aureæ fimbriæ diſtinquebant. 13tiò. Omnes domeſtici luctum induti. 14tò. Mareſchallus Colonellus de Duithe lugubre agmen ducens. 15tò. Defuncti cognatus cum Repræſentantibus Cæſareo, & Brandenburgico, cui quartum ſe addidit Szeremetow; ex quo anſam ludibrii ſumpſerunt Rutheni, inter ſe animo calumniandi ſciſcitantes: num ille Ablegatus Ordinis Melitenſis eſſet? hos ſecuti, quicunque defun-

Digitized by Google

ctum propiùs affinitate attingebant. 16tò. Omnes ſecundùm munerum dignitatem Bojarini, Dumnii, Diaci, & plura alia Miniſteriorum nomina. 17timò. Extranei, qui eam defuncto charitatem exhibere volebant. 18vò. Uxoris, aliarúmque mulierum lamentabilis turba à Mareſchallo ducta. Hoc modo corpus ad Eccleſiam reformatorum delatum eſt, ubi breviter ſermocinabatur Paſtor Stumpfius. Regreſſi ex templo Bojarini cum reliquis ſuæ gentis, ineptâ arrogantiâ ordinem turbârunt, ad funus uſque perrumpentes. Ablegati verò violenti facti ſuperbiam diſſimulantes, omnes omnino Moſcos præcedere paſſi ſunt, etiam illos, quos ſortis, & conditionis ſuæ humilitas removebat à lite, quam fortè de præcedentia alii molirentur. Proceſſerunt autem eò Ablegati, ubi proximus defuncti Agnatus locum occupaverat; cujus latera ſtipare primus ſemper honos in conductibus funeralibus exiſtimatus eſt. Venientibus ad cœmeterium, in quo defunctus ſepeliendus erat, advertit Tzarus mutatum ordinem, præcedere ſuos, qui antea Ablegatos fuiſſent ſecuti; ergo vocatum ad ſe juniorem Lefort interrogat: Quis ordinem turbâſſet; quare ſequerentur, qui modò anteceſſiſſent? illum in terram demiſſum nihil cauſæ locò reſpondentem, jubet Tzarus, ut effaretur, quidquid eſſet; cúmque Ruthenos vi antevertiſſe ordinem diceret, Tzarus commotior, aliud tamen nihil locutus eſt, quàm: canes ſunt, non Bojarini mei. Szeremetow econtra (quod ipſius prudentiæ tribuendum) iterum Ablegatos comitabatur, etſi omnes Rutheni præcederent. In ipſo cœmeterio, & via publica quadraginta tormenta bellica diſpoſita erant; ex his tertia vice fremitus datus, ſingulis etiam regiminibus, quovis ſeorſim, terna bombardarum ſuarum exploſione attonantibus.

Cuidam ex iis, quorum munus eſt tormenta explodere, ante os tormenti mox explodendi ſtolidè ſubſiſtenti, globus caput abſtulit. Tzarum deinde cum militibus in ædes Lefortianas reducem omnes funeris comites ſecuti ſunt. Paratum jam convivium erat; cuivis pullato funeris comiti annulus ex auro datus, cui dies obitûs, & mortis imago inciſa erat. Diſcedente tantiſper Tzaro, omnes Bojarini anxia velocitate domum properabant; jam gradus aliquot deſcenderant, cùm contuiti redire Tzarum, in tabernaculum revertuntur. Maturior diſceſſus Bojarinorum ſuſpicionem dabat capti ex ea morte ſolatii; quo Tzarus ad iram accenſus, indignabundis

dis verbis hiſce præcipuos adoritur: Nunquid ejus morte lætamini? multùm viciſtis eo mortuo; cur non manetis invicem? fortè, quòd coactæ frontis ſcenam, & figuratos ad triſtitiam vultus gaudii magnitudo ultrà ſuſtinere non poſſit.

22. Cancellariæ Ablegatoriæ Dumnio Æmiliano Ignatowizio Ukrainzow omnis fermè muneris ſui facultas adempta, & fictitio Patriarchæ Michitim Moſeiwiz interim commiſſa eſt.

23. Tzaro deliberanti, cui ſe abſente Moſcuæ Præfecturam concrederet, ſuaſit Bojarinorum nonnemo: Boriſio Petrowizio Szeremetow id muneris imponi poſſe. Quem tanquam rebus ſuis contrarium, Tzarus colapho mulctavit; iracunda vociferatione percunctatus: ergo & tu amicitiam ejus affectas?

Hodierno pomeridiano tempore Tzarus in carpento per Slowodam vectus, omnibus, quos benevolentiâ ſuâ dignabatur, valedixit, & eo veſpere adhuc Moſcuâ Veroniſcham diſceſſit.

Vulgaris ſermo eſt: duodecim circiter Ruthenos ſub quietem nocturnam cœmeterium, in quo Generalem Lefort ſepultum ſciebant, ingreſſos, ſpe opimæ prædæ ipſam ſepulchri ſanctitatē violaturos fuiſſe, niſi vicini muſſitantium tumultu excitati, & ad facinoris inauditi ſpectaculum properantes deterruiſſent homines ſceleratos à nefario facinore.

24. Bojarino Golowin cura Germanorū eſt tradita, quòd poſt obitum Generalis Lefort in illos omnium maximè videretur propendere, qui hodie Veroniſcham ad Tzarum iter ſuum inſtituit.

Nobilis quidam ex Curlandia Locumtenens miſſionem ſollicitaverat; eam autem non modò non obtinuerat, ſed à Galizino inſuper vi mandati Tzarei jubebatur, ut ad expeditionem cum Tzaro ſe pararet: quo audito, latibulis ſe abdidit, ut nec inveniri, nec Tzarei ordines ei potuerint inſinuari. Cùm verò duceretur funus defuncti Generalis Lefort; ille ſui ſecurior credebat inter reliquos hominum globos funeralem pompam impunè poſſe inſpicere. Sed Galizin oculis non incurioſè circumlatis incidit in notos vultus Locumtenentis, quam primùm itaque Coloncllo cuidam mandat, ut comprehenſum Pricaſſæ cuſtodiendum traderet; hodie batoccis percuſſum Aſtracanum versùs expedivit.

25. Dominus Ablegatus extra Ordinarius Brandenburgicus Cæſareo valedixit.

Digitized by Google

26. Diſceſſus Brandenburgici ejuſdem ſolennitatis erat, quæ ingreſſum commendaverat; Tzareum inauratum carpentum, & pro Officialibus equi ſuperbè ornati. Deſultoriorum centuria aberat, cujus locum decem circiter ſcribæ equites impleverant. Potwodas autem habebat nonaginta; plures exſpectabat remotioribus in locis, ubi eorum mutatio fieri conſuevit.

27. Inter Tartaros non minima gens Calmuccorum eſt; quæ quidem tributaria Tzaro non eſt, ejus tamen ſupremam agnoſcit poteſtatem, & ſervitia ſociorum magìs, quàm civium more præſtat, annuis donativis empta; ex ea hodie advenit Ablegatus ſex tantùm ſtipatus perſonis. Mercaturam exercebat ſub Legati nomine utiliorem. Herba Thee, aniſus ſtellatus, tabaca Chinenſis, fulturæ ſubtiles, præter plurima alia, quibus Chinas abundare vulgatum eſt, pretioſiſſimæ ejuſdem merces erant. Super palatii Legatorum ſtabulis exſtructa multa adhuc cubicula ſunt; quorum duo ejus habitationi aſſignabantur. Tametſi homini barbaro, morum & honorificæ conſuetudinis, quæ Legatorum prærogativæ, amplitudine ſua multum cæremoniarum cultum, & venerationem apud exteras gentes conciliant, nulla aut modica cognitio fuerit; antè tamen, quàm ea ſubiret cubicula, ſciſcitabatur: utrum alii etiam Ablegati jam ante ſe ibidem habitâſſent? Commendandus ex eo, quòd ſaltem conabatur amovere præjudicium. Cui Moſci facili labore impoſuerunt: præcipuorum Europæ Principum Legatos eas anguſtias jam incoluiſſe. Equinâ ut plurimùm veſcebatur, in dies ſingulos triginta ad ſummum obtinebat kopikas pro ſolita libera ſuſtentatione. Credidit tamen Moſcorum perſuaſionibus deceptus, ſplendidiſſimè ſe haberi.

Advenit etiam Ablegatus Sibirienſis, qui apud Vinnium totius Sibiriæ Cancellarium divertit.

28. Comes Bergamini ſub regimine Generalis de Beiſt, equitum deſultoriorum Capitaneus, qui redeuntem in Moſcoviam Tzarum ad fines uſque conduxerat, advenit Moſcuæ.

29. Septuaginta Itali, à Moſcis Venetiis conducti, ſinè impenſarum refuſione dimiſſi ſunt; præter tantas tam longinqui itineris moleſtias ad relegendam viam, nulli ultrà decem, rublos dati ſunt, aliquibus novem, quibuſdam tantùm octo. Qua iniquitate permoti libertatem uſurpârunt diras dicendi toti genti Moſcowiticæ.

30. Iterum integrum Streliziorum regimen exercitûs Bia-

logro-

logrodenſis conſpiravit contra ſalutem ſui Principis. Duo indices & conſcii, Poppa, & Strelizius ad Tzarum miſſi ſunt. Fata crederes tot hominum greges inertiſſima perverſitate in propriam perniciem excire, & cogi poſſe.

31. Omnes Bojarini pedetentim Veroniſcham abeunt. Tzarkaski provectæ ætatis Princeps remanet, concreditam ſibi urbis præfecturam regens, licèt alii præterea fuerint, qui eandem dignitatem ſibi arrogarent, tanquam à Tzaro collatam; pluribus enim Tzarus, cùm profecturus valediceret, res Moſcuæ recommendaverat, diverſis in hunc modum locutus: Rerum mearum ſummam interea fidei tuæ committo. Non contemnendam Tzari maximam fuiſſe arbitror, plures in ſpem magnam erigere; ut eam uni invideant, & perpetua inter ſe diſſenſione nulli facultas ſit, abſoluto abutendi imperio, aut pœnitenda poteſtatis conceſſione peccandi in Principem, anſam arripiendi.

APRILIS.

1. Ex Crimæa aliquot Tartarorum hordæ turbulento impetu ad caſtrum Azowium uſque penetrârunt. Nemo reſiſtere audebat inſperato periculo; totam, latiſſimámque viciniam impleverat metus, ſola ſua formidine vim hoſtium augens, & audaciam. Depopulati agri, deſolati campi, exuſti vici, viduatæ incolis coloniæ, irreparabilis damni monumenta ſunt, & exercitæ inauditæ crudelitatis veſtigia: multos Officiales, plures gregarios, & pene incredibilem ſubditorum multitudinem prædatorius turbo in duriſſimam ſervitutem ſecum abegit.

2.3. Græca, Ruthenáque Eccleſia non impari Romanis pietate Sanctorum imagines veneratur, in quorum ſuffragiis multùm (ut in ſe eſt) ponunt ſpei & fiduciæ; non eam quidem, quam ſuprema Omnipotentis Dei Majeſtas ſibi tanquam omnis entis creatori ſupremo latriæ cultu vindicat; verùm aliam longè, quámque amicis Dei, & ſuffragatoribus noſtris æquiſſimè tribuimus. Ut reprobandus non ſit ſingularis ille honor, quem Sanctis, eorundémque imaginibus Rutheni unanimes deferunt. Illud magìs in perplexo eſt, an ſuperſtitioſa ſit devotio, quâ adeò in diverſos Sanctos ſpeciali cultu feruntur, ut ægroti, depoſiti, extráque humanæ artis medelam poſiti ad imagines refugiant, Sacerdotali miniſterio capiti ſuo imponendas. Cauſam verò penitius indaganti: cur relictum Eliæ pallium Thaumaturgum fuerit; ſtatim apparebit: divinæ dexteræ digitum, ad quem tanquam ultimum

ſcopum

Digitized by Google

ſcopum omnis noſtra pietas, omnis cultus, & veneratio collimat, mirabilem in operibus ſuis mirabili modo operari. Indè non omittendum duxi, Campi Ducem Schachinium ſolenni proceſſioni hodie interfuiſſe, quâ iconem ad decumbentis cujuſdam ægroti domum cum ſumma plurimorum ædificatione deportabatur.

4. Hodie Rutheni feſtum Annuntiationis B. V. MARIÆ, ſumma cum ſolennitate obeunt, audiuntur feſtivæ tormentorum, bombardarúmque exploſiones. Dignum enim eſſe cenſent, ut humanæ ſalutis initium ſpeciali gaudio celebretur.

5. Quodam Colonello Germano viam præeunte, Dominus Ablegatus Tzaream Arcem Kremelinam inſpexit. In aula, ubi magnis Principum Ablegatis audientia dari aſſolet, thronus ex argēto inauratus, & multis pretioſis lapidib9 diſtinctus, ſuprema Majeſtate dignus eminet, reliqui apparatus non viſi; cùm enim Tzarus eam Arcem hucuſque inhabitare renuat, ciſtis incluſi cuſtodiuntur. In ea Arcis parte, quâ in præterfluentem fluvium Neglinam ſe lætiſſimus proſpectus aperit, ſupra ſecundam contignationem jucundiſſima pomœria ductis muris ſuſtinentur: dolendum, quòd inculta jaceant, hominum pigritiâ deperitura. Illud quoque conclave contemplari placuit, ex quo per tranſennam Principiſſa Sophia tempore triumviratûs Moſcowitici ſub uſurpata Dominatione Primi Miniſtri Baſilii Galizin, omnes Legatorum propoſitiones, & Miniſtrorum reſponſa percipere potuit. Cui proximè adjacet ornatiſſima Aula magnorum Legatorum conferentiis deſtinata. Duo etiam nitidiſſima ſacella ſunt, æſtate unum, alterum hyeme frequentatur; in æſtivo Thaumaturgam Deiparæ imaginem colunt, Smolenſcio apportatam. In templo Annunciationis B. M. Virginis omnes Tzari ſepulchra ſua habent, & monumenta; eorum aſſervant imagines, quos vitæ anteactæ ſanctitas miraculis fecit inclareſcere; ea cauſa allegabatur ſciſcitanti: cur ſolius Joannis Baſilowizii magni Moſcoviæ tyranni abeſſet? Præter decollationem ſancti Joannis aliam Deiparæ imaginem oſtendebant, 17000. rublis emptam. Avus, Pater, & primus moderni regnantis Tzari frater ante unum altare ſimul conditi ſunt, ſarcophagis incluſi lapideis. Novem hoc templum turres habet, omnes inauratas, in quarum ſummitate totidem exaltatæ cruces cernuntur pari fulgore conſpicuæ; quæ in turrium eminentiſſima cæteris præfulget, tota ex auro puro conflata dicebatur. In proximo è regione templo Sabora dicto ſepulti jacent omnes Patriarchæ, & Metropolitæ inter ſanctos relati; cæteros inter

unum

Digitized by Google

unum colunt, quem Jona nominant. Aſſervatur in eo templo particula pallii noſtri Salvatoris, & brachiū S. Andreæ adhuc illæſum oſculati ſummus. Tzari ſedes in iſta Eccleſia mirè elaborata, & antiquiſſima, Principum Kioviæ fuit, atque indè huc translata. E regione hujus Patriarchæ ſurgit ſolium innumeris picturis clariſſimum, Principiſſarum ſedilia alia templi parte aulæis ex rubro ſerico pretioſiſſimis tecta ſunt.

Septem Streliziorum regimina in ipſa Civitate Azowienſi denuo rebellia Tzarum ad ſe admittere inficiantur: notum enim ſibi eſſe Tzari in ſe odium plus quàm Vatinianum; certam fore omnibus Streliziis perniciem, ſi advenire paterentur; ſe verò, cùm vita amittenda ſit, non inultos morituros; deſperatis de ſalute ſolatio eſſe, meruiſſe pœnam. Advocato Crimenſium Tartarorum auxilio ultima tentanda eſſe; adeſſe plurimos alios in vicinia Azowii relegatos, hos vindictæ occaſio ad novam audaciam animabit, maximè cùm inflicta nuper vulnera nondum duxerint cicatricem, ruituros ſecum in novum exitium, ſola ulciſcendi dulcedine obcœcatos. Peſſimis rebus ſuffragio ſuo adfuturus dicebatur Waywoda multorum ſcelerum conſcientiâ, & irrogandi ſupplicii formidine, in fide, & obſequio nutans; ut rebellium partes amplexus, in manifeſto periculo differret pœnam, aut ſpontanea morte lictoris officium præoccuparet. Hinc contrahuntur ubique milites, cientur ex fortalitiis præſidia, & major cum cive, quàm cum hoſte de imperio dimicatio eſt.

In templo Annunciationis B. V. Mariæ quidam inungebatur in Metropolitam, Kioviam mittendus.

6. Bojarinus Leo Kirilowiz Nareskin Tzareo juſſu citabatur Veroniſcham, quem ideo vocatum opinabantur, quòd adverſæ valetudinis ſimulatione ſe ab iſto itinere liberare voluiſſe credebatur.

Omnes omnino Moſcuæ incolæ in cenſum redacti ſunt; ut quivis pro facultatibus ſuis, aut commercii viribus certam penſionem annuatim exſolveret. Ea de cauſa multi centeni, milleníque diebus ſingulis abeunt, repetituri ea loca, unde Moſcuam digreſſi, ſolitudinem fecerant.

Magna hoc tempore Moſcuæ avenæ, victualiúmque erat caritas, ejus cauſam adſtruebant; quòd, dum nuper juſtificatorum cadavera extra urbem ad præparatas foveas abducerētur, milites Tzareo mandato feroces coëgerint Sboſeckios (id eſt Villanos) curribus ſuis dejicere onera, & mortuorum cadavera imponere; aut iis relictis ad effodiendas ſcrobes diſcedere; frumentum verò, fœnum, avenam, & quæcunque alia Villani advexerant, ſibi

Digitized by Google

militeſ cum ſupercilio vindicâſſe, non impunè tantùm, ſed juſta etiam de causa. Hoc itaque damno deterriti nihil ampliùs villani afferunt, timentes; ne licèntioſæ militum rapacitati denuo in ſpolium, & rapinam cedat, quod vendere meditarentur.

7. Dominus Ablegatus valedixit Principi Boriſſio Alexiowizio Galizin, adhuc hodie Caſanum, Aſtracanúmque diſceſſuro; quem Dominus Pleyer eum in locum ſecutus eſt.

8. 9. Circa horam nonam matutinam non procul ab Aula Legatoria retro palatium Campi-Ducis Schachinii magnum excitatum incendium. Bojarinus Soltikow, & Kneſius Michalowiz Tzerkaski magnam fecêre jacturam, palatiis propriis, & multis circumjacentibus ædibus ligneis quatuor horarum ſpatio incineratis. Igni extinquendo nulla affunditur aqua; in diruendis domibus una ſalus. Vexilla quidem ex plumbi laminis, cum ſignis regimina militum diſtinguentibus frequentia conſpiciuntur; ſed opera hominum rara; & qui tecta diruere tentabant, ipſis id minimè cogitantibus proxima corripiebat flamma, & ulteriores labores prohibebat. Cum miraculoſa Deiparæ imagine incendio obviàm itum, ut Superum auxilio ignium furia ſiſteretur. Eodem etiam die una domus in Germanorum Slowoda incendio deleta eſt.

10. 11. 12. Poſtâ advenerunt novæ credentiales, quibus Dominus Ablegatus ad annunciandum Sereniſſimi Romanorum Regis matrimonium charactere Ablegati Extraordinarii Clementiſſimè inſigniebatur.

13. Conferentia inſtituta cum Dumnio de novis credentialibus, & Regiæ deſponſationis annunciatione.

14. Primo Miniſtro per expreſſum notitia Veroniſcham transmiſſa eſt, novæ functionis ab Auguſtiſſimo Cæſare benigniſſimè commiſſæ.

15. Innumera hominum ſtrage periculoſa peſtifera lues Azowii graſſari incepit.

16. Paſchalem devotionem inchoavimus, diem Jovis ſanctum hodie celebrantes.

17. Diem Veneris ſanctum ſingulari pietate, & voluntario totius diei jejunio obivimus.

18. Dominus Ablegatus Extraordinarius cum toto comitatu ſuo ad viſitandum Chriſti ſepulchrum in Germanorum Slowodam, unâ horâ ab Aula Legatoria diſtantē, pedes abivit. Non abſimili cultu nocturno tempore illuc conceſſimus ad ſolennem feſtivitatem Reſurrectionis Salvatoris noſtri.

19. Sub feſtivo tubarum, tympanorúmque clangore Paſcha celebravimus.

Primâ

Digitized by Google

Primâ diei horâ Dumnius Æmilianus Ignatowiz Ukrainzow tanquam Ablegatus Plenipotentiarius Veroniſchâ Conſtantinopolim ad concludendam pacem diſceſſurus, Dominum Ablegatum noſtrum Extraordinarium inviſit.

20. 21. Dominus Ablegatus Extraordinarius, ad Dumnium conceſſit, pro ſua in eum propenſione quædam comunicaturus, quæ apud Portam Ottomanicam magnæ utilitati, & uſui eſſe poſſent.

Bojarinus Feudor Alexiowiz Golowin ad dignitatem Admiralis à Tzaro evectus eſt.

22. Ablegatus Electoralis Brandenburgicus in via Moſcuam inter, & Novogrodium ob jurgium, quod comitatum ſuum inter, & ejuſdem regionis incolas interceſſerat, in præſentiſſimum vitæ periculum conjectus fuiſſe dicebatur.

23. Colonellum Gordoniũ in Arce Kremelina munus ſuum exercentem, cum amicorum quopiam viſitavit D. Ablegatus; apud quem arreſto detinebatur ex præcipua Moſcorum nobilitate nonnemo Almazow dictus. Feudor Madveowiz Apraxen ejus ſororẽ habet in conjugem, hujus ultimi ſoror autem Tzari ante ſeptemdecim annos defuncti relicta vidua eſt. Prætacti Almazowii domeſtici ovis Paſchalibus cum inſolito fortè ſtrepitu, licentiùs ludebant, nec, prohibiti ab excubiis, deſtiterunt, eóq; tempore (Paſchatis ſcilicet) ſibi conſuetudinẽ id concedere contendebant. Verùm non acquievit excubitor, ſed loco abirent, monuit, ni fuſtibus abigi mallent. Exacerbati cæteri jurgari ceperunt, & contentioni demum verbera addiderunt. Succurſus ſubmittitur excubantibus, domeſticorum furore tamen minor & propulſatus. Re ad Principem Michaëlem Lehugowizium Tzerkaski delatâ, Cancellario mandatur, ut Almazowii reos domeſticos ad cuſtodiam pertrahi curet, & ad ejuſdem ædes ſcribam mitteret, quindecim militibus armatum; ſcribâ aut errore ſuo, aut mandantis Cancellarii malevolentiâ, non ſervos, ſed Dominum rerum omnium, quæ geſtæ erant, inſcium, & inſontem ex ædibus ſuis rapiunt, in turpiſſimum carcerem tracturi, niſi Colonellus Gordon jam antè à cognata Almazowio Tzariſſa vidua monitus, illum invitis militibus, & ſcribæ extorſiſſet, eidémque ſuam habitationem arreſti locò aſſignâſſet. Certè milites in Moſcovia, captos ad ſuum arbitrium ſinè perſonarum, aut facti reſpectu pugnis, bombardis, & fuſtibus horrendùm contundere, & in deterrimum angulum detruſos, modis omnibus vexare ſolent; præſertim opulentos, quibus ſinè fronte indicant, antè nullum verberum finem fore, quàm certum pretium exſolviſſent; lubens, aut il-

Digitized by Google

lubens in cuſtodiam concedat, cæditur tamen. Almazow vir juvenis, & egregius me inſpectante arreſto liberatus ad Tzariſſam conceſſit, gratias acturus.

24. Poſtæ Tzareæ Supremus Magiſter, & Dumnius Cancellariæ Sibirienſis Andreas Andreowiz Wignius ex Germana origine Ruthenus, cum Monacho quodam Baſiliano Corion dicto, & pluribus aliis Germanis officialibus noſtro prandio interfuêre. Funeſto iterum incendio Bojarini Leonis Kirilowizii ædes conflagrârunt.

25. Quivis Bojarinorum mandato Tzari tenetur contribuere ad armamentum naval quingentos rublos; qui ultra centum villanos in poteſtate ſua numerat, adhuc mille; ii verò, quorum ruſtici centenum numerum non conſtituunt, centum tantum rublos coguntur ſolvere.

26. 27. Poſtâ ſignificatur Procopium Woſnizin Legatum Plenipotentiarium diſceſſiſſe Viennâ; Hic biennalis armiſtitii errorem Plenipotentiariis Cæſareis perversa ratione imputaverat; ſed in Ablegati Cæſarei diligenti remonſtratione patuit oppoſitum, qui & infideliter referentem multis Tzareæ indignationis periculis reddidit obnoxium.

28. 29. Dies anniverſarius ſolennis noſtri ingreſsûs celebrabatur.

30. Rumor tulit Tzarum Veroniſchâ Azowium diſceſſiſſe.

MAJUS.

1. Deguſtavimus primum hodie piſcem, quo Samojedæ ad aëra ſiccato, panis locò veſcuntur.

2. Nullæ litteræ Azowio, aut Veroniſchâ Moſcuam deportari permittuntur. Obſcurus proinde ſermo eſt, quinquaginta rebelles Azowianos Veroniſchæ ultimo ſupplicio affectos fuiſſe.

3. 4. Monopolium vendendi cremati ſibi ſoli Tzarus vindicat; ex plebeis nonnulli, quos Jemskios vocant, id in privatis ſuis ædibus contra expreſſam Tzari inhibitionem venale exponebant; Theſaurarius igitur Petrus Ivanowiz Proſorowski in illos animadverſurus, petitos à Generale Gordonio quinquaginta milites ſtatim ad nutum habuit. His ſcribam adjunxit cum mandato, ut omne crematum, in deſignatis locis inventum, tanquam fiſcale vi extraherent, & ad cellam Tzaream deportarent; ſed mandatum exequi volentibus, reſtiterunt multi coacervati Jemski vim vi repellentes, tres quamprimùm milites confoſſi ceciderunt, plures vulnerati ſunt. Atrociora autem impoſterum minitabantur Jemski, ubi denuo ſimilis executio inſtituta

Digitized by Google

tuta fuerit. Tenet tanta facti audacia primores urbis multùm ſollicitos, an violentia præſtet diſſimulatæ poteſtati.

5. Quidam ex curſoribus Domini Ablegati Danici, dum in Sboſeck ſe confert, clamat Ruthenorum aliquis: frica; ille continuò curru ſuo deſilit, percuſſurus injuriantem; contumelioſum enim in Germanos verbum eſt. Sed fugit Ruthenus, & inclamat vigilias, ſibi enim à Germano inſtare mortem, illum latronem eſſe. Hoc rumore excitati concurrunt milites, comprehendunt curſorem, & tanquam latronem ducunt ad Pricaſſam, ubi manifeſtâ ſuâ innocentiâ, & unâ griffnâ exſolutâ abſolutus paulò poſt domum rediit.

In Moſcovia confuſa ſunt omnia: abiturus Tzarus Kneſio Tzerkaski commendavit tutelam, & præfecturam urbis. Gordonio dixit: tibi omnia interim credo, in tua manu, & fide omnia poſita ſint. Sed ſummam rei militaris ſibi ſcriba quidam arrogat, quem Kneſius Romadonowski tenuerat. Objicit ſcriba ſummam militiæ ad dictum Kneſium pertinuiſſe, eam autem à diſcedente in ſe translatam, hinc omnium cognitionem ſibi competere.

6. Comes Bergamini, qui ſalutandi Tzari cauſa in Moſcoviam magnis ſumptibus venerat, in via Veroniſcham conſtitutus, audiens Tzarum ibi ampliùs non commorari, re infecta redux hodie obtinuit paſſum revertendi in Poloniam.

7. 8. 9. 10. 11. Magno omnino gaudio clementiſſimæ avocatoriæ Cæſareæ poſtâ advenerunt.

Sub primam noctis horam maxima exorta tempeſtate, tonitrua, fulgura, imbres, & incredibilis ventorum vehementia tota nocte tumultuabantur.

12. Tractamento Tzareo honorabatur Calmuccus Tartarorum Legatus, ſatìs tenui, & ad recipientis mores accommodato.

Tandem quatuor Patribus Franciſcanis conceſſus tranſitus per Perſidem in Chinas. Juſſerat quidem Tzarus Patribus eodem modo de navi, & requiſitis alimentis ad mare Caſpium uſque providere; quo Archi-Epiſcopus Ancyranus pridem fuerat inſtructus. Sed Galizinus Regnorum Caſani, & Aſtracani Pro-Rex, cui ea ſollicitudo incumbebat, Tzaro Azowium profecto nihil eorum voluit elargiri. Unde faciendorum ſumptuum neceſſitas Domino Ablegato Extraordinario imponebatur; præter navigii, commoditatem ſufficientia victualia, vinum cereviſiam, crematum, carnem, panem, farinam, & quæcunque alia tam longinquæ viæ ſublevamenta inſigni Chriſtianæ charitatis documento liberaliter procuravit; quibus illi optimè inſtructi viam ſuam exorſi ſunt.

Digitized by Google

13. 14. Securo nuntio ſignificabatur, Dumnium Æmilianum Ignatowizium Ukrainzow denominatum à Tzarea Majeſtate Ablegatum Extraordinarium per mare nigrum Conſtantinopolim iturum; Tzaream Majeſtatem verò eundem uſque ad Boſphorum Cimmerium, aut anguſtias Caffæ comitaturum. De Ablegatione hac, quâ Dumnius mittitur, ad ſanciendam pacem, quam Procopius Woſnizin ſuperbè & imprudenter neglexiſſet, Moſcus quidam ſequentem gloſſam injecit: idem mihi videtur, inquiens, ac ſi ſtultus fregiſſet vitrum, quod ſapientior cogeretur reficere.

Dumnius Andreas Artemonowiz, cujus pater à rebellibus Streliziis ex feneſtra Arcis Kremelinæ præcipitatus, haſtis exceptus, & trucidatus fuerat, declarabatur Legatus Ordinarius ad præpotentes Status Hollandiæ; ubi cum uxore, & liberis juſſu Tzari triennio commorabitur. Hunc octo Bojarinorum filii ſubſequentur, ad comprehendendam interea peritiam maritimam, artémque navigandi.

15. Centum quinquaginta naves hordeo, & avenâ gravidæ ex fluvio Wolga hìc appulerunt; ſequentur trecentæ aliæ frumento refertæ.

Tzaro Veroniſchâ Azowium diſcedenti, jámque in navigio conſtituto, Tzareâ gratiâ in aula notiſſimus Alexander neſcio quid inſuſurrabat; quo Tzarus ſubitò commotus, importuno ſuo admonitori aliquot colaphos inflixit, ut moribundo ſimillimus procubuerit ante pedes iracundæ Majeſtatis.

Azowienſis præſidii contumacia vires ſumit à tempore. Sacramentum exigit ab eo, quem vitæ, necíſque ſuæ arbitrum oporteret venerari. Sed quid unquam illæſum, intactum, aut inauſum reliquit ſubditorum perfidia, excuſſo Dominantis imperio? Iis enim, quos ſic perditos ſua impietas voluit, ſolatio eſt, nihil omiſiſſe audaciæ, ad præveniendam ruinam à ſemetipſis concitam. Etſi Tzarus magno doloris ſenſu prodi dignitatem ſuam videret, latæ conditionis tamen, & exacti juramenti neceſſitatem non abnuit; ne obſtinata defenſione Majeſtatis, majoris mali periculum faceret. Ad leges deſcendit cum civibus, iiſque verba præeuntibus ſe ſub fide, & Regia dignitate ſua obſtrinxit: omnes in civitate Azowienſi Strelizios impunes forè; modò ſtabilitatem inveniat, quod coactus pepigit. Nam Principes, quod à ſe injuriâ extortum eſt, aliâ injuriâ ſæpe repetunt; neque injuriâ ſe jure adſtringi autumant.

16. 17. Continuatis aliquot dierum imbribus plateæ in Germanorum Slowoda imperviæ effectæ ſunt; diſperſi ubique jacebant

Digitized by Google

bant currus, quos luto profundiſſimè immerſos equi extrahere non valebant.

18. Generalis de Gordon cum filio ſuo Colonello, Colonellus Acchenton, Colonellus de Grage, duo Miſſionarii, Medicus Carbonari, & Dominus Guaſconi de ſuſtentatione Eccleſiæ, & Communitatis Catholicæ conſultaturi, apud Dominum Ablegatum Extraordinarium convenerunt. Cura ærarii Eccleſiaſtici Colonello de Gordon,& Medico Carbonario concredita.

19. Feſtum S. Nicolai protectoris Moſcoviæ, quod magnum Ruthenis Brasnick eſt, ſumma ſolennitate celebrârunt. Eo die vino, aut cremato non marcere indecens, & indignum judicant; quantò major enim feſtorum ſolennitas, tantò juſtiori ſibi ratione in ebrietatem, & alia oblectamenta ferri licitum exiſtimant. Hac nocte Veroniſchâ redux Daniæ Ablegatus, cùm urbis portam ſubiret, & à militibus pecunia exigeretur, (das Sperr-Geld/) contentio orta eſt; nolebat enim pro militibus ſolvere, quos Tzarus dederat conductores.

20. Inter cæteros ſermones Daniæ Ablegatus recenſebat; Veroniſchæ à quodam Moſco duos Colonellos Germanos perfidiæ accuſatos; hos tamen poſt carcerem, & crudeliſſimas equulei pœnas, eò adigi non potuiſſe, ut crimen faterentur, cujus fuerant delati. Pœnituiſſe interea Ruthenum falſæ ſuæ inſimulationis, eâdémque audaciâ, quâ innocentes antea accuſaverat, Tzaro ſignificâſſe: Germanos injuriâ tortos, ſuæque imputandum invidiæ, quòd inſontes tanti flagitii arguerit. Iniquiſſimi hominis malevolentiam proinde tanta indignatione Tzarum accendiſſe, ut ipſemet deteſtandum caput juſtiſſimo enſe voluerit decutere. Milites regiminis Bebraſchentsko in naves diviſi ſunt. Unam, eámque pulcherrimam navim inter maritimam Tzari claſſem eſſe perhibent, cui præter Tzarum, & aliquos præcipuæ charitatis Bojarinos nemo manum admoverit.

21.22. Ob jacturam palatii, quod nuperum incendium abſumpſerat, Leo Kirilowiz Nareskin à Tzaro dimiſſus, Veroniſchâ Moſcuam reverſus eſt.

23. Ad modò dictum Bojarinum Secretarius ſummo manè cum ſequenti commiſſione expeditus eſt: gratulari Dominum Ablegatum Extraordinarium Bojarino de felici Veroniſchâ reditu, ſumméque gaudere quòd ipſius tanquam Miniſtrorum Moſcicorum primi alloquio iterum frui poſſet; nec dubitare, quin litteræ à ſe exaratæ ad eundem ſecurè pervenerint; quoniam verò adhuc nullum deſuper reſponſum obtinuerit, ab Auguſtiſſimo Imperatore autem interea ulteriora mandata

ſub-

Digitized by Google

ſubmiſſa fuerint, occaſionem ſe optare, ſuper iiſdem cum ipſo conferendi; placeret duntaxat Bojarino, commodum aſſignare tempus, eo ſe ad ipſum conferre velle. His repoſuit Bojarinus: agere ſe gratias pro gratulationis humanitate, & viciſſim Domino Ablegato ſalutẽ ſuam dicere, litteras accepiſſe, quæ matrimonium Romanorum Regis ſignificabant; de commodo conferentiæ tempore ſe curaturum. Sciſcitabatur præterea, cur Dominus Ablegatus Veroniſcham venire noluerit? miſſos enim Moſcuam fuiſſe Tzareos ordines, quibus accerſeretur. Tzarum inſuper ejuſdem adventum ſex diebus præſtolatum fuiſſe. Idem confirmavit Ablegatus Danicus; paradoxum tamen viſum eſt, quo enim litteræ? quo ordines veniſſent? quis nuntius attuliſſet? cur nulla quæſtio deſuper inſtitueretur? cùm ad Dominum Ablegatum nihil horum pervenerit. Aliud autem, & veroſimilius adſtruebatur ſubeſſe: ordines illos Dumnio Ukrainzow ad decentem eorundem inſinuationem fuiſſe incluſos; quoniam verò eæ litteræ Dumnium interea temporis Veroniſcham proficiſcentem Moſcuæ ampliùs non invenerant, illuc continuato errore fuiſſe remiſſas. Suaſit ipſa temporis ratio, omiſſa quæſtione veritatis, acceptare probæ credulitatis opinione allatæ rationem excuſationis.

24. Reſidens Brandenburgicus Timotheus de Zadora Kieſielski ad Bojarinum Leonem Kirilowizium Nareskin alloquii gratiâ conceſſerat. Poſt integræ horæ patientiam Bojarinus tandem in anticameram, ubi ſe exſpectari noverat, ſeceſſit. Ubi Reſidentem conſpexit, quaſi miraretur eum adeſſe, rudi interrogatione ita ambitiosè affatur: Quid tu vis? cui Reſidens: ſcias, me non veniſſe fruſtum panis à te emendicatum: ſi adventûs mei obſequia tibi honori non ducas; ſuperſedebo impoſterum hoc labore. Feriit inſperata reſponſi acerbitas Bojarinum, ut duriori voce, & contemptui proxima jam Reſidentem laceſſere inchoaret: quid tu, inquiens; aulicelle mihi dicere audes? cui proinde non impari fervore Reſidens regeſſit: me Sereniſſimi Principis mei Aulicum eſſe, ſingulari mihi verto honori, ſi minor fortè ambitione tua eſt dignitas, majorem conferre mihi poteſt, à quo miſſus ſum; ſed tantùm vix tribuere poterit, quàm elati animi tui impotentia tanquam longè inferiorem non deſpiceret.

25. Per D. Schwerenberg interpretem Nareskinius Domino Ablegato ſecuritatem fecit maturæ ad poſtulata reſolutionis.

26. Pro itineris Conſtantinopolitani ſumptibus Dumnio Ukrainzow 1600. rubli in parata pecunia, & 1600. in Zobellinis exſoluti ſunt.

Demum

Digitized by Google

Demum utiliores de firmanda pace cogitationes Bojarinorum conſilio ſuſceptæ ſunt. Conſtitutum Tzarus habet, Auguſtiſſimi Imperatoris fraternã amicitiam, & interventionem requirere, ut mediantibus ſalutaribus ejuſdem officiis æquas conditiones obtineat.

27. 28. 29. Cunicularius Urban tandem ex longinqui carceris ſqualore priſtinæ vitæ libertati reſtituitur, & licèt expreſſum Tzari mandatum ejus liberationem, in gratiam intercedentis Domini Ablegati, ſinè lytro imperaverat; quindecim tamen rublis libertas emenda fuit, pretio Diaco, & ſcribis perſolvendo. Ab his Harpyis nihil in Moſcovia tutum eſt.

30. 31. Centum quinquaginta Strelizii ex Caſtro Azowienſi huc captivi perducti ſunt.

JUNIUS.

1. Reſidens Brandenburgicus tractavit Dominum Ablegatum Cæſareum, & Dumnium Pricaſſæ Sibirienſis Wignium. Danicus Ablegatus verò Andream Artemonowizium denominatum ad Status Hollandiæ Legatum prandio excepit.

2. Media pars domeſticorum Domini Ablegati cum Miſſionario D. Joanne Berula ſe contulit ad Monaſterium Jeruſalem dictum, ſex miliaribus Germanicis Moſcuâ diſſitum.

3. Dominus Joannes Caſagrande pro Venetis navium architectis Miſſionarius, uno abhinc anno cum D. Barone de Burchersdorff Azowium proficiſcente Veroniſcham expeditus, ibidem fato functus eſt; cujus cadaver, ipſo Tzaro ita mandante, Moſcuam remiſſum, eo menſis die advenit, quo antea urbe hac egreſſus eſt, ſanctæ miſſionis officia, quibus laudabili, & piiſſima omnium ædificatione præfuit, decenter obiturus.

4. 5. Defuncti Miſſionarii cadaver in horto Cæſareorum Miſſionariorum proximè ſepulturam Gordonianam ſepultum. Funerali conductui, & exequiis Dominus Ablegatus Extraordinarius cum univerſo comitatu ſuo præter plurimos alios Catholicos adeſſe voluit.

6. Michaël Ludovicus de Buchan ſub regimine Beiſtiano equitum Magiſter à Rege Poloniarum ad Tzaream Majeſtatem ſubmiſſus, & cum magni momenti litteris proximè Azowium expediendus prandio noſtro refectus eſt.

Dubiæ advenerunt litteræ, Legatum Tzareum Procopium nuper ab Aula Cæſarea honorificentiſſimè dimiſſum, aut in itinere mortuum, aut Regiomontii periculoſo morbo decumbere: malæ herbæ peſſimus fructus.

Hodierno die (feſto Pentecoſtes à Ruthenorum Myſtis bene-

Digitized by Google

dicebantur frutices, & arborum folia; hócque ſolo die genuflexa devotione Dei auxilium invocant, reliquis anni feſtis pedibus innixi, & erectis corporibus conſuetas preces ad Deum fundentes. Dicunt enim: Apoſtolos,& omnes Redemptoris noſtri diſcipulos advenientis Spiritûs Sancti tempore in terram procubuiſſe; unde etiam anſam arripiunt omnes fructus terræ benedicendi.

8. 9. Dominus Ablegatus Extraordinarius itineratus eſt ad Monaſterium ſanctiſſimæ Reſurrectioni dedicatum, ſex milliaribus Germanicis Moſcuâ diſſitum.

Laudabili ſollicitudine laborabant Monachi Baſiliani, ut Dominum Ablegatum honorificè exciperent ingentem vim piſcium ex vivario recenter extractorum, cereviſiam, crematum, & cibos Rutheno more accommodatos liberaliſſima civilitate adferebant; à Tzareo namque Miniſterio Monachis commendata erat tam officioſæ promptitudinis humanitas.

10. Ad Monaſterium, quod ingentes muri includunt, à quodam Monacho deducimur; monſtrantur univerſi cœtûs refectoria, & cellæ ſingulorum, ultimæ anguſto nimis pariete terminantur. Ampla & digniſſima moles eſt templum, à Patriarcha Nicone ſumptuosè exſtructum, & exacto labore in formam illius redactum, quod Hieroſolymis in monte Calvariæ omnem Paſſionis Chriſti memoriam diverſis ſacellis repræſentat. Nobis in templi contemplatione hærentibus, ſupervenit cum Reſidente Brandenburgico Wignius; quocum prandio hìc abſoluto, cui præter Polonum quendam Ruthenizatum, qui latinam callebat, duo alii jam provectioris gradûs Monachi interfuerunt, ad bonum ejus aliquot milliaribus remotiùs ſitum diſceſſimus. Cujus domum laterculo conditam in varias tamen commoditates erectam, allambentis rivi, & camporum latè patentium oblectabat ſpectaculum. Prima voluptas delicioſus erat navigii uſus, & fallacibus retibus decipiendorum piſcium amœnitas; maximè, cùm cœnæ fercula ſciremus, quibus eos inſidiari juvabat. Nihil Officii hoſpes omiſit, quod ſincerum affectum, aut propendentis animi candorem poterat ſignificare.

11. Poſt aucupii,& prandii officiosè cumulati, & monſtratæ mutuæ familiaritatis humanitatem,cum Domino Ablegato Cæſareo Reſidens Brandenburgicus Moſcuam reverti voluit. Ad pagum, quem Angelicum vocant, in villa prædicto Monaſterio ſubdita hac nocte commorati.

12. Poſt confecta quatuor milliaria Moſcuam, & Legatorum Aulam circa diei decimam attigimus. In ſylvula unâ horâ ab urbe

urbe remota (quam divertendi animo Germani frequentare aſſolent) inter Capitaneos Erchel & Prinz contentio in tantùm invaluit, ut ad enſes delapſi, uterque vulnera retulerit.

13. Feſtum Sancti Antonii de Padua ſolenniter celebratum.

14. A Leone Khirilowizio Nareskin ad Dominum Ablegatum ſubmiſſus adfuit Diacus Boriſius Michalowiz quondam Reſidens Varſaviæ, ut de ſtatu valetudinis inſolita humanitate inquireret.

15. Iterum ad Dominum Ablegatum venit Boriſius Michalowiz ſimillimæ heſternis officiis civilitatis obtentu.

Duo Rutheni cum omnimoda ſpecificatione univerſæ claſſis maritimæ ex Banzina transfugerunt ad Tartaros; etſi nulla culpa defectionis hujus Vice Commendanti (quem Sotik vocant) imputari poſſe; videretur; ſuſpendio tamen juſſu Tzari punitus eſt; quòd ſceleratorum diligentiam ſua ſollicitudine non occupaverit. Sed quis Argus ſufficiet malitioſæ induſtriæ perfidorum.

16. Denuo redivit Boriſius Michalowiz mandato Nareskinii, nuncians: tempus petitæ conferentiæ brevì indicatum iri.

Magna Suecorum Legatio Moſcoviæ finibus proxima ſubſtitit, hinc expediti ad finitimarum urbium Waywodas ordines, ut 450. Potwodas interea cogerent.

17. Conferentia Domini Ablegati cum Nareskinio habita de notificatione matrimonii Sereniſſimi Romanorum Regis.

18. 19. Generalis de Gordon omnes mercatores Anglos, & Scotos convivio excepit.

20. Duæ ædes in Germanorum Slowoda, & centenæ aliquot domus in urbe funeſtiſſimo incendio conflagrârunt.

21. 22. 23. 24. Venetis navium architectis nullum tempus aut hora concedebatur, quâ Sacramentali confeſſione ſe ritè potuiſſent expiare, ad continua fabricandarum navium opera â Tzaro coactis, quorum ſacerdos, ut ſupra memini, interea extremum ſuum diem obiit, ne autem annuæ hujus devotionis ſolatio deſtituerentur, eorum precibus promptiſſimè annuit Cæſareus Moſcuæ Miſſionarius D. Franciſcus Emiliani, magni & piiſſimi zeli vir. Cui proinde Veroniſcham profecturo, ad interventionem Domini Ablegati quatuor Potwodæ conceſſi ſunt â Miniſterio.

25. Nuptias Capitanei Rickmann Dominus Ablegatus præſentiâ ſuâ decoravit.

26. Supremus Vigiliarum Præfectus de Straus cum cognata Ablegati Danici nuptias celebravit.

Digitized by Google

27. Quidam puer in furto deprehenſus metu irrogandæ pœnæ ſemetipſum interfecit.

28. Principem Steremetow Dominus Ablegatus viſitavit. Adveniſſe Procopium vulgabatur, ſed ægerrimè ſe habentem, ideo ſcribarum præcipuum ad Tzarum cum relatione Azowium expeditum.

29. 30. Dominus Schrader communitatis, Auguſtanæ confeſſioni addictæ, Paſtor inter undecimam & duodecimam noctis vivere deſiit.

JULIUS.

1. 2. Reliquum erat, ut mandato, & verbis Cæſareis Tzareæ Majeſtati Dominus Ablegatus annunciaret matrimonium inter Sereniſſimum Romanorum, ac Hungariæ Regem Ioſephum Primum, & Sereniſſimam Principem Wilhelminam Amaliam Duciſſam Brunswicenſem, ac Luneburgenſem, non ita pridem feliciſſimo auſpicio contractum. Faxit Deus, ut quos, ejusdem inſcrutabili bonitate, orbis Chriſtiani bono, Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ fœcundo incremento, ineffabili ſubditarum gentium ſolatio, & bonorum civium ardentiſſimis votis, Auguſtus Amor junxit, poſt glorioſam neo-inchoati ſæculi conſumationem ad ſenium inviolatos deducat, continuâ & optatiſſimâ Sereniſſimarum prolium ſucceſſione inter ſubſecuturam æternæ ætatis poſteritatem immortali fama victuros.

Tzarea Majeſtas abſens erat, eandem propior cura, occupandæ gloriæ aviditas, & novarum navium voluptas trecentis ferme miliaribus ad Mœotidos paludem non procul â Bosphori Cimmerii anguſtiis laudabili impetu evocaverat; ſolennitatem tamen exigebat functio, quam primus Miniſter Leo Kirilowiz Nareskin decenti ſtudio præparavit. Tzareus ſejugis currus Domino Ablegato, & ex Tzareo ſtabulo equi, ſoliti ornamenti fulgore conſpicui admovebantur, D. Ablegatum in domûs area conſtitutum, ubi notificatorias Cæſareas litteras Tzari nomine Bojarinus acceptare decreverat, duo Diaci exceperunt, â quibus porro per multas anti-cameras deductum in ultimi & ſolenni huic officio deſtinati conclavis veſtibulo Bojarinus præſtolabatur. Domini Ablegati Officiales in majorem actûs amplitudinem in eodem conclavi cum numeroſo Tzareorum ſcribarum grege perſtiterant. Sed Bojarino Dominum Ablegatum, ut ſederet, rogante, conferentia initium ſumpſit, omnibus præter Diacum Bosnikow, Secretarium, & interpretem excedere juſſis.

Mutuæ conteſtationes audiebantur, quibus Clementiſſimorum Dominorum Principalium ſincerum fraternúmque amorem perpe-

Digitized by Google

perpetuò cultum,conſervatúmque iri,ſibi invicem promittebant. Solennitatis,& humanitatis officiis peractis, Dominum Ablegatum à duobus Diacis ad currum, & per Priſtavum ad Aulam Legatoriam reductum, & Arcem Tzaream prætervectum excubitores milites conſueta armorum præſentatione,& vibratis vexillis honarârunt.

3. 4. Feſtum S. Joannis feſtivis Muſicorum concentibus in choro, & foro celebratum.

5. 6. Ruthenus Mercator exigebat â Germano quodam quatuor rublos pro coëmptis apud ſe mercibus debitos; cùm Germanus tantùm ſe debere inficiaretur, Ruthenus multa vociferatione Superis, inferiſq; ſæpius in teſtimonium ſceleratiſſimè vocatis debitum ſuum nitebatur probare. Germanus ergo Ruthenum oblato juramento Judicem conſtituit, qui proinde continuò Eccleſiam proximam ingreſſus, exactum juramentum perfidè præſtitit. Parvo enim poſt temporis intervallo ipſemet confitebatur, non quatuor, ſed duos tantùm rublos â Germano ſibi debitos fuiſſe; reliquos duos verò ab alio itidem Germano ſibi deberi, quos ipſe viciſſim poſſit repetere. hæc juramenti religio; hæc in Deum pietàs; cujus nomen in vanum ſumere, nulla his populis conſcientia eſt.

7. Dominus Ablegatus ex caſtro Azowienſi à Domino Bojarino Feudor Alexiowiz Golowin litteras mandato Tzareæ Majeſtatis exaratas obtinuit. Imperâſſe eandem ſuis hic commorantibus Miniſtris, ut Dominum Ablegatum per omnia plenè contentum eo honore ſtuderent expedire, qui hactenus nulli ejuſdem characteris Miniſtro contigiſſet.

8. SS. Apoſtolorum Petri & Pauli vigilia à Moſcis ſoleniſſima feſtivitate celebrabatur; publicas rogationes pro Tzari Sereniſſimi Patris ſui incolumnitate Tzareiwizius inſtituerat.

9. Feſtum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, atque Tzari, qui in Baptiſmo Petrus cognominatus eſt, anniverſarium obeunt Moſci.

Ismalow arcem Tzaream ad amœniſſimæ æſtatis voluptatem conditam ſaltus cingit, raris quidem,ſed in ingentem altitudinem porrectis arboribus, umbroſáque ſurgentium fruticum caligine ardentis ſolis æſtum nativa frigiditate temperante commendabilem. Placuit Domino Ablegato jucundiſſimam laudatæ ſylvæ viciniam adire, ut celebratas loci delicias cum animi oblectatione poſſet contemplari. Muſici ſequebantur,qui venti, arboribus leniter illabentis, ſuavem ſuſurrum dulciori modulamine adjuvarent. Tzariſſæ, Tzareiwizius,& innuptæ Principes eam

Digitized by Google

tunc arcem, ſic ſuadente placidiſſima anni tempeſtate incoluerant, amabántque frequentiori obambulatione inter dumetorum inſidias ad jucundiora ſylvæ ſpatia aberrare, animúmque laborioſæ quietis dulcedine captum, gratiſſimis oblectamentis defraudare. Tunc fortè in iisdem ſtudiis erant, cùm tubicinum, arundinúmque concertantium ſymphonia ſuaviſſimo impetu ad aures allabens, jam domum, & arcem meditantes pauliſper juſſit ſubſiſtere. Crevit Muſicis ambitio, audiri ſe; & probari videntibus adeò, ut longè elegantiori certamine inter ſe contenderent, quis Sereniſſimas aures artis ſuæ dulcedine occupatas altero diutiùs gratâ violentiâ poſſet remorari. Illæ quadrantis horæ ſpatio cunctantes omnium artem approbaverunt.

10. Puer Lithuanus Catholicus ad Ruthenum quendam Principem, Moſcorum perſuaſionibus ſeductus, ex culina noſtra auſugerat Ruthenizandus ſpe uxoris, quam ipſi ea conditione promiſerant, obtinendæ. Kneſius Reppenin Dimacharum Præfectus cum ſervis ſuis neſcio quo mentis œſtro ad veſaniam raptus, violento impetu urbis vigilias invaſit; quem, vexillum direpturum, ſignifer laudabili facinore haſtâ excepit; pluribus aliis mutua conflictatione vulneratis.

11. Veſpertino tempore non procul â Nareskinianis ædibus exortum incendium 130. domos nobiles & ignobiles, in buſta redegit.

12. Kneſius Boriſius Alexiowiz Galizin ex Caſani, Aſtracani, Volgæque confinibus Moſcuam reverſus eſt.

13. A primo Miniſtro Domino Ablegato remiſſus puer, qui nuper ſe ſubduxerat.

Abſente adhuc Tzaro penes primum Miniſtrum erat recredentiales Tzareas nomine, & mandato Suæ Tzareæ Majeſtatis reddere. Solennitatum autem, quæ aliàs exhiberi conſueverant, ferme nulla omiſſa eſt; in Arcis Tzareæ his actibus deſtinata aula peractæ ceremoniæ. Aderat Priſtavus, & cum interprete Tzarei ſtabuli vice Præfectus; ſejugis Tzari currus, & equi argenteis, aureiſque ornamentis de more ſuperbi, Dimacharum cohors augebat proceſſionem; excubitores ubique numeroſo ordine extenſi explicabant vexilla, arma præſentabant. Arcis atrium usque ad primi conclavis veſtibulum impleverat cuſtodia corporis, Domino Colonello Locumtenente de Colom, Dominis de Bach, & Erchel Capitaneis debitas vices obeuntibus: Bojarini filius Dominum Ablegatum cum Diaco Bosnikow excepit in limine, & ad Patrem deduxit, redditis recredentialibus, quid hic Cæſari, quid ille Tzaro nunciari vellet, exponebatur, & ultimam

Digitized by Google

timam coronidem impoſiturus Dominus Ablegatus ſe totúmq; comitatum ſuum, Miſſionarios Cæſareos, & totam communitatem Catholicam in Moſcovia commorantem Tzareæ benignitati recommendavit. Tzari deinde gratiâ omnibus per Bojarinum promiſsâ, Diacus Bosnikow ſic incepit: Tzarea Majeſtas omni ſua gratia Dominum Ablegatum dignatur, cujus mandato, non conſuetam tantùm tabulam, verùm Priſtavum etiam, conductores milites, & Potwodas ad Moſcoviæ, Lithuaniæve confinia usque, & quidquid demum ad plenam ejusdem ſatisfactionem deſiderari poteſt, id omne liberaliter obtinebit. Hisce finitis, Tzareas recredentiales Dominus Ablegatus Secretario tradidit, & â primo Miniſtro, ipſiúsque filio ad atrium usque, ubi milites in ordines diſtributi ſtationem fixerant, exquiſitiſſima humanitate deductus, cum Priſtavo in Tzareum currum ſe contulit; cui Secretarius recredentiales rubro, & ornamentis aureis fimbriato ſerico involutas, equo ornatiſſimo inſidens, ea ratione prætulit, ut poſſent ab omnibus conſpici. Ingreſſum, exitúmque noſtrum ex Arce Kremelina præter Tzareiwizium Tzariſſæ Viduæ, & aliæ aulæ Tzareæ Principiſſæ curiosè ſuis ex feneſtris ſpeculabantur.

14. Venit Diacus Jacobus Niconow, auditis noſtrorum querelis, quos excubitores nuper inurbanè offenderant, præmiſſo accuſatorum Dimacharum examine, omnes octo Dimachas non obſtante natalium ſplendore, nobiles enim erant, ad pœnam batoccarum condemnavit. Juſſu Tzari in ipſo Aulæ Legatoriæ atrio executio fiebat, quotque ictibus caſtigandi forent, eorum arbitrium erat, quos illi malo fato duriùs afflixerunt.

Tractamentum Tzareum primo quod accepimus, opulentiâ, & ſplendore non impar ad Dominum Ablegatum conſueta ſolenníque ducentorum hominum pompa deportabatur; guſtato, quod in pretioſi lapidis vaſe circumferebatur, cremato, prima propinatio in ſanitatem Auguſtiſſimi Cæſaris. 2da. Sereniſſimi Tzari. 3tia. Sereniſſimi Romanorum Regis. 4. Tzareiwizii. 5ta. Domini Ablegati erat; mutua verborum officia Priſtavi, & Domini Ablegati reſponſa in conteſtationibus ſinceræ amicitiæ conſiſtebant.

15. Quos heſternum Cæſareum tractamentum, conferentiarum, & dimiſſionis ſolennitas aliquâ curâ, aut labore tetigerat, omnes, & ſinguli, Domini Ablegati liberalitatem avidiſſima ſpe præſtolantes, pro munerum diverſitate congruis muneribus donati ſunt.

16. 17.

Digitized by Google

16. 17. 18. Rutheni celebrârunt feſtum B. V. Caſanenſis: Moſci enim dicunt, hanc, quam tali nomine venerantur, iconem in nubibus ſemper hæſiſſe, & ab integro exercitu Moſcico, Caſanum oppugnante, totius obſidionis tempore viſam; poſt expugnatam urbem verò ex nubibus in terram delapſam, ab ipſis deinde Moſcis ſumma cum veneratione ſublatam, perpetuo adhuc in cultu haberi.

Circa veſperum venit ſupremus Cancellariæ Legatoriæ Scriba, multis aliis ejuſdem officii ſtipatus, atque munera Tzarea in Zobellinis pellibus conſiſtentia Domino Ablegato, & toti ejusdem comitatui diſtribuit.

19. 20. Heſterna hodiernáque die valedicendi initium factum eſt, omnibus amicitiis familiari uſu ſancitis interea valere juſſis. Imagines, quæ Cæſareas Majeſtates Imperatorem, & Imperatricem, Sereniſſimum Romanorum Regem, & Sereniſſimum Archi-Ducem Carolum juſtæ ſtaturæ magnitudine repræſentabant, primo Miniſtro Leoni Kirilowiz Nareskin dono transmiſſæ ſunt.

21. 22. Ultima in Germanorum Slowoda valedicendi civilitate defuncti, omnia paravimus ad craſtinum diſceſſum.

Frequentiùs jam Dominus Ablegatus â Primo Miniſtro ad bonum ejus, aliquot verſtis Moſcuâ diſſitum, & Filli dictum, invitatus eſt.

Quatuor miliaribus Moſcuâ mandatum urbem ingrediendi magna Suecorum Legatio expectabat. Ejusdem ſufficienti habitationi quædam domus aliàs à Poppis inhabitata, & vulgò Das Pfaffen-Hauß dicta, aſſignata fuit.

REDITUS

Ablegationis Cæſareæ ex Moſcovia Viennam

23. *Julii.*

QUamquam in nullis Europæ aulis praxis, aut conſuetudo ea vigeat, quâ exterorum Principum Miniſtri cum ſolennitate publica, & ſingularis pompæ oſtentatione diſceſſum ſuum auſpicari ſoleant; ita ut pertinaci multorum ſæculorum obſervantiâ abitûs parandi honor, aut ſplendor in publici honoris diſpendium videatur imputandus, nihilominus tamen meo tempore aula Ruſſiæ à communi hoc ſenſu contrario uſu diſceſſit, atque Domino de Prinz Electoris Brandenburgici Ablegato Extraordinario ſingularem honorem amicitiæ ſuæ, & mutuo nuper Prin-

cipum

Digitized by Google

cipum reſpectu confirmati fraterni amoris luculentiùs teſtimonium exhibitura, eâ diſcedentem honoravit ſolennitate, quâ adventantem excipi, & ſua in mœnia introduci dignum judicaverat.

Domino Ablegato pariter poſt redditarum recredentialium ceremonias idem inſinuatum eſt. Reſtitit quidem novo huic, & inuſitato amicitiæ demonſtrandæ modo; ſed labore fruſtraneo, multifariæ proteſtationi Tzareæ Majeſtatis mandata regerebantur, quæ eo honore Dominum Ablegatum dimitti vellent, qui ante ipſum Miniſtrorum nulli contigiſſet. Poſtquam igitur proteſtatione ſolenni ſatìs caverat, ne Moſci apud aulam Cæſaream contra morem hodiernum inſolitas hasce ceremonias prætendere valerent, illorum arbitrio reliquit, quo honore ſuum diſceſſum vellent condecorare. In nullo autem diſſimilis fuit illi decori, quem ingreſſui noſtro decreverant. Aderant nuperæ equitum centuriæ, deſultoriorum militum ala, ſuperbiſſimus Tzari currus, & equi nupero auri, argenti, gemmarúmque ſplendore inſignes, Domini Ablegati Officiales exſpectabant inſeſſores. Cum Domino Ablegato præter interpretem ordinarius Priſtavus currum occupaverat, eundem ad locum deducturus, ubi mandato Tzari ante quindecim menſium decurſum ſuſceptionis ſolennitate defunctus fuerat.

Per urbis compita, innumera hominum multitudine undequaque obſeſſa fluminis Moſcuæ ripas attigimus. Hujus trajectus non omni vacabat diſcrimine. Pons ligneus enim medium fluminis ſolummodo tenens, ad nullius partis ripas extenſus erat, aſcenſus proinde, deſcenſúsque non contemnendæ difficultatis. Hujusmodi verò pontium malè fabricatorum pericula Moſcis nulla, aut certè levia videntur, etſi non paucos quandoque abſorbeant improviſa declivitate deceptos. Jemska Slowoda (ſuburbium aurigarum) anteriorem ripam occupat; Priſtavi conductus ſuburbii hujus fine circumſcribitur; hìc ſtitit currus, valedixit Priſtavus, atque ultima civilitate uſurpatis hactenus ceremoniis coronidem impoſuit. Primi Miniſtri, & Bojarini Domini Leonis Kirilowizii Nareskin nobile prædium Filli dictum ſeptem tantùm verſtis Moscuâ diſtat; ad prandium, quod ibidem lautiſſimè inſtruxerat, diſceſſurum Dominum Ablegatum jam aliquot ante diebus invitaverat. Vix ſolennitatum finis erat, cùm quidam ex dicti Bojarini Officialibus viam ad prædium juſſu Domini ſui monſtraturus, ſe inſinuat, officioſè obſecrans: ut D. Ablegatus ſua præeuntis veſtigia ſequi dignaretur. Cum toto igitur ſuo comitatu, & oneribus, quæ nonaginta Potwodæ

 vehe-

Digitized by Google

vehebant, à via regia deflectere oportebat, exterorum Miniſtrorum Repræſentantibus, atque pluribus Tzareæ militiæ Officialibus ſtipatum. Tanta in prædii hujus ingreſſu, Germanorum præcipuis refertiſſimo hoſpitum videbatur humanitas, ut quemvis de palma contendere credidiſſes. Multum ubique amicitiæ ſtudium, ſumma plurimorum æmulatio, in affectuum integritate verius exprimenda; donec inſtructæ opulento convivio menſæ convivas ad ſe converterent. Præter primũ Miniſtrum, ejusdémque cognatum, & conſuetum noſtrum interpretem D. Schwerenberg Ruthenorum nullus hoſpes aderat. Germanis frequenti numero in horum locum ſubrogatis. Poſt Dominum Ablegatum Cæſareum hic ſedentium ordo fuit. Ablegatus Daniæ, Generalis de Gordon, Reſidens Brandenburgicus Adamus Weyd, Cæſareus rei tormentariæ Colonellus de Grage, Colonellus Jacobus Gordon, Colonellus Acchenton, Miſſionarius Cæſareus Joannes Berula, Medicus Tzareus Carbonari, Guaſconi Mercator Catholicus; Wolff, Brand, & Lips Mercatores acatholici, quibus intermixti octo Cæſarei Ablegati Officiales pariter diſcubuerant. Regio luxui non impar prandium, nec Rutheno more coctum, ſed Germano guſtui bene accomodatum, rara ciborum multitudo, aurearum, argentearúmve paterarum pretiũ, & optimi potûs non una ſpecies, propinquitatem Tzarei ſanguinis facilè prodiderunt. Peracto convivio ſagittis certatum eſt, neminem excuſante peregrino uſu, aut rei inaſſuetæ imperitiâ. Chartæ folium terræ infixum metam ſuſtinuerat. hanc primus Miniſter aliquoties cum omnium applauſu mediam perforavit. Urgente pluvia ab exercitatione jucundiſſima impeditos, Bojarini conclavia denuo exceperunt. Ablegatum Cæſareum manu prehenſum ad uxoris ſuæ cubiculum deducit Nareskin, ut reciprocis ſalutandi officiis ibidem defungeretur. Non alia major apud Ruthenos honorandi eſt ratio: Summè honoratus eſt, quem maritus ad uxoris ſuæ oſcula, & accipiendi ab eadem vini adusti hauſtum extrema civilitate invitat. Non prætereunda Bojarini liberalitas, quam luculenter oſtendit, cum pellicium ex Zobellinis pretioſè confectum Domino Ablegato Cæſareo munus daret. Neque tamen omni proprii commodi ſtudio vacavit iſta munificentia; Bojarinus enim occaſionem laborioſè aucupabatur ſermonem movendi, & in memoriam revocandi diei illius honores, quo Auguſtiſſimi Cæſaris clementia, Baſilium Baſilowizium Galizin, ante quatuordecim annos primum potentiæ locum in Moſcovia tenentem, condecoraverat, curru per D. Kurzium transmiſſo: avidus procul dubio paris cum illo Cæſareæ dignatio-

gnationis, cujus locum, & officia hodiedum ambitioſè occupat. Quò tenderent aliàs atroces illæ minæ in Diacum Baſilium Boſnikow palàm effusæ: non deficere baculos, quibus ſua illi corrigeretur impudentia. Certè ut Ablegatum Cæſareum de Diaci hujus ruſticis moribus querulum permulceret, atque ejusdem relatione favorabili ſuæ velificaret ambitioni. Oleum verò, & operam perdidit, quando, potiori ſede per Generalem Gordonium jam occupata, Ablegatum Cæſareum ad currum ſuum invitavit, eum ad aliud duabus verſtis remotius prædium ſuum deducturus, magis tamen condonandus ſimplex viri animus, quàm reprehendenda calliditas; ideóque exhorruit ad hanc Cæſarei Ablegati vocem. Generali Gordonio Cæſaris Ablegatum poſtponitis. Eo verò remedium quærente, proprium ſuum currum aſcendit Ablegatus Cæſareus, & in illo cum cæteris ad prædium acceſſit. In eodem hoſpitibus perhumaniter exceptis ſuam venandi commoditatem in adjacentis, parvis dumetis obſiti, & deſinentis in vallem collis declivitate oſtendit, canibúsque duobus venaticis, quos optimos prædicabat, donatis offenſi Ablegati animum ſtuduit reconciliare. Poſt modicam hoc in prædio commorationem gratiæ actæ, & valedictum eſt non Bojarino tantùm, ſed omnibus præterea præſentibus ſupra nominatis convivis. Præcipuus Colonelli Gordonii labor fuit, ut excuſaret Patrem de accepta à Bojarino in perſona ſua offenſione. Colonellus de Grage, & Tzareus Medicus Carbonari noſtra ſequebantur tentoria tribus adhuc verſtis. Sub dio (12) & tentoriis tranſigenda nox; quòd verò aquæ commoditas videbatur deficere, non injuriè Dominus Ablegatus in Tzareum Priſtavum invectus eſt, cui incumbebat de ſimilibus providere. Etſi nullum in propinquo diverſorium, nos tamen nulla ciborum, aut potûs penuria affligebat. Neq; unquam tam ſteriles dies experti ſumus, quorum octo continuos Wickart in Moſcowitico ſuo itinerario fol. 126. recenſet. ſed ſibi imputent, qui de neceſſariis de loco ad locum ſibi non provident. Fortè tunc ſub œconomiæ nomine principalis parſimonia jejunium introduxerat.

24. Poſt mutuæ valedictionis ſolennitatem Moſcuam reverſi ſunt, quos ſupra dixi, nos in campum, & tentoria eſſe comitatos, quos pari alacritate ſecuti, & diverſam ab illis viam ingreſſi prandii tempore ad Pirguscowa (25) devenimus, ad Kneſium Joannem Baſilowizium pagus pertinet. Poſt prandium Veſomka (10) pagum, Principi Boriſio Alexiowizio ſubditum prætergreſſi, adhuc aliquot horis per fovearum, & plurimorum interjacentium ponticulorum aſpera in ſylva (10) pernoctaturi ſubſtitimus. in

 dicto

Digitized by Google

dicto pago avena coëmpta eſt, non enim ubique comparari poteſt. Eccleſia ex altera parte interfluentis aquæ à dicto Principe propriis ſumptibus magnificè conſtructa non mediocri loco huic eſt ornamento. Submiſerat antè memoratus Princeps ex Officialibus ſuis unum, qui Domino Ablegato, totique comitatui neceſſaria ſubminiſtraret, nos autem non offendit, quòd ibidem non diverterimus.

25. Per Kuckliza, Lararega, ad Scoloma Brachentska (20) prandium ſumptum. Locus iſte ad Stolnok (id eſt nobilem) Janow pertinet: Hìc, quem nobiscum duximus, magnâ artis jactantiâ chirurgus in jurgio cum ſervorum aliquo, ſe de oleo rotarum magìs, quàm roſarum ſollicitum oſtendit. In pomeridiano per ſylvas itinere multi albi lepores viſi ſunt; unum globo trajecit Dominus Ablegatus craſtini prandii ferculum. Non procul Moſaisko in prato ſylveſtri (27) cœna parata, & ſomnus captus eſt.

26. Ad civitatem Mosaisco (3) maturè pervenimus. S. Nicolaus illius urbis Patronus colitur. Solebant antehac Moſcoviæ Tzari exoneratum curis animum his in confiniis venatu alborum præſertim leporum, quorum magna hìc copia, recreare; modernus autem Ruſſiæ Autocrator venationi, in cujus varia genera Anteceſſores ſui annum diſtinxerant, nunquam, aut rarò indulgere ſolet, arx, & oppidum ligneum diſtat à Moſcua octodecim miliaribus germanicis, ubi de prima mutatione Potwodarum eodem numero, quo Moſcuæ, proviſum fuerat. Poſt verſtas quindecim pernoctabamus in ſylva. (15)

27. Prandium pariter in ſylva juxta pagum Oſtroſchock (15) iter autem pomeridianum paludes, ſcrobes ac ponticuli penè infiniti multùm aſperabant. Hærebant currus omnes difficulter extrahendi, unde in medium noctis protracta profectio; quoniam qui leviter onerati, ad diſpiciendam nocturnæ manſionis commoditatem præmiſſi erant, neglectâ, quam non ſenſerant viarum difficultate nimium itineris emenſi fuerant. Similibus in occaſionibus judicii jam maturioris hominum opera præcipuè eſt neceſſaria. Duo equi, quos nonnulli, noſtrorum comitatum liberos ſequi, volebant, his in tenebris amiſſi ſunt: expeditus, qui in eosdem inquireret, ſola furti indicia retulit. In ſylva deniq; juxta aquam cœnatum eſt. (25)

28. Per Biala Kabaka, ubi optima cereviſia inventa, prope pagum Tzarea Waſſeiniz, quem Wichard Sumieſchne Tzariwa appellat (20) alii Segmeſtia Tzariovoa pronunciant, prandium ſumpſimus. Hujus ædificii author fuit Joannes Baſilowiz, qui anno 1533. regnare cœpit, poſt unius autem & quinquaginta an-

norum

Digitized by Google

norum tyrannidem miſerè periit an: 1584. Nunc Bojarino Bucchin ex Tzarea donatione ſubjacet pagus; ultimus novam ibidem exſtruxit Eccleſiam. Septem eo in loco campanæ ſunt organi adinſtar concordantes, cùm tranſiret Dominus Ablegatus in illius honorem ſonuerunt, poſt verſtas quindecim cœna in ſylva (15) ſecuta eſt.

29. Aſperrimâ viâ ad Viasmam pertigimus, oppidum, & caſtellum ligneum ſatis amplum. Waywoda tunc erat quiſpiam ex Bucchin, neminem ex noſtris admittere in urbem volebat; inſiſtens mandato Tzari Michaëlis Federowizii per modernum rerum ſtatum antiquato, aut penitus ſublato. Hic ſecunda mutatio Potwodarum, & prima militum; qui quoniam Gordoniani erant, à D. Ablegato aliquot imperialibus donati ſunt. Alluit civitatem hanc fluvius Hugra; poſt cujus trajectum tranſivimus nominatum pontem unius & dimidii miliaris, etſi tota fermè via poſt Veſonkam usq; ad fortalitium Smolenscium innumeris, longiſſimisq; pontibus difficilis inveniatur. In ſylva (15) cœnavimus

30. Semblovam venimus prandii tempore. Feſtum S. Eliæ celebrârunt Rutheni, feſtivitatis hanc cauſam allegârunt: tribus annis, & ſex menſibus continuis olim in ea Moſcoviæ parte nullam cecidiſſe pluviam, quam Deus demum exoratus, hoc die indulſiſſet. Veſperì ad Tschowodoſelo (20.) quod Wickart Schobodognia vocat, perventum eſt. Quam inhumanos, & intractabiles ſe interdum Moſci exhibeant, ſequens eventus docebit: fractus nobis currus erat, ad hunc reparandum vocabatur colonus quidam; hic rem peſſimam ominatus, in aquas deſiliit, evaginatum minitans cultrum, quo in extrahentem ſe, defenſionis causâ uteretur.

31. In hunc diem Natalis Domini Ablegati inciderat. Hinc gratulationibus decenter peractis poſt Baſilianorum monaſterium Bogdin dictum, extra pagum Madilowa ad Boryſthenis ripam ſub tentoriis prandio nos refecimus. Tres fratres nobiles pagi hujus ſunt Domini. Pontem ſupra Boryſthenem ſuis ſumptibus reparare recuſabant; donec Ablegatus accuſationem apud Tzaream Majeſtatem, & inſecuturas infallibiliter ſuſpendii, aut Knuttarum pœnas minitaretur. Evaneſcebat fratrum ferocia, ad audita tam horrida ſupplicia, longéq; mitiores lac offerebant, & vires omnes poſſibiles adhibebant in ponte reficiendo. Cœnam extra civitatem Drogobuſam (10) ſumpſimus ſitam ad Boryſthenis ripam. Hugra amnis profundus non longè ab hoc oppido oritur in ſylva quadam, & inter Collugam, & Verotiniam influit in Occam. hic fluvius quondam Lithuaniam à Ruſſia dividebat.

debat. Quidam ex Potwodis mutandis (hic enim eſt tertia Potwodarum mutatio) ſaccum avenæ cum ephippio alteri abſtulerat ; ſed in delicto deprehenſus, multis baculorum ictibus (batoccas appellant) furti crimen luit.

AUGUSTUS.

Priſtavus relictâ viâ ordinariâ nos per breviorem duxit. Prætereuntes monaſterium Weſukol (20) in edito monte ſitum in ſylva prandium paravimus ; cœnâ verò apud fluvium Wob,(20) cujus trajectus in mediam usque noctem productus. A quodam nobili pagi adjacentis Staroſta Dominus Ablegatus piſcibus donatus eſt.

2. In latiſſimo prato ad pagum Moëſt (25) pranſuri ſubſtitimus, pomeridianum iter tempeſtas,& tonitrua infeſtârunt; hinc in edito ſylvæ colle (10) ejúsque pulcherrima planitie tentoria noſtra expandimus.

3. Tentata non leviter Domini Ablegati valetudo tardiùs loco movere monuit ; inter itinerandum medicamina paranda erant, morbo invaleſcente prandii tempore Smolenscium attigimus. Civitas hæc Ducatus Smolenſcienſis metropolis ad Boryſthenis ripam ſita, arcem habet è roboribus ædificatam, in medio arcis templum eſt ſcopulo ſuper inſtructum, Divæ Virgini ſacrum. Civitas ipſa in valle ſita eſt, collibus undique,& vaſtis ſylvis cincta. Ante cujus portam Dominus Ablegatus per novum Priſtavum, & duas militum centurias honorificentiſſimè excipiebatur; quæ currum ejusdem ad ædes usque habitatione ſua dignas comitabantur. Poſtquam quivis ſuum in cubiculum ſe receperat ; mittebatur Secretarius ad Dominum Waywodam Petrum Samuelidem Soltikow, qui nunciaret adventum, & alia ſalutationis ſolennia exequeretur. Ille humaniſſimâ reciprocè ſalute nuntiatâ, acceſſurum aſſerebat ſe hodie fuiſſe Dominum Ablegatum, niſi moleſtum ſe crederet ei, quem aliqua ſiniſtra valetudine ægrè affectum intellexiſſet.

4. Ne tamen quid omitteret, quod à civiliſſimo exigi poteſt, inſequenti die proprium ſuum octennem filium de ſtatu ſalutis Domini Ablegati certiùs cognoſcendo ablegavit. Dominus Ablegatus autem jam viribus in meliùs recuperatis, ut tantam viri humanitatem, non impari promptitudine rependeret ; ad Waywodam cum ejus filio abiit,daturus,viciſsimque recepturus ſigna veræ inter ſe amicitiæ.

5. Hìc quarta Potwodarum mutatio. ordinariè alius quoq; Priſtavus ſolet aſſignari ; cùm autem Dominus Ablegatus Way-

wodæ interroganti, novi an prioris Priſtavi officia mallet, reſpondiſſet: malle ſe officia prioris, tanquam jam noti, mutatus non fuit. Vocabatur Alexi Michita Lichoni. Omnibus itaque compoſitis Smolenſcio diſcedentes in prato (10) ea nocte permanſimus.

6. In campo ante pagum Dolstihi (20) prandii tempore advenimus, exinde præmiſſus officialium nonnemo ad Gubernatorem Kadzinii cum litteris, ut ad aurigas interea conſtituendos dicto officiali dignaretur aſſiſtere. Nocte juxta Tosuhoffiam (10) quievimus.

7. Ad ultimum Moſcoviæ pagum, quem alii Rischena, alii Gregorwski (20) appellant, devenimus. Extra pagum hunc propiùs Kadzinium innominatus quidam rivulus limitem ponit Lithuaniã inter, & Moſcoviam. Cùm nuperrimè anno 1684. inter potentiſſimas has nationes pax tractaretur, domus huic rivulo ſuperinſtructa fuit, in qua cujusvis gentis Legatus proprio in territorio ſedem occupabat. Hic cum Potwodis valedixit Priſtavus, in quorum vices conducti aurigæ, pro equis ſingulis ad onera noſtra Mohiloviam avehenda conſtitutis bini imperiales ſolvendi erant; viginti omnino erant, ſedecim ex Richena, & quatuor ex Kadzin. Dominus Ablegatus ad Gubernatorem oppidi hujus finitimi, cui jam antè donum aliquod ſubmiſerat, invitatus ſe contulit. Nobis extra Kadzinium in campo tentoria ponentibus, piſces à Gubernatore ſubmiſſi ſunt.

8. Pontes, & frequentia collium præcipitia curribus graviter oneratis multùm laboris, & negotii faceſſiverunt. Sub civitatem Hori (20) circa meridiem advenimus; prætereuntes deinde Gratschma, aut Krug Bern dictum (hoſpitia Krug vocant) in Kirojetscha (2) cœnavimus. Verùm continuus imber relictis tentoriis ad ruſticorum fuliginoſa antra nos coëgit.

9. Ad Schivanni (3) in ſylva ſub meridiem conquievimus; ubi ex prædio ſuo Scloviam rediturus Gubernator Scloviæ Dominus Joannes Modlok, natus Gedanenſis, Dominum Ablegatum ſalutavit, ultra Stanowiz (3) in campo dormitum.

10. Uno milliari Mohiloviâ Boryſthenes ſuperandus erat, hujus trajectus tres horas abſumpſit. Comes Bergamini, equitum deſultoriorum Magiſter, qui in Moſcoviam tempore noſtro venerat, ſed re infecta, & Tzaro non viſo ad milites ſuos redierat, Domino Ablegato primam ſalutationem tulit.

Colonellus Vigiliarum Præfectus mandato Generalis de Beiſt, cum quadam militum centuria ex altera fluminis parte Dominum Ablegatum condignè excepit, & ad Mohiloviam usque comita-

Digitized by Google

mitatus eſt; (4) Dominus Generalis de Beiſt, poſt adventum noſtrum debitè inſinuatũ per regiminis ſui Auditorem gratulatus, ſe venturum indicabat. Verùm viſitatio civiliter excuſata; & conventus utriusque in craſtinum dilatus fuit. Interea tamen corporalis cum octo militibus pro cuſtodia ſubmiſſus eſt.

11. Mohiloviæ altero die novum Jeſuitarum templum, cum altero Carmelitarum inſpeximus. Bernardini quoque præter ingens Baſilianorum cœnobium ſuum habent monaſterium; commodè Bernardinorum aliquis eleemoſynam à nobis exigebat, de quo ſequentia narrata ſunt. Fuiſſe monachum hunc mendicantem acatholicum; diu apud ſe ſtatutum habuiſſe, orthodoxam noſtram fidem amplecti, quod evangelicis ibidem loci commorantibus occaſionem præbuit, boni viri intentionem traducendi; illum longioris vexæ impatientem tandem cuidam reſpondiſſe: nolo fieri Catholicus, ſed Bernardinus; quaſi hic ordo in religione catholica non comprehenderetur. Dominus Ablegatus convivio Generalis de Beiſt interfuit, cui duas oves Aſtracanenſes, rara his in regionibus animalia dono dedit. Octodecim equi conducti ſunt, pro ſingulis quinqueni imperiales dati; ut ad civitatem Minsko usque nos deducerent.

12. In oppido Knaschiz (2) prandium ſumptum ibi Dominicani ad formam Tſcheſtocovienſis miraculoſæ Deiparentis depictam venerantur imaginem; ad Halawzi (3) veſperi ſubſtitimus; pagus eſt, Campi Ducem Sluskium Dominum agnoſcens.

13. Per Ceerin (2) in Paulowiz (4) prandii tempore advenimus, locus hic Oginskio ſubditus eſt. Qui ex illius domeſticis cum magno canum numero nobiscum Varſaviam proficiſcebantur, quinquaginta urſos ſe eo in diſtrictu cepiſſe aſſeverabant. Veſpertino tempore, pluvio jove illam (3) intravimus.

14. Per oppidum Bober (2) à præterfluente flumine Bober ſic dictum in Krupke (2) prandio refecti ſumus. Tanta hoc die frigoris fuit vehementia, ut aliqui noſtrum ſe pelliciis veſtire non erubuerint; per Naſchot (2) in Loschniz (5) cœnatum eſt.

15. Ad Boriſſoviam (3) pons longus, aqua enim Berezina, incolis Breiſen dicta, ſinuoſis anfractibus jugera multoties interſecat, meridianam ſtationem fiximus. Dedicationem templi celebrabant oppidani; hinc Secretarius Procuratori Collegii Minscenſis tum præſenti locuturus, multos utriusque ſexûs nobiles hoſpites, & convivas apud Parochum invenit. Pagum Berewiz (2) eadem aqua humectat, quo relicto in Sodin, aut aliis Boguslau oppido ($\frac{1}{2}$) hac nocte permanſimus.

16. In

In Schmolowiz (3) prandium, per viam modò aſperam, modò facilem in Gratſchma Horodziſſeze (3) cœnam paravimus.

17. Ad civitatem Minsko (3½) venimus, in qua Jeſuitæ, Dominicani, Franciſcani, Bernardini ſua collegia habent, & monaſteria. Fluvius Suislowiz interſecat urbem, & in mare apud Rigam ſe exonerat, bello, & frequentibus incendiis ita vaſtata, ut opulenta aliàs mercimoniis, nunc raras oſtendat mercatorum tabernas.

18. Hic commorati ſumus, cùm currus illi, quos apud PP. Societatis in ingreſſu noſtro ob viarum difficultatem relinquere coacti fuimus, reficiendi, & recenter onerandi fuerint. Jeſuitarum Superior cum ſocio ad prandium invitatus adfuit; idem honor hoſpitæ fuit exhibitus, cujus ſenex Pater conſulatum tenebat.

19. Pomeridiano tempore diſcedentes per Molſchgabiz ad Viaſen (3) pervenimus.

20. Per civitatem Goudanow (2) ad Palagniawiz (4) poſt prandium ad Gratschma Saſiullie (1½) progreſſi.

21. Apud Schokobora (2½) fluvium Niemann tranſivimus; fluvii hujus brachium ultra miliare in viam regiam ſe effuderat, & paludem effecerat limoſa terra. Rhedariorum unus in foveam ex improviſo incidens, currum inverterat, diu extrahi non potuit, hinc aqua in ciſtas, & cuſtodita in iiſdem pretioſa penetravit. Dein ad Miram (1½) Radzevilio ſubditam perreximus.

22. Ob heſternum, quod in aqua paſſi infortunium, hic commorati ſumus.

23. Poſt meridiem diſceſſimus, & ad Gratſchma ſive hoſpitium Wolna dictum devenimus. (3)

24. In civitate Stolowiz prandio vires refecimus; præter templum parochiale Sacellum Lauretanum habet. Parochiæ Præpoſitus cum duobus Vicariis præeſt. Poſt Sancti Bartholomæi feſtum nundinas annuas celebrat. Per Neumoſch ad Polonecka (3) ubi Dominicanorum monaſterium, veſperi ſubſtitimus.

25. Per Gratſchma Jakimlowiz civitatem Slonim (4) attigimus; hic Dominicani, & Jeſuitæ manent. Abſoluto prandio abituris obſtabat examen apum, quod in viam publicam erumpens modò equum occiderat, & multos homines in facie, manibúsque læſerat; igne arcebatur, & citatiſſimo quivis pede locum transcurrit. Creſcente jam nocte ad Gratſchma Schmelnize venimus. (3) Diverſorium hoc aqua, Ruida compellata, præterfluit.

U 26. Ma-

Digitized by Google

26. Maturè Roſanam venimus, apud unitos Baſilianos miſſa audita; Campi-Ducis Sapiehæ filius, tum temporis hic reſidebat, is non tantùm octo milites cuſtodiæ miſit, ſed Dominum Ablegatum inſuper liberali convivio tractavit. Hac in civitate Judæi aurigæ conducebantur, pro rebus Varſaviam avehendis in ſex imperiales pro equis ſingulis conventum.

27. Poſt prandium diſcedentibus Liskowa (3) noctis hoſpitium præbuit.

28. In diverſorio Stoteniki (3) prandium, cœna verò in pago Jalowka. (4)

29. Juxta fluvium Nareff (4) in ejusdem nominis oppido prandium, cœna in Klenick (2) ſumpta.

30. Confecto medio miliari ad Dreſdianka venimus, ibi aquæ profunditas ponte omnimodè diruto, tranſitum negavit. hinc relegendum iter per Lochniza: igitur in regia civitate Bilſeck (2) pranſi ſumus. Bſanizki Generalis Sapiehæ loci Staroſta eſt.

Præter monaſterium Baſilianorum unitorum Carmelitæ quoque ibidem fundationem habent quadraginta millium florenorum Polonicorum; florenus autem Polonicus valet ſex denarios. Colonus quidam cubicularium cum aurigis Judæis præeuntem ad Gabellas ſolvendas obligare voluit; etſi id officii nullo modo ad ipſum pertineret, cujus temeritas eò progrediebatur, ut equum ſubducere, ephippióque piſtoleta detrahere oſtensâ violentiâ moliretur. Ubi autem appropinquare Legatum cum cætero comitatu ſuo advertit, fugâ ſibi conſuluit, quem inſecutus faber ferrarius frameâ dejecit equo, hominéque ulterius profugo, equum coloni in criminis patrati probationem ſecum in civitatem perduxit. Canonici cujusdam ſubditus erat, is civiliſſimè deprecabatur tantam ſceleris audaciam à ſubdito ſuo admiſſam. Dominus Ablegatus deinde, miſſo ad ſe in pœnam, & ſatisfactionem colono, flagitium condonat, motus humanitate intercedentis Canonici. Nocte ad civitatem Bodki, *(2)* alii Bodski ſcribunt, ventum eſt, oppidum hoc ejusdem nominis fluviolus flexuosè alluit.

31. Medio poſt Bodki miliari Maſſoviæ fines intravimus. Natio periculoſa, alienis furtivè inhians, nocturnisque graſſatoribus, & latrociniis nota. In Mironowski hoſpitio prandium, circa veſperum ad Buck venimus ingentis latitudinis fluvium (3) Granda civitas in citeriori, Kreminiz verò in anteriori ejusdem ripa ſita, ea nocte poſt felicem fluvii trajectum nos excepit.

SEPTEM-

Digitized by Google

SEPTEMBER.

1. Ad Semkowa (3½) prandii tempore, Wenkonow (1½) poſtquam avena ibidem comparata, tranſeuntes per fluvium Liba, ad oppidum Liba (½) venimus.

2. Comitatus in Moſcoviam denuo profecturi Generalis Carlowiz nobis in itinere obviam factus mineratores ſecum abduxit. In oppido Dobre (3) pranſi. Per Staniſlowa (2) in diverſorio Michalowa (4) cœnavimus.

3. Horâ diei decimâ Pragam ad Viſtulam (4) tenuimus. Fluminis latitudo difficilem fluvii tranſitum effecerat, tres horæ trajectui inſumptæ ſunt, ex altera fluminis parte Poloniarum Regum Reſidentia Varſavia conſpicitur. Omnes Poloniæ Magnates, & Principum exterorum Legati ſua palatia in ſuburbiis inhabitant; nos in platea, quam viam Cracovienſem compellant, divertimus. Viſitavit D. Ablegatum Generalis Carlowitz.

4. Eminentiſſimo Cardinali Radziowski, & Illuſtriſſimo Domino D. Avia Nuncio Apoſtolico per Secretarium adventûs noſtri notitia data eſt; primo præterea intimabatur: D. Ablegatum Cæſareum adferre ſecum Regis Perſarũ litteras, ad regiam ſuam Majeſtatem exaratas, eáſque in Regis abſentia ſuæ Eminentiæ, tanquam Regni hujus Primati extraditurum. Dominus Ablegatus prima viſitatione honoravit Nuncium Apoſtolicum; quam ipſe horis pomeridianis non impari promptitudine reciprocavit. Inviſebatur pariter Dominus Ablegatus à Domino Barone de Blumberg, quondam Domini Zierowski Magni Cæſarei Legati ad aulam Moſcuam ſocio. Pater Conradus Carmelita in Perſidem, unde aliquot abhinc annis redierat, rediturus, non omiſit ſimilia viſitationis officia.

5. Inviſit Dominum Baronem de Blumberg, & Generalem Carlowizium Dominus Ablegatus, evocatus abiit ad Eminentiſſimum Cardinalem Radziowsky Perſicas litteras eidem inſinuaturus. Diverſionis gratiâ ad hortum Lubomirskianum balnei pulchritudine, & artificio commendatum conceſſimus; cujus eremitorium affabrè ædificatum, ſilentio tranſmittere non debui.

6. Apud Nuncium Apoſtolicum Dominus Ablegatus in prandio fuit. Advenerunt litteræ ex Moſcovia poſt abitum noſtrum, eo die magnum in urbe excitatum fuiſſe incendium, quo magna Suecorum Legatio in eam publica ſolennitate fuit inducta. Palatium Legatorum, Generaliſſimi Schachinii, Principis

Digitized by Google

Galizini, præter plura alia, cum quindecim domuum millibus igne abſumpta. Daniæ Ablegatum ea in conſternatione refugiſſe ad Dominum Adamum Weyd, Suecos in defuncti Generalis Lefort ligneum palatium ultra Jauſam ſitum perductos, octo deprehenſos incendiarios, inter quos duo Poppæ fatentur Strelizios incendii authóres, neque citiùs fore quietos, quàm tota Moſcua in cineres fuerit redacta. Redux hoc die ex Moſcovia Varſaviæ advenit, miſſus nuper ad Tzarum Regiminis Beiſtiani equitum Magiſter Ludovicus de Buchan.

7. Ad Nuncium Apoſtolicum miſſus Secretarius, ut allata herì nova de magno in urbe Moſcua incendio eidem exponeret. Regis defuncti cadaver balſamo conditum, apud Capucinos hodiedum ſervabatur tanquam in depoſito, quod, ſicut & conſueta ejusdem à curis publicis pauliſper ſecedentis conclavia in dictorum Patrum à ſe exſtructo monaſterio vidimus. Reſidens Moſcicus Tzareas ad Cæſarem litteras Domino Ablegato tradidit. Añunciabant illæ expeditam Conſtantinopolim Ablegationem, atque Cæſarem requirebant, ut amica ſua officia, in reaſſumendis pacis tractatibus fraternè interponere velit.

8. Non procul ab Eccleſia ad Sanctam Crucem dicta, capella eſt, dicta Moſcowitica; quoniam à duobus Tzaris olim in bello captis, & ibidem ſepultis ædificata eſt. Circa veſperum Nuncius Apoſtolicus ad Sanctam Crucem baptizavit filium Principis Seuterizki. Ad ripam Viſtulæ orto levi de cauſa jurgio, Poloni ſinè numero conglomerati, tres Saxonicos milites ſaxis, & fuſtibus miſerandum in modum trucidârunt.

9. Ad S. Crucem Judæus baptizatus eſt, levantes erant Cardinalis Radziowski, & uxor magni Cancellarii Lithuaniæ, baptizatus nomen Michaëlis ſortitus eſt.

Nuncius Apoſtolicus diſceſſit, Lithuaniæ cœnobia viſitaturus.

10. Reſidens Moſcoviæ inviſebat D. Ablegatum.

11. Decem equi conducti ſunt pro ſingulis ad miliaria ſingula octo denarii promiſſi. Principalis auriga Rolant nominatur, qui ſupra conditionem elatus, in cauſa fuit tardioris diſceſsûs. In Bulow ($\frac{1}{2}$) nocturnam ſtationem fiximus.

12. In Uſſudar ($3\frac{1}{2}$) ſub meridiem, veſperì verò in civitate Amſcenow divertimus.

13. In pago Pabski (3) prandium, per oppidum Rawa in Kaminka ($2\frac{1}{2}$) cœna ſumpta eſt.

14. In Laſchiska ($3\frac{1}{2}$) prandium, in Velbor ($1\frac{1}{2}$) avena empta eſt, cœna in Petrikow. (2) In Velbor ex famulis aliqui cum Po-

Polono in rixas lapſi ſunt, quas tamen Polonus vulnerata facie aufugiens non proſecutus eſt.

15. In Caminska (4) prandium, cœna verò in Radumski (2) inſtructa.

16. In Zaporowa (4) prandium, cœna autem in oppido Tſcheſtockovia. (2) Monaſterium fortiſſimo munimento incluſum, & à Polonis militibus perpetuò cuſtoditum. Monachi Ord. S. Pauli primi Eremitæ incolunt. Horum Provincialis jam provectæ ætatis D. Ablegatum humaniſſimè excepit, atque in Pharmacopœam Monaſterii inſtructiſſimam deducto vinum Hungaricum propinavit.

17. Ex ſingulari in Deiparam cultu devotionem noſtram peregimus; colitur enim hic Thaumaturga Beatiſſimæ Virginis Imago, cicatrices, & maculas in facie retinet flagelli à ruſtico inflictas multis miraculis clara à Ladislao Oppœnſium Duce dono data. Poſt inſpectus Eccleſiæ hujus theſaurus multis etiam reliquiis ditiſſimus: velum S. Philippi Nerei, S. Caroli Borromæi miraculosa, & contra obſeſſos validiſſima crux: nobis præſentibus obſeſſa quædam mulier inter miſſæ Sacrificium horrendum mugiebat. Poſt prandium denuo diſcedentes in Caminiza (2) cœnam ſumpſimus.

18. In Jurenberg prandio, (2) cœnæ Tarnomontii (1) aſſedimus.

19. Duo hic ſunt Miſſionarii Jeſuitæ, prima pariter Cæſarea poſta, quâ uſus Dominus Ablegatus nos Viennam præceſſit, quem finito prandio ſecuti, ſerò eo veſpere ad Klauwiz (3) pertigimus.

20. In Rauda, (3) monaſterium Ciſtercienſium eſt; ibidem prandium ſumpſimus, cœnam verò in oppido Ratibor, (3) quod Odera alluit, & medio ante ipſum miliari paludibus longior pons ſuperſtructus eſt.

21. Ad Troppaviam Principi Liechtenſtein ſubditam prandii tempore, veſperì ad Dereschdorff ($2\frac{1}{2}$) ſubſtitimus.

22. Per oppidum Hoff in Berna (3) prandiũ, cœna Olomuzii. (2)

23. Propter eclypſim nos antè non movimus, quàm ea cœlum obſcurare deſierat, hinc pomeridiano tempore primò diſcedentes, ad Teiſchniza ſubſtitimus. ($2\frac{1}{2}$)

24. Per civitatem Wiſchaw ulteriùs tendentes in pago Rauſniz prandium parari curavimus. Excellentiſſimo Domino Comiti de Kauniz ſubditus locus eſt; abſoluto prandio ad iter accingimur; ſed ortus inter comitatum, & commorantes eo in pago Ju-

dæos periculoſus tumultus, nos ultra horam detinuit, excuſſus à Judæo lapis uni cubiculariorum dexterum oculum abſtulit, multi ex utraque parte læſi ſunt.

25. Memoratum tumultum D. Ablegato Extraordinario ex integro relaturus, ea nocte diſceſſit Secretarius, & Nickolſburgi poſtâ uſus eſt, ad meliorem rei maturandæ celeritatem, reliquus comitatus autem ea in civitate prandium ſumpſit, (4) cœnam in Kezelsdorff. (2)

26. Prandium in Wolckersdorff (4) cœnam in Stamersdorff. (2)

27. Exinde demum Vienna (1) incolumes recepit.

COMPENDIOSA DESCRIPTIO
Periculoſæ Rebellionis Streliziorum in Moſcovia.

FAmiliari fortunæ ludibrio perſæpe ſolet contingere, ut vicinas ædes, voraci flamma correptas, amico auxilio exſtincturus, in idem adducatur diſcrimen; ac proinde non immeritò propriæ infelicitatis calamitas deploranda ſit, quoties proximus ardet Ucalegon.

Omnibus notum eſt, Polonos ad libera ſuffragia ituros, quibus Regem renunciarent, ad viduatæ Reipublicæ ſolium evehendum, in duos Candidatos ſua ſtudia diviſiſſe. Quæ procellæ ex Comitiorum freto exæſtuantes, apud vividas gentes, ſubtilſque, & exerto ambitu ferventes, funeſtam omnium diſcriminum minitabantur tempeſtatem. Excitatus propinquitate periculi Moſcoviæ Tzarus validam militum manum ſub Kneſio Michaële Gregoriwizio Romadonowski Belli-Duce ad Lithuaniæ fines vigilare juſſit, ut motus publici ex privatis fortè ſimultatibus orituri prompto remedio componi, turbatoréſque pacis publicæ, fortiori auxilio reprimi, & ad debitam jure electi Regis venerationem tantò efficaciùs poſſent compelli. Verùm quàm mirabilis fortunæ, rerúmque ipſarum viciſſitudo eſt: alienos fluctus crudeliſſima tempeſtate in ſe devolvit, quos timebat vicinæ gentis tranquillitatem implacida inundatione temeraturos. Quatuor Streliziorum regimina, quæ ad Lithuaniæ fines excubabant, dominatûs transferendi cogitationes flagitioſè ſuſceperant. Regimen Theodoſianum Viasman, Athanaſianum Piclam, Ivanno Tzernovienſe Volodomirienſe Oſthebam, Ticchonicum Dorogobuſam ſervitiis ſuis commendata loca jam reliquerant, pulſis, quos habebant, fidelibus officialibus inter ſe munera mi-

litaria diſtribuebant, promptiſſimus ad facinus, optimus adimi-
perandum habebatur. jam proximis extrema minitabantur, qui
ad partes ſuas, vel ſponte non concederent, vel intentioni ſuæ, re-
ſiſterent. Multa de periculo tam præſenti Moſcuæ ſpargeban-
tur, ſed utrum ſat fida nemo intelligebat; donec frequentes Bo-
jarinorum congreſſus, iterata dierum conſilia, nocturnæ coitio-
nes, & conferentiæ aſſiduæ, rei magnitudinem omnibus aſſeru-
erint, maturitatem concluſi imminens promovit neceſſitas. Bo-
jarinum, & Waywodam Alexium Simonowizium Schachin ante
diſceſſum ſuum Militiæ Generaliſſimum elegerat Tzarus; non
poterat itaque executio alteri demandari, quàm cui Tzarea Ma-
jeſtas bellicæ rei ſummam jam antea concrediderat, ſed nulla ſa-
tìs certa mandata erant, volebant omnes ex re conſilium capien-
dum, ubi pertinaciùs reſiſterent, nullâ culpæ admiſſæ rogatâ ve-
niâ, tum demum rigore in flagitium animadvertendum. Con-
ſenſit in commiſſam ſibi poteſtatem Schachinius, ea tamen con-
ditione, ut decretum hoc omnium conſenſu approbatum, omni-
um etiam ſubſcriptione, & ſigillis corroboraretur. Quamvis ſua
poſtulato fuerit æquitas, nemo tamen ex omnibus fuit, qui pro-
priæ manûs appoſitionem non recuſaret. Incertum an metu, an
invidiâ: moram tamen non tulit diſcriminis propinquitas, & ti-
mor ex eo, ſi Streliziorum ſeditioſæ cohortes Moſcuam penetra-
rent. Nec vana formido fuit multitudinis rebellibus immiſcen-
dæ, conſultiùs viſum occurrere, quàm invaſionem eorundem
periculoſiſſimam expectare. Prætorianis cohortibus inſinua-
tum, ut paratos ſe in omnem horam exhibeant: eundum contra
ſacrilegos violatores Majeſtatis: qui operam ſuam detrectarent,
ejusdem criminis reos, & participes exiſtimandos. Nulla ſangui-
nis, aut affinitatis vincula ligare, ubi de ſalute Principis, & Impe-
rii ageretur, quin potius filio licere Patrem occidere, venientem
in excidium Patriæ. Strenuè ſpartam hanc executus eſt Generalis
Gordonius, & concreditas ſibi militum turmas ad egregium fa-
cinus animavit: nulla enim magis glorioſa ſtipendia, quàm in-
columnitati Principis, & Reipublicæ præſtita. Neque ſinè pro-
ſperi eventûs præſagio in ipſam Pentecoſtes ſolennitatem incidit
hæc in refractarios expeditio, ut Spiritus Veritatis, & Juſtitiæ
confunderet iniquitatis conſilia, ſicuti ſucceſſus clarè docuit.
Tria enim potiora rebellionis capita diſcordia diviſit, quæ in ter-
tium diem promotionem itineris morata, fideli exercitui ad mo-
naſterium Sanctiſſimæ Reſurrectioni dedicatum, & ab aliis Hie-
ruſalem cognominatum obvios dedit perduelles Strelizios. Fa-
cinoris nempe magnitudo metum, protelationẽ, & diverſa inter-
dum

Digitized by Google

dum conſilia adfert, & jurata ſcelere concordia nunquam ſolet eſſe diuturna. Si vel horâ citiùs monaſterium occupâſſent rebelles, illis munimentis tuti fidæ militiæ labores diu fruſtra fatigatos fortè enervâſſent, infeſtâ piis victoriâ, perfidiæ crimen coronaturi. Sed violentis conſiliis optatum exitum fortuna negavit. Pinguioris terræ viciniam tenuis rivus non procul alluit, in hujus anteriori ripa Tzarei milites, in citeriori rebelles jam apparebant: tentabant tranſitum, quem, ſi voluiſſent, Tzareus miles difficulter prohibuiſſet; diurna enim profectione fatigatis, nec robur ſatis collectum erat. Conſilium viribus ſubſtituit Gordonius, & ſolus ad ripam Streliziis collocuturus digreditur. Invenit jam trajectum meditantes, eorúmque conatum ulteriorem ſimilibus diſſuadet: quid animi ipſis eſſet? quonam tenderent? ſi Moſcuam cogitarent, noctem proximam longius iter non ſinere, neque anguſtias loci anterioris ripæ omnes capere, manerent potiùs in altera fluminis parte, & noctis tempora adhiberent conſultationi ſaniori, quid in craſtinum ſtatuere vellent. Non reſtitit tam amica conſulenti ſeditioſa turba; corporum enim laſſitudo etiam animos ab inopina certaminis occaſione deterrebat. Interea Gordonius, omnem loci commoditatem bene ſpeculatus, in propinquo proficuum collē, conſentiente Schachinio cum ſuis occupat, ſtationes diſtribuit, & firmat, non omiſſo, quod ſibi defenſioni, & præſidio, adverſariis verò offenſioni, & detrimento eſſe poſſet. Pari fide, & animi fortitudine muneris ſui partes ſtrenuè geſſit Cæſareus rei tormentariæ Colonellus de Grage; collem ſupra dictum inſedit, tormenta commodè locavit, & omnia eo ordine diſpoſuit, ut pene tota boni ſucceſsûs gloria penes rem tormentariam remaneret. Orta quamprimùm luce ex mandato Campi-Ducis Schachinii iterum Generalis Gordonius ad colloquium cum Streliziis redit, reprehensâ paulìſper regiminum inobedientiâ, de Tzarea clementia multùm diſſerit. Si ſtipendia quærerent, non per ſeditionem, & turbas deſideria militum ad Tzarum ferenda. Cur contra morem obſequii, contra fas diſciplinæ commendata fidei ſuæ loca deſeruiſſent? Cur ejectis Officialibus, ipſi vim meditentur? in pace potiùs poſtulata ſua proponerent, redirentque fidei debitæ memores ad deſignata loca; flexos ad pietatem, ſi videat, ſi ſupplices audiat, ſe & precibus ſatisfactionem, & admiſſi flagitii veniam impetraturum. Sed perfidorum jam induratam contumaciam non commovit Gordonii oratio, ſolúmque hoc reſponſi locò pervicacia repoſuit: ante ſe Moſcuam ad uxorum chariſſimarum amplexus, & non ſolutorum ſtipendiorum receptionem admittendos, quàm ad de-

ſignata

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

ſig
ha
git
Go
ſol
inſ
ta,
lè n
gra
plu
glo
dire
tenc
pug
Scha
facil
expo
& p
naci
rigu
præ
aud
pub
nus
rúm
dieb
ſube
obſe
rum
mul
ſauc
fort
data
ferr
de (
reb
me
Du
mu
ren
tor
nin

Digitized by Google

ſignata loca inopes rediturós. Retulit Schahinio ſceleratiſſimam hanc Streliziorum pertinaciam Gordonius; Cùm is autem de flagitioſorum pœnitentia necdum omnino deſperaret; non abnuit Gordonius, propoſitâ delicti veniâ, & promiſsâ ſtipendiorum exſolutione efferatos rebellium animos tertia vice tentare. Verùm infructuoſa omnis admonitio non ſperato duntaxat fine fruſtrata, ſed ab exacerbatis etiam ad iracundiam animis, vix non malè mulctata: increpant jam, & reprehendunt virum authoritate gravem, ſuum olim Belli-Ducem: cederet confeſtim loco, nec plura inani fructu diſſereret, ni tantam ſuam audaciam emiſſo globo velit caſtigari: ſe nullius recognoſcere imperia, non audire mandata, nec ſic redituros ad loca ſua; Moſcuam ſe admittendos; ſi prohiberentur, viam ſibi vi, & ferro aperturos. Pupugit inſperata ferocia animum Gordonii, & quid è re ſit, cum Schachinio, & aliis præſentibus bellicis officialibus deliberat: facilis autem fuit concluſio in illos, qui armorum ſuorum vim experiri jam antea decreverant. Omnia igitur ad congreſſum, & pugnam parantur; cogente ſic perduellium concertandi pertinaciâ. Non minora Streliziis ſtudia, aciem ordinant, tormenta dirigunt, diſponunt ordines, preces conſuetas, & Dei invocationem præmittunt, quaſi cum hoſtibus pro bona causa dimicaturi. Non audet ſcilicet malitia, niſi ſub virtutis, juſtitiæque coloribus in publico comparere. Innumeris utrinque formatis crucibus eminus congrediuntur legiones. Prima tormentorum, bombardarúmque exploſio ex Campi-Ducis Schachinii caſtris tantùm audiebatur; cujus juſſu nullis globis arma onerata erant: quia ſpes ſuberat, fore, ut actuali reſiſtentia perterriti, ad ſubmiſſionem obſequii redirent. At animos ſceleri addidit, primam ſclopetorum tempeſtatem ſinè vulnere, & ſtrage tranſiiſſe: alacriores multò arma exonerant, quosdam exanimes, plures vulneribus ſaucios proſternunt. Poſtquam mors, & vulnera ſatìs docuerunt, fortioribus remediis agendum eſſe, facultas Colonello de Grage data eſt, non ampliùs diſſimulata virtute è tormentis majoribus ferrum, & plumbum detorquendi. Exſpectatiſſimum Colonello de Grage mandatum fuit, qui nihil cunctatus, ea dexteritate in rebellia capita detonuit; ut impeditis reſiſtentium furiis certamen, & velitatio in miſerandam ſeditioſorum ſtragem tranſierit. Dum alii exanimati procumbunt, palantes terrore ſtrelizios animus cum ferocia deſtituit; quibus ſanius in diſcrimine judicium remanſerat, tormentorum Tzareorum vim ſuis contra directis tormentis impedire, & propellere fruſtrà moliebantur; hæc enim Streliziorum conſilia Colonellus de Grage jam anteverterat,

X dire-

Digitized by Google

directis tormentis ſuis ad tormenta perfidæ turbæ, quibus ad ea accedentes continuo quaſi turbine adeò profligavit, ut multi caderent, plures aufugerent, & nemo ampliùs ſupereſſet, qui ad eorundẽ uſum redire attentaret. Interea non ceſſat Generalis Grage in ordines jam diffugientium ex colle ſuo fulminare, nuſquã tuti Strelizii, nulla in armis ſalus, nihil magìs abhorrebant, quàm aſſidua tormentorum fulmina, à Germana dextera in ſe emiſſa; deditionem ergo ſui offerunt, qui ante horam efferatiſſimi oblatam gratiam reſpuebant: tam brevi ſpatio victi à victoribus diſtinguebantur. Supplices procumbunt, & rogant, tormentorum utceſſet crudelitas, ſe quodcunque imperaretur, promptè executuros. Reſponſum ſupplicibus, ut arma deponerent, extra ordines ſe conferrent, nihil recuſarent eorum, quæ injungerentúr. Licèt confeſtim armis abiectis ad juſſa loca victi concederent, continuata tamen adhuc pauliſper tormentorum exploſio; ne ſublatâ pavoris causâ temeritati rediret animus, & belli contumacia reſurgeret. Ubi tamen verè pertimuerant, impunè contemnebantur. Millia hominum ſe dederunt vinculis, qui ſi robur ſuum experiri maluiſſent, vincientium victores procul dubio evaſiſſent. Sed Deus eſt, qui diſſipavit cogitationes malignorum, ne poſſent adimplere, quod cœperant.

Poſtquam efferata rebellium ſuperbia enarrato modo plenè detumuit, omnésq; ſeditionis participes conjecti in vincula Campi-Dux Schachinius in periculoſæ, & impiæ machinationis cauſas, finem, authores, Duces, & complices viâ torturæ inquiſivit; non vana enim erat ſuſpicio, de majoribus ejusdem capitibus, ſe mortis reum quivis ſpontaneè confitebatur, ipſius autem delicti ſeriem ordiri, manifeſtare conſilia, prodere conſcios, nemini quisquam perſuaſiſſet: equuleus igitur veritatis eliciendæ ultimum inſtrumentum à lictore adornatur. Inaudita fuit adhibitæ torturæ immanitas: flagris ſæviſſimè cæſi, ſi pertinaciam ſilentii nondum rumperent, ſaucia reorum tergora ſanie, & tabo fluentia, igni admovebantur, ut per lentam cutis, & carnis morboſæ aduſtionem acuti dolores, ad ima oſſium, & extrema ſenſuum cum atrociſſimis cruciatibus deſcenderent. Hæc tormentorum viciſſitudo una & altera vice repetebatur. Horrenda viſu, & auditu tragœdia. Ultra triginta, in aperti campi planitie funeſtiſſimi collucebant ignes, ubi miſerrimi inquiſiti cum ejulatu terribili torrebantur; parte ex alia reſonabant crudeliſſimi flagrorum ictus, ut ex jucundiſſima terræ vicinia ſæviſſima hominum carnificina facta ſit. Poſt exercitam plurimorum torturam, quorundam pertinacia demum victa, ſequentem perverſiſſimi inſtituti ſui

ſeriem

Digitized by Google

ſeriem inchoavit: Non ignorare ſe, quantùm deliquerint; capitis pœnam omnes promeritos, neque ullum fortaſſe mortem recuſaturum. Si ſuis fortuna adfuiſſet cœptis, ſe in Bojarinos eadem fuiſſe ſtatuturos, quæ nunc victi exſpectent ſupplicia; propoſitum enim ſibi fuiſſe, totum Germanorum ſuburbium accendere, diripere, & evertere, Germanísq; ad unum omnibus internecione deletis, Moſcuam violentos invadere, qui reſtitiſſent milites jugulare, cæteris in ſocietatem flagitii aſſumptis; Bojarinorum alios morte, alios exilio mulctare, omnibus ex officiis, & dignitatibus ſuis dejectis, ut eò faciliùs commune vulgus partes ſuas amplecteretur. Poppæ quidam B. V. iconem, & Sancti Nicolai imaginem prætuliſſent, ut appareret, arma pietatem, Dei honorem, fideſque defendendæ neceſſitatem ſuaſiſſe, non malitiam. Rerum potitos, ſe ſchedas in publicum ſparſuros fuiſſe, quibus populo confirmâſſent, Tzaream Majeſtatem perniciosis Germanorum conſiliis peregrè profectam, ultra mare vitâ functum eſſe. Ne verò ſinè gubernatore Reipublicæ navis ſui incerta fluctuaret in pelago, apud quemvis ſcopulum facili naufragio interitura, Principiſſam Sophiam Alexiadem interea ad thronum evehendam, donec Tzareiwizius majorennitatem, & adultioris ætatis robur nanciſceretur. Baſilium Galizin ab exilio revocandum, ut conſiliorum prudentiâ aſſiſteret Sophiæ. Uti verò ſingula confeſſionis iſtius puncta tanti momenti ſunt, ut quodvis etiam ſeorſim ſpectatum, capitalem pœnam irroget, ita Campi-Dux Schachinius conceptam in eoſdem ſententiam promulgari fecit, & exequi. Multos ad laqueum, & ſuſpendii pœnam damnatos, plures infauſtæ trabi incumbentes ſecuris è medio ſuſtulit; plurimi ſecuriori vindictæ reſervati, ad locorum circumjacentium cuſtodiam relegabantur. Contra Generalis Gordonii, & Principis Maſattkii conſilia ad hanc rebellium executionem Campi-Dux proceſſit, cùm ſeditionis capita ſinè ſufficienti inquiſitione præmatura morte ulteriori examini eximerentur, hinc non immeritò juſtioris vindicis furorem in ſe concitavit, quo inter Regii convivii lætitiam neci datus eſſet, niſi fortior Generalis Lefort retrahendo, manum impediviſſet à vulnere. Verùm tunc aliter ſapiebat Schachinius; maturam nempe ſeveritatem in multorum animis reverentiam in Principem, timorémque ſupplicii utiliſſima mutatione ſequi. Ideóque publicæ ultionis exemplo terrorem reliquis incuſſurus, uno die ſeptuaginta, altero nonaginta meritiſſima cruce fregit. Doloris acerbitatem, & indignationis magnitudinem, ad quam Tzaream Ma-

Digitized by Google

jeſtatem intellecta Streliziorum rebellio multùm commoverat, ſpirans vindictam animus facilè prodidit. Viennæ adhuc commorabatur Italicæ profectionis deſiderio pleniſſimus; hanc tamen peregrinandi curioſitatem, etſi fervidiſſimam allata nihilominus nova, de orto in viſceribus regni ſui tumultu, facilè extinxerunt, ad Oratorem ſuum Lefort (quem penè ſolum intima familiaritate dignabatur) continuò accedens hiſce indignabundè alloquebatur: Franciſce Jacoweides, modum ſuggere, quo brevi temporis ſpatio per viarum compendia Moſcuam attingere, & tantam meorum perfidiam condignis flagitio ſuppliciis ulciſci queam. Nemo abibit impunis. Circa Regiam urbem meam, quam impiis conatibus ſuis diripere meditabantur, in mœnibus, & muris infames cruces, & patibula erigi, omnéſque & ſingulos dira morte exanimari faciam. Nec juſtiſſimi furoris ſui conſilia diu diſtulit; ſed poſtæ celeritate, ab Oratore ſuo propoſitâ, uſus, quatuor ſeptimanarum decurſu, ad trecenta miliaria feliciſſimè confecit, ſéque quartâ Septembris bonis Principem malis reddidit, ultorem. Prima poſt adventum ſollicitudo de rebellione fuit; quomodo compoſita? quid animi tumultuantibus fuiſſet? quibus authoribus tantum nefas auſi? cùm autem nemo eſſet, qui ad omnia puncta accuratè reſpondere poſſet, his ſuam ignorantiam, illis Streliziorum pertinaciam obtendentibus, omnium fidem ſuſpectam habere, & novæ inquiſitioni cogitationes ſuas admovere cœpit. Qui in vicinis variis locis cuſtoditi aſſervabantur rebelles, ii omnes per quatuor militum prætorianorum regimina ad quæſtionem novam, & torturam retrahebantur. Bebraſchentsko reductis carcer, tribunal fuit, & equuleus. Nulla dies quæſitoribus vacua faſta aut nefaſta, omnes ad torquendum idonei licitíque viſi. Quot rei, tot knuttæ, quot quæſitores, tot carnifices. Princeps Feudor Jurowiz Romadonowski, quantùm cæteris ſeverior, tantùm præſtabat inquirendi aptitudine. Ipſemet Magnus Dux ob conceptam in ſuos diffidentiam, inquiſitoris officio functus eſt. Ipſe interrogatoria ponebat, examinabat reos, non confitentes urgebat, pertinacioris etiam ſilentii Strelizios crudeli jubebat ſubjici torturæ, jam multa faſſi, de pluribus quærebantur, quos tormentorum exceſſus viribus, mente, & ipſis vix non ſenſibus deſtituit, Medicorum induſtria priſtinis ſuis viribus per novos cruciatus denuo enervandis cogebatur reſtituere. Totus menſis October reorum tergoribus per knuttas, & ignes excarnificandis inſumebatur: nulla die à flagris, aut flamis fuêre imunes, quàm quâ vel rotâ fractos, ad furcam actos, vel ſecuri interemptos vita ipſa reliquerat. Adhæc

Digitized by Google

hæc etenim ſupplicia condemnabantur, cùm ex eorum confeſſionibus de ſeditionis capitibus ſatis conſtaret.

Rebellionis Capita.

Vice Colonellus Locum tenens Karpakow, utì rebelles cæteros officii dignitate, ita & perfidiâ ſuperare dicebatur: adeò enim poſt knuttas, igne tergori admoto aduſtus eſt, ut loqui ſimul, & ſentire deſiêrit, quoniam verò timebatur, ne præmatura mors eum inquiſitioni intempeſtivè ſubtraheret, Medici Tzarei D. Carbonari ſollicitudini recommendatus eſt, ut vitales ſpiritus penè extinctos vi medicaminum revocaret, reſtitutus aliquantùm priſtino vigori, novæ quæſtioni ſubjectus, & acutioribus doloribus exanimatus eſt.

Batska Girin potiſſimus turbator poſt exantlatas quarta jam vice exquiſitiſſimas torturæ pœnas nihil faſſus, ad ſuſpendium damnatus erat, ipſo autem executionis deſtinatæ die cum rebellibus Streliziis ex carceribus ſuis ad quæſtionem perductis, vicennis quidam puer ad tribunal rapiebatur, ad cujus confrontationem ſilentii pertinaciam ſponte ſolvit, & proditionis conſilia cum omnibus circumſtantiis detexit.

Puer verò iſte vicennis caſu in hos rebelles ad confinia Smolenſcii incidit; coactus præcipuis ſeditionis authoribus ſua præſtare ſervitia, negligebatur ipſius attentio, nec prohibebatur adeſſe, cum de nefariæ proditionis ſuæ ſucceſſu deliberabant. quando cum rebellibus rapiebatur ad tribunal, ut innocentiam ſuam faciliùs probaret, ad Judicis pedes provolutus ardentiſſimis ſupplicabat ſuſpiriis, ne tormentis ſubjiceretur: Omnia ſe, quæ ſciret, exactiſſima fidelitate confeſſurum. Damnatus autem ad laqueum Batska Girin, ne antea ſuſpenderetur, quàm ipſe confeſſionem ſuam judicialem abſolviſſet; eundem enim ex primariis rebellibus unum, & optimum veriſſimæ aſſertionis ſuæ teſtem eſſe.

Boriska Broskurad in caſtris adhuc mandato Campi-Ducis Schachinii juſtificatus.

Jakuska electus ſupremus Vigiliarum Præfectus albi regiminis, & duo alii ſubofficiales, quos inter diſſidium ortum erat, cùm Moſcuæ appropinquarent, quod, cauſata quadriduana cunctatione illis perniciem, bonis autem omnibus ſalutem attulit.

Diaconum Ivanum Gabrielowiczium aliquot jam annis Principiſſa Marpha aluerat, ut libidini ſuæ illius commercio ſatisfaceret. Hunc volebant rebelles Marphæ Matrimonio jungendum, Streliziorúmque protectorem, ſeu ſupremum Cancellarium

 um

um eſſe, ſed ob ſiniſtrum cœpti ſcelerati eventum funus, & exequias non nuptias celebravit.

Poppæ quidam Streliziis immixti ejusdem perfidiæ ſe participes reddiderunt; nam preces ſuas eo fine fundebant ad Deum, ut perduellium conatus ſecundaret, iidémque erant, qui B. V. & S. Nicolai imagines inter arma circumferre, populúmque juſtiſſimæ cauſæ, & veræ pietatis obtentu ad refractariorum partes pertrahere promiſerant. Hinc alter prope ſummum templum Sacroſanctæ Trinitati dedicatum per Tzareum morionem ex infami cruce ſuſpenſus, alter autem capite priùs ſecuri amputato, in ejusdem loci vicinia rotæ impoſitus eſt, iſtius ultimi autem carnificem Dumnius Diacus Ticchon Moſeiwiz (quem Tzarus Patriarcham ſuum nuncupat) agere cogebatur.

Sophia.

Ambitio dum in poſſeſſione eſt, juſtitiæ locus non eſt; ſemper enim rationes in promptu habet, quibus ſe tueatur; quem non moveat diſcrimen, quod inter imperandum & obediendum intereſt. Principiſſa Sophia à quatuordecim annis vitæ fratris fertur inſidiata, multorum jam causa tumultuum. Principis denique fratrísq; animum apertis ſuis dolis, & factionibus impulit, ut majorem ſecuritatis propriæ haberet rationem; præſertim cùm recentia pericula ſatìs teſtarentur, eâ liberâ, nihil in Moſcovia firmum fore. monaſterio Neo-Virginum igitur incluſa indies à Tzareis militibus arctiſſimè cuſtodiebatur, attamen ambitioſiſſimæ Principiſſæ artes tot cuſtodum oculis omnino caveri non poterant: novæ Streliziorum conſpirationis ſe caput adfuturam ſpondet, & ſua cum iisdem conſilia communicat; modos & fraudes ſuggerit, quibus Strelizii iniquiſſimas ſuas cogitationes effectui dare poſſent. Super attentatis hiſce ab ipſo Tzaro interrogata quid reſponderit, necdum conſtat. Hoc verò certum eſt, Tzaream Majeſtatem eodem actu ſuis, & Sophiæ vicibus illachrymatam. Volunt aliqui, Tzarum eandem morte puniturum hoc argumento uſum: Maria Scotiæ juſſu Sororis ſuæ Eliſabethæ Angliæ Reginæ ex carcere ad carnificis ferrum educta me poteſtatis in Sophiam exercendæ admonet. Nihilominus & iſta vice ſcelus ſorori frater condonavit; hæc ſolummodo pœnæ locò injungens, ut remotius quoddam monaſterium eidem exilium eſſet.

Principiſſam Marpham magìs libidinis explendæ, quàm Dominatûs transferendi cupiditas iisdem rebellionis machinationibus intricavit: ut ſcilicet Diaconi Joannis Gabrielowiczii impu-

ris

Digitized by Google

ris commerciis liberiùs frui poſſet, quem ad id aliquot jam annis ſuis ſumptibus ſuſtentaverat, hæc abſciſſis capillis in monaſterium detruſa præteritorum pœnitentiam aget.

Fiera Sophiæ, Schukowa Marphæ intimiores cubiculariæ ex Tzarea arce raptæ, & ad Bebraſchentsko (locum inquiſitionis) ductæ, & utraq; torturæ ſubjecta: cùm Fiera ſolis pudendis tectis, cæterùm toto corpore nuda flagris (Knuttas vocant) cæderetur; advertit Tzarus eam gravidum uterum ferre: interrogata, num ſe ingravidatam ſciret? non negavit; ſed inſuper cantorem fœtûs patrem indicavit; quo ſe quidem ulterioribus Knuttarum ictibus, ſed non pœnâ mortis liberavit; poſtquam enim cum Schukowa pluribus flagris onerata, operæ ſuæ perfidis Principiſſis adhibitæ confeſſionem peregerat, morte facinus utraq; expiavit. De ſupplicii genere adhuc nihil certum: volunt aliqui, vivas ad collum usque in terram defoſſas fuiſſe, alii verò in profluentem Jauſam abjectas.

Sophiæ Correſpondentia cum rebellibus.

Nullum præſidium ſatis firmum eſt, ubi malitia, & proditio arcis evertendæ cogitationem ſemel ſuſcepit; nullo tempore otioſa eſt, omnes minutiſſimos rimatur angulos, ubi peſſimæ intentionis ſuæ emiſſarios tutò poſſit ablegare. Non alio ſanè fine tanta militum cuſtodia ad fores monaſterii Neo-Virginum quotidie excubavit, quàm ut Sophiam periculoſæ ambitionis Principem accuratiſſimè obſervaret, ne quid inimicum adversùs Regni, & Principis commoda moliretur. Attamen à tot Argis ſatis prohiberi non potuit, quin ipſa viliſſimi, ad ipſas militum excubias aſſidentis mendicabuli operâ uſa, magnum pene & periculoſiſſimum inteſtini belli incendium excitâſſet. Vetula erat, quæ indies ſtipem ſolebat emendicare. Hujus affectus profuſa liberalitate expugnatos, pinguioribus promiſſis ad prohibitas operas ſollicitavit; cúmque anus ſpei tam amplæ plena ſe omnia Dominæ juſſa accuratiſſimè executuram polliceretur, quid carere oporteret, aut exequi, Sophia edocet, panem ſe ſimulatione conſuetæ eleemoſynæ daturam; hunc ad Strelizios fideliter deferret, exſpectarétque, ſi ejusdem fidei quid reſponſi crederent. Pani incluſæ litteræ erant, quibus ſecuritatem rebellibus faciebat, ſe laudabilibus eorum cœptis ſtrenuam operam allaturam; venirent modò ad monaſterium, excubitoribus, qui reſiſterent, omnibus trucidatis, rem eò recidiſſe, ut non aliter, quàm fuſo ſanguine eandem bene auſpicari poſſent. Rebelles eodem modo ſua Sophiæ per panem transmiſerunt reſponſa. Aliquoties id

pra-

Digitized by Google

practicatum, ſemper felici ſucceſſu; militibus nihil tale ſuſpicantibus. Adeò ingenioſa in excogitandis fraudibus perverſitas. Nihilominus ſemet fefellit; & panis iſte, quo abuſi, tot bonis necem paraverant; ipſis calamitoſiſſimum, meritum tamen exitium progeneravit; ut ex ſubjecta ſententia facilè intelligitur.

Sententia in rebelles lata anno 1698. 10. *Octobris.*

Fures, prædones, traditores, & crucis transgreſſores, & rebelles regiminis Theodoſii Kolpokow, Athanaſii Tzabanow, regiminis Joannis Zornoi, regiminis Ticchonis Hundertmark, jaculatores Strelizii.

Magnus Dominator Rex, & Magnus Dux Petrus Alexiowiz, magnæ albæ, & parvæ Ruſſiæ Autocrator juſſit illis dici.

Elapſo 27. Octob. anno (id eſt 1698.) juxta ejus Magni Dominatoris & litteras Roſerati (Cancellariæ ordinatoriæ) juſſi ſunt è Storopzo, cum exercitu Senatoris, & Belli-Ducis Principis Michaëlis Gregoriwizii Romadonowski, cum ſociis, cum colonellis ſuis, & vice Colonellis eſſe uſque ad ejus Magni Dominatoris mandatum in civitatibus, & locis deſignatis.

Theodoſii regiminis Viaſmæ, Athanaſii regiminis Pielle, Joannis regiminis Oſthebæ, Volodomirowæ, Ticchonis Regiminis Dorogobuskii.

Et ipſi, illi Magni Dominatoris mandato contrariati, in illas deſignatas civitates, cum illis ſuis Colonellis, & vice Colonellis non iverunt, atque eos, ac vice Colonellos, & Capitaneos è regiminibus ſuis amandârunt foras; ipſorum autem locò elegerunt ſibi in illa officia ejusmodi rebellatores, fratres ſuos jaculatores, cum regiminum tormentis, armiſque Storopzo perrexerunt Moſcuam; atque dum ſub Reſurrectionis monaſterio, cum iisdem jaculatoribus convenit Alexius Simonowicz Schachin cum ſociis, unacum electa cohorte: ut ipſe à ſuo exercitu miſit ad eos, ter, ut ipſi hujus ſuæ oppoſitionis, ei Dominatori culpam ſuam deferrent, & irent ſecundùm prius, ejus Dominatoris mandatum, in illa deſignata loca; ipſi verò eidem Dominatoris mandato ſe opponentes, in illa deſignata loca pariter non iverunt, ac ad conflictum parati, ex illo ſuo exercitu, contra ejus Dominatoris militarem populum ex tormentis, & armis jaculati ſunt, & multos vulnerârunt, & aliquot ex illis vulneribus mortui ſunt; venturis autem Moſcuam, ſtandum erat in campo dicto virgineo (ante monaſterium) ad tradendam ſupplicationem Principiſſæ Sophiæ Alexiadi, eámque vocandam, quatenus ea conformiter prioribus inſiſteret in directionem, excubantes autem

mili-

Digitized by Google

militeſ, qui ad illud ſunt monaſterium, mactandos, mactatis verò illis, eundum Moſcuam, & diſpergendas Moſcuæ in omnia nigra ſuburbia ſeditioſæ ſuæ compoſitæ ſupplicationis copias, ac ſeducendos nigros, ac ſi Magnus Dominator trans mare defunctus eſſet; cum iisdem faciendam ſeditionem, Bojarinos interficiendos, Germanorum autem ſuburbium diſperdendum; extraneos omnes occidendos, & magnum Dominatorem Moſcuam non admittendum. Quòd ſi verò eos Moſcuam militaria regimina non admitterent, ſcripturos enim ſe pariter ad jaculatorum regimina, quæ modò ſunt in ejus magni Dominatoris actuali ſervitio, & accepturos ad ſe contra illos milites: quando autem illi jaculatores Moſcuam venirent, ſe cum illis jaculatoribus eandem Principiſſam in directionem vocaturos, & illos milites occiſuros, Bojarinos interfecturos, ac eodem modo Germanicum ſuburbium perverſuros, & extraneos mactaturos, magnúmque Dominatorem Moſcuam non admiſſuros. Itaque in inquiſitionibus, & torturis ii horum omnium ſe reos confeſſi ſunt.

Et magnus Dominator juſſit pro hoc eorum patrocinio, eos prædones, traditores, & transgreſſores, rebellésque morte puniri, quatenus eorum intuitu alii deinceps ſic patrocinari non aſſueſcerent.

Quemadmodum iſta ſententia in omnes Strelizios generaliter concepta eſt; ita nulli ſera facinoris pœnitentia impunitatem obtinuit. Antequam enim Tzarea Majeſtas peregrinationem ſuam extra Moſcoviam aggrederetur, iidem tumultuabantur Strelizii, ſedatis ea lege condonatum eſt ſcelus, ne denuo quid ſimile auderent. Referebatur conditio hæc in publicam ſcripturam, quâ ſi etiam nulla lex Majeſtatis perfidos perſequeretur, ſemet obligabant ad omnes excogitabiles cruciatus, crudeliſſimas pœnas, & ipſa mortis ſupplicia, caſu quo renovatâ contumaciâ contra ſalutem Principis, ſuam juratam fidem, & debita humillima obſequia ſecius aliquid admitterent. Omnes propria ſubſcriptione hanc Tzari ſanctionem, & præmeditatam ſententiam confirmârunt; qui litterarum formandarum imperiti erant, ſubſignata cruce eandem approbârunt. Hæc fuit circumſtantia aggravans, quæ, viâ miſericordiæ præcluſâ, rigorem juſtitiæ perduellionis vindicem conſtituit.

Executio prima 10. *Octobris anno* 1698.

Ad hoc Juſtitiæ vindicativæ exercitium tanquam diſputatam â rebellibus ſupremam vitæ, necíſque poteſtatem, ſibi denuo quaſi poſtliminio aſſertura Tzarea Majeſtas omnes exte-

Digitized by Google

rorum Principum Legatos invitavit. Militares in Bebraſchentsko domos aprica terminat campi area, ſurgente in collem vertice, altior. Hic locus executionibus deſtinatus eſt, ubi erectis infamibus palis infixa juſtificatorum deformia capita poſt mortem durant admiſſi ſceleris ignominiæ. Ibi prima tragœdiæ ſcena pandebatur; quotquot ad ſpectandum venerant exteri, à viciniore acceſſu arcebantur, totum prætorianorum militum regimen in ſuis ſtabat ordinibus, & armis: paulò remotiùs, ubi ipſa loci area in erectiorem quendam tumulum deſinebat, multi in globum, & circulum collecti Moſci ſemet urgebant. Quidam Germanus ſupremus Vigiliarum Præfectus mihi tunc comes erat; Moſcica veſtimenta mentiebantur nationem, acceſſit muneris fiducia, & major ex eo libertas, quòd in ſervitiis ſuæ Majeſtatis conſtitutus Moſcorum privilegia participet. Is conglomeratis Moſcorum agminibus ſe immiſcuit, indéque redux nunciavit: quinque ibidem rebellium capita à nobiliſſima Moſcoviæ dextera ſecuri eſſe amputata. Militum in Bebraſchentsko domicilia præterlabens fluvius Jauſa interſecat: ex hujus altera parte minoribus Moſcowiticis curribus (quos Moſci Sboſek vocant) impoſiti centum rei, tempus ſubeundæ mortis exſpectabant. Quot rei, tot currus erant, tot cuſtodes milites; nulla ſacerdotis videntur officia, quaſi damnati ea pietate forent indigni; ſinguli tamen ardentes cereos manibus geſtabant, ne ſinè luce moriantur, & cruce. His imminentis mortis metum auxit uxorum miſerabilis lamentatio, undique gemitus, & ejulatus morientium miſeram turbam aſſonabat. Suum Mater plangebat filium, Parentis fatum deplorabat nata, uxor miſerata vices ſui mariti ingemiſcebat cum aliis, quas diverſa ſanguinis, & affinitatis vincula ad ultimas lachrymas propellebant. Cùm verò ad ipſum ſupplicii locum præcipitatis equis raperentur, altioribus ſingultibus, & ſuſpiriis fœminarum ploratus ſumebat vires; inſequi conantibus (quantùm aliorum interpretatione intellexi) varia, & ferme ſimilia lamenta dolor exprimebat: cur tam ſubitò avelleris? cur me deſeris? ultimum ergo oſculum negatur? cur valedicere prohibeor? hujuſmodi querelis, quos curſu non poterant amicos ſuos aſſequi conabantur. Ex prædio Campi-Ducis Schachinii alii centũ triginta prodibant ad mortem Strelizii. Ad utramq; partem cujusvis portæ urbanæ duplex erectum ſtabat patibulum, quodvis ſex eo die rebellibus onerandũ. Omnibus ad loca executionis perductis, & ſingulis ſexenis ad ſingula ſua patibula duplicia diſtributis Tzarea Majeſtas viridem Polonicam togam induta, multísque Moſcis nobilibus ſtipata ad portam advenit,

venit, ubi ſuæ Tzareæ Majeſtatis juſſu cum Poloniæ, & Daniæ Repræſentantibus Dominus Ablegatus Cæſareus proprio in curru ſubſtiterat. His proximus erat Generalis Lefort cum Generale Vigiliarum Præfecto de Carlowiz Tzareæ Majeſtatis ex Polonia conductore, multis aliis externis, quibus Moſci immixti erant, ad portam circumfuſis. Tuncſententiæ publicatio initium ſumpſit; ad cujus tenorem bene percipiendũ omnes hortatus eſt Tzarus. Non ſuffecit tot reis lictor, Officiales quidam bellici juſſu Tzareo compulſi in carnificis ſubſidium venerant; non loris, non compedibus vincti rei; calceamentis tabulata appenſa erant, quæ mutuo alliſu pedum celeritatem impedientia non auferebant ſolita miniſteria. Spontaneo labore per ſcalas ad trabem enixi ſunt, formatis versùs quatuor mundi partes crucibus, ſibimet ipſis linteo oculos, & faciem (mos eſt gentis) obvelabant. Plurimi collum laqueo inſerentes ſemetipſos ex furca egerunt præcipites, finem pendendo acceleraturi ducenti & triginta numeratiſunt, qui fune, & ſuſpendio flagitium expiârunt.

Executio ſecunda 13. Octobris. anno 1698.

Etſi omnes rebellionis complices ad mortis ſupplicia damnati eſſent, attamen ſeveri proceſsûs modum Tzarea Majeſtas noluit excedere; præſertim cùm multis ætatis, & judicii imbecillitas ſuffragaretur, quos errâſſe magìs, quàm peccâſſe diceres: his pœna mortis in aliam corporalem mutabatur; ut auribus nimirum, naribúsque abſciſſis, vitam ducerent ignominioſam; non ut antea in regni viſceribus, ſed in diverſis, barbariſque Moſcoviæ confinibus, ad quæ hoc die præſcripto modo caſtigati quingenti deportati ſunt.

Executio tertia 17. Octobris. anno 1698.

Sex tantùm hodie ſecuri percuſſi ſunt, feliciores cæteris, ſi executorum dignitas in gloriam cedit.

Executio quarta 21. Octobris. an. 1698.

Ut muros urbis, quos Strelizii violento tranſcenſu temerare meditabantur, ſanctos, & inviolabiles omnibus comprobaret, ex omnibus muri foraminibus, quæ portas proximè attingunt, emiſſæ trabes ſunt, ex quibus ſingulis bini ſuſpendebantur rebelles. ultra ducentos hodiernus dies ea morte vidit extingui. Nulla ferme Urbs tot paliſadis erit præmunita, quot furca Moſcuæ dedit excubitores Strelizios.

Executio quinta 23. Octobris. anno 1698.

Priori non diſſimilis fuit, aliquot iterum centeni ad civitatis mu-

Digitized by Google

murum (quem album dicunt) ſuſpendebantur, ad ſingula duplicia primæ executionis patibula quatuor Streliziis annexis.

Executio ſexta 27. *Octobris. anno* 1698.

Hæc à ſuperioribus differt plurimùm, modus longè diverſus, & vix credibilis trecenti & triginta una vice ſimul educti ad feralem ſecuris ictũ totã planitiẽ civili, ſed impio ſanguine purpurârunt, quotquot enim ex Bojarinis, regni Senatoribus, Dumniis, & Diacis concilio interfuerunt, contra rebelles Strelizios inſtituto, omnes Tzareo mandato ad Bebraſchentsko accerſiti carnificis officium ſubire jubebantur. Quivis in certum librabat ictum, novo, & inſolito muneri tremulas manus admovens, infeliciſſimè omnium feriebat Bojarinorum ille, qui aberrantem à collo gladium in tergus miſerat, & Strelizio ſic in medium ferme diſſecto, dolores ad deſperationem auxiſſet, niſi Alexaſca ſecuri meliùs infelicis rei collum tetigiſſet.

Princeps Romadonowski, cujus imperio quatuor iſta regimina ante tumultum ſubjecta erant, ut turbas Polonicas in confinibus obſervaret; ex quolibet regimine unum juſſus decollavit. Cæterùm ad Bojarinos ſingulos ſinguli ducebantur Strelizii, quos capite plecterent; ipſe Tzarus in ſella ſedens totam tragœdiam inſpectabat.

Executio ſeptima 27. *Octobris. an.* 1698.

Popparum hæc coërcitio fuit, eorum videlicet, qui prælatione iconum plebejos ad partes Streliziorum pertracturi, pro felici impiæ machinationis ſucceſſu conſuetis ad aram ſacris Dei auxilium invocârunt. Ante SS. Trinitatis templum (quod Moſcuæ ſummum eſt) patentem aream in locum ſupplicii delegit Judex. Poppas pro formatis tot millenis crucibus, & impertitis refractariæ cohorti benedictionibus mercedis condignæ locò crux exſpectabat infamis. Aulæ morio Poppam veſtimento mentitus miſero funem parat, & injicit, nefas enim foret, Poppam carnificis ſubdi manibus. Poppæ ſecundo Dumnius quidam caput ſecuri amputavit, & ignominioſæ rotæ cadaver impoſuit: adhuc rota, & furca ad ſacras has ædes proximæ, omnibus eaſdem ſubeuntibus ſcelerata onera exhibent, & criminis enormitatem palàm eloquuntur.

Tzarea Majeſtas in curru ſpectator, dum Poppæ ad ſupplicia rapiebantur; ad populum magno numero circumſtantem paucis de Popparum perfidia diſſeruit, addita comminatione: ne deinceps ſimili intentione ad Deum orare Popparum quiſquam præſumeret. Paulò ante Popparum executionem duo rebelles fratres,

Digitized by Google

fratres, ante Arcem Kremelinam cruribus, & membris exterioribus fractis, vivi rotæ imponebantur; viginti alii autem ſecuri percuſſi circa rotas jacebant exanimes. Hos inter tertium ſuum fratrem alligati rotæ duo reliqui conſpiciebant. Lamentabiles eorum voces, & ejulatus nemo facilè crediderit, niſi qui priùs cruciatuum, & dolorum magnitudinem bene animo perpenderit. Vidi ego fracta crura arctiſſimis nodis ad rotam conſtricta, ut in tanto dolorum concurſu acutiſſimum exiſtimarem, quòd movere ſe nullo modo potuerint. Horum miſerabiles clamores prætervehentis Tzari animum aliquantùm perſtrinxerunt: ipſe rotas adit, reis maturiorem mortem, dein etiam impunitatem pollicetur, ſi ſincerè confiterentur; dum autem adhuc in rota pertinaciores aliud nihil reſponſi darent, quàm ſe nihil confeſſuros, & pœnam jam ferme exſolviſſe, relinquebat illos Tzarus mortis luctæ, & ad monaſterium Neo-Virginum properabat. Ante dictum hoc monaſteriũ triginta erecta patibula quadrati figuram formabant, ex quibus ducenti & triginta Strelizii ſuſpenſi; principaliores verò tres, qui ſuam Sophiæ ſupplicam pro regni adminiſtratione porrecturi erant, tam prope ad ipſas Sophiani cubiculi feneſtras, inſertas manibus ſuis ſupplicas offerentes, ſuſpenſi ſunt, ut Sophia eosdem manu facilè poſſet attingere: fortè ut Sophiæ conſcientia ex omni parte oneraretur, quod eandem impuliſſe credo, ut aſſumpto religioſo habitu tranſierit in ſtatum vitæ meliorem.

Executio ultima 31. Octobris, anno 1698.

Ad Arcem Kremelinam denuo duo cruribus, exterioribúsque membris fractis vivi ad rotas alligabantur, toto veſpere, & inſecuta nocte in acutiſſimis doloribus, cum horrendis lamentationibus miſerrimum ſpiritum ſumma ægritudine traxerunt, alter, & annis minor ad alterius diei meridiem longioribus cruciatibus ſupervixit. Commodè apud Bojarinum Leonem Kirilowizium Nareskin Tzarus prandebat, omnibus Repræſentantibus, & Tzareis Miniſtris præſentibus. Diu reluctantem Principem omnium preces de induſtria alternatæ, demum expugnârunt, ut noto in aula ſua Gabrieli in mandatis daret, & globo exploſo viventi adhuc reo, cum vita ſenſum eripi permitteret.

Reſiduis in circumjacentibus locis adhuc cuſtoditis rebellibus idem locus ſupplicii erat, qui carceris fuit; ne omnibus huc pertractis, & uno in loco excarnificatis, tanta hominum laniena tyrannidem redoleret; præſertìm cum civium animi tot triſtibus ſociorum intereuntium ſpectaculis perterriti jam omnem Principis ſeveritatem formident.

 Con-

Digitized by Google

Conſideratis verò quotidianis periculis, quibus Tzarea Majeſtas expoſita hactenus nunquam ſecura, & multas vix evadens inſidias extremam Streliziorum perfidiam ſemper pertimeſcere debuerit, nullum omnino Streliziũm in Imperio ſuo tolerandum æquiſſimè concluſit; omnes ad ultima Moſcoviæ confinia relegandos, extincto penitus Strelizii nomine. Libertas data eſt, ſi qui militiæ perpetuò renunciaturi in Provinciis, Waywodis volentibus, domeſtica ſervitia exhibere mallent. Nec omnino inſontes erant; relatum enim ab officialibus, qui prope caſtrum Azowienſe hoc anno ad impediendas hoſtium incurſiones vigilaverant: ſe à Streliziis nunquam ſatis tutos erumpentis perfidiæ atrocitatem in horas ſingulas exſpectâſſe. Nec aliter creditum, quàm eoſdem mente ambigua fortunam ſeditionis alienæ ſpeculatos. Omnes Streliziorum mulieres Moſcuæ viciniis excedere juſſæ maritalis flagitii pœnam ſentiunt; edicto enim ſub pœna capitali prohibitum eſt, nullam earundem retinere, aut occulta ſuppeditare latibula; niſi qui easdem extra Moſcuam ad bona ſua mittere, illarúmque ſervitiis uti vellent.

Ruſſos à Roxolanis oriundos inflexo pauliſper nomine ſic compellatos, jam alii docuerunt. Recentiori vocabulo Moſqua fluvius Moſcoviæ Metropolim allambens Moſcos indigitavit. Quomodo autem gens iſta, quorundam opinione transmarina prima Regni ſede Novogrodiam, Kioviam, Volodomiriam, & denique Moſcuam translata ex parvis initiis ingens robur cœperit; illis temporibus ſcribendis non defuerunt decora ingenia. Joannis Baſilidis tyrannide, qua tot ampliſſimas vicinas Provincias Caſani, Aſtrachaníque regna Principum morte, aut captivitate ſibi ſubjugaverat, in eam, quæ nunc eſt, ampliſſimi Dominatûs magnitudinem adolevit, quam hucusque ſua moles ſæpe afflixit, cujus inſanabilia vulnera inquietæ ſubditorum mentes periculoſiſſima ſui avulſione nec dum paſſa ſunt ducere cicatricem. Anno 1682. diviſa civium ſtudia fœmineo ambitu fulcita, rapinis, cæde, latrociniis miſerandam in ſemetipſos exercuêre lanienam. Principiſſæ Sophiæ doloſis artibus tantas ſuas clades referunt in acceptis. Cùm enim ultimus magnus Dux Feudor Alexiowicz aucta indies infirmitate mortem proximam inſtare præſentiret, Moſcici Regni Statibus recommendavit fratrem ſuum Ivanum Alexiowiczium natu majorem, & mitiſſimum Principem, ſed viſûs imbecillis, & multis aliis notabilibus corporis defectibus ad Regni curas, & ſollicitudines minùs idoneum. Defuncto autem Magno Duce Tzariſſa Natalia Kirilofna eximiæ prudentiæ Princeps Bojarinis, & Regni Magnatibus

Digitized by Google

tibus operoſa ſagacitate perſuadere ſtuduit, ut filium ſuum Petrum Alexiowiczium modernum Sereniſſimum Tzarum Ivano præterito melioribus auſpiciis coronarent, ejusdémque pueritiæ, donec in maturiora conſilia creviſſet, cognatum Nareskinium præficerent; generoſi enim pectoris indolem, vividam ingenii vim, & emicantem teneris in annis laborum patientiam, latentem animi magnitudinem, & virtutes Regias ſatìs oſtendere. Interea Principiſſa Sophia non impari arte, & calliditate inſtructa compertum Tzariſſæ Nataliæ conſilium contraria machinatione evertere laboravit. Nec ullum fatalius fulmen videbatur, quàm militem edocere Magnum Ducem Feudorum Alexiowiczium germanum fratrem ſuum Bojarinorum perfidiâ, & allato per eosdem veneno morti ſuccubuiſſe. Fidem ſuis verbis adſtructura periculoſiorem fraudem commenta eſt. Prætorianis militibus, quos defuncti Tzari funerali conductui, & exequiis frequentes intereſſe oportebat, immemorialis conſuetudo vinum aduſtum in Rutheni moris jentaculum ſolebat diſtribuere, quem ipſa potum nocentiſſimo veneno miſcuit, novóque facinore maleficii à ſe patrati invidiam in Bojarinos inclinare conniſa eſt. Militem monuit, ne quod diſtribueretur, crematum biberet, lethalibus ſuccis illitum, guſtantibus mortem allaturum; eadem militibus fata inſtare, quæ Tzarum urſiſſent, Bojarinos omnes veneficos eſſe, coràm inſidiis milites peti; neque ad ſalutem quempiam eluctaturum, niſi Principis ſui cædem, ſtructas ſibi inſidias fortioribus auſis ulciſceretur. Vera, & ex fide monere Sophiam unius Strelizii docuit exitus, qui epoto intoxicato cremato ad mortem usque intumuit. Indè in Bojarinos diras dicere, defuncti ſui Tzari manes invocare, veneficis licentiùs iraſci, totámque plebem periculi magnitudine implere, & concitare in Magnates. Sexaginta tumultuantium millia primo furore duos Tzareæ perſonæ Medicos Doctores Danielem, & Guthbier corripiunt; & tormentis, quorum crudelitas ſatìs deſcribi non poteſt, ad confeſſionem eorundem adigunt, quæ ipſi Sophiæ fraudibus decepti tanquam jam vera exprobrabant potiùs, quàm interrogabant. Medicorum alter caput tempeſtati ſubducturus in Germanorum ſuburbio, donec tumultus deſæviiſſet, latere cogitabat, ſed non erraverat furioſorum conjectura, etſi ex temerariis indiciis Germanos Medici receptatores eſſe, ſuſpicio fuerit. Ferrum, ignem, & ultimam cladem toti Germano ſanguini comminabantur, ſi læſæ Majeſtatis reum diutius auderet incolumem ſervare. Crevit Germanis metus, unius ſalute omnium interritu luituris; quos ne unà ſecum perderet, Medicus mendicum indutus receſſit in

agros,

Digitized by Google

agros, fortunæ ſuæ contagione inſontes liberaturus. Verùm proditus in manus furentium incidit, paulò poſt ab inſanientium gladiis in minutiſſima fruſta diſſectus. Medicis horribilem in modum trucidatis, imperiosè poſcebant, ſibi Bojarinos ſceleris, & Tzareæ necis conſcios dedi ad pœnam; ſolvíque reſtantia ſalaria, ſummam 500000. ducatorum. Maximæ campanæ ſonus vim experturis ſignum dabat; tormentis bellicis arcem arrietant, portas effringunt, armati irruunt, & quoſcunque ex optimatibus invenêre, per feneſtras excuſſos, ſubjectíſque haſtis per ludibrium exceptos funeſtiſſimâ carnificinâ dilaniant. Nulla religio, nulla Majeſtatis reverentia defuncti Principis, cujus manibus ea crudelitate parentare decreverant, ſpoliata conclavia, expilatum ærarium, ſacra omnia violata; peremptorum bona plus offerenti vendita, ipſa cœnobia multorum millium iniquiſſima exactione vexata, & exhauſta. Infamem quoque columnam, quam ipſa meruerat, erigi fecit rebellio, huic occiſi Bojarini tanquam patriæ proditores ignominioſo calamo inſcripti ſunt, omnibus imperii juribus uſurpatis. Jam in Germanos pari furore deſævire conſtituerant, cùm inter Strelizios unus, cui provectæ ætatis canities authoritatem conciliaverat, reliquos ſimilibus dehortatus eſt: quid in Germanos, quid in inſontes paratis? hos nefas eſt violari, nihil enim illi in nos peccârunt, cavete vobis, magni deinde conſtabit ſera facti pœnitentia. Suecia illos protegit, illorúmque injurias tanquam proprias ultore ferro vindicabit. his illi ad ſaniora converſi cogitata cæde abſtinuerunt. Multa hominum millia, nullâ ſontis, aut inſontis diſtinctione habitâ, ea peſtis hauſit; in ea ſola urbis parte, quam Kitaigorod vocant, quinque hominum millia, quos ad tuendam vitam mortis metus illuc compulerat, vario caſu interierunt. Donec duobus Principibus Ivano, & Petro ad ſupremæ potentiæ faſtigium evectis, uno duorum imperio, reliquorum diſcordiæ amoverentur. Tunc in rebelles promulgata edicta, decretæ pœnæ, facta executio, & columna per injuſtitiam erecta legitimo imperio denuo evertebatur. Verùm diuturna non fuit Regni tranquilitas; anno 1688. novi fluctus ſæviori tempeſtate devolvebantur in Moſcos, Bojarinorum plurimis neci datis. Tzarorum vitæ inhiabant, qui ad Monaſterium Troycza dictum, velut ad ſecurius receptaculum confugerant, eo tempore Dominus Lefort cum pauculis militibus fide majori, quàm robore primus ad Troyczam properavit, Tzari favorem omnibus majorem conſecutus, cujus propitio ſemper adminiculo invidioſam, & exterorum nulli hactenus concreditam Supremi Generalis, & Admiralis dignitatem facilè conſequebatur.

tur, præcipuus nuper apud diverſos Europæ Principes Tzari Orator. Plurimis adhuc periculis ſuorum perfidiâ jactatus Sereniſſimus Tzarus Petrus Alexiowicz omnes inſidias, proditiones, & fraudes prodigioſa felicitate ſuperavit. Aliquot tantùm diebus ante ſuum ex Moſcovia egreſſum detegebantur quorundam optimatum conſilia, contra ſalutem Principis flagitioſo odio pene ad exitum perducta, quibus punitis ſuccedebant alii, qui in abſentem liberiùs peccarent.

Genealogia Tzari.

Ex antiquiſſima, nobiliſſimáque Principum Romanoviczioorum proſapia deſcendit, quæ proxima affinitate magnorum Ducum ſtirpem attingebat, quam in Feudoro Ivanowiczio magni tyranni Joannis Baſilowiczii filio novimus extinctam. Abavus fuit Kneſius Feudor Nikitiz, bellum à juventute ſecutus, rebus feliciter geſtis, famam, & eximiam apud omnes exiſtimationem meruerat; annis autem gravis Patriarcha factus militaris gloriæ galeam cum ſummi Sacerdotis infula mutavit, ſéque Filaretum Nikitiz voluit compellari; anno 1633 diem ſuum obiit.

Abavia fuit Iconomaſia tyranni Joannis Baſilowiczii filia. Horum filius moderni Tzari Avus fuit Michaël Fedorowiz, qui expulsâ Demetriorum impoſturâ 1613 ſuffragantibus Moſcoviæ Statibus Regni gubernaculo ſucceſſit, & exacta viginti trium annorum felicitate, quibus egregia laude Moſcis imperaverat, duodecimâ Julii 1645 è vita diſceſſit. Reliquit autem ex Iconomaſia prima Conjuge duos Principes Alexium Michaëlowiczium, natum 17 Martii 1630, qui dein etiam in ſceptrum ſucceſſit; & Joannem Michaëlowiczium, natum primâ Junii 1631, & 8. Januarii 1639 denuo extinctum. Ex Eudoxia Lucanowna verò octo poſt ipſum diebus defuncta reliquit filiam unicam Irenen, quæ Comiti Woldemaro Chriſtiani IV Regis Daniæ filio naturali deſponſata, ante nuptias extincta eſt. Alexius Michaëlowicz altero ſtatim die poſt D. Parentis ſui obitum ſextũ decimũ agens añum ad ſupremum Magni Ducis faſtigiũ ſolenni inauguratione evehebatur, nec multo pòſt tempore ex nobili familia Miloslawski ſibi conjugẽ elegit Illiã Danielowam. Quatuor ex ea Principes, & tres Principiſſas genuit. Primus 1653 natus, & in baptiſmo Alexius Alexiowicz compellatus eſt. Hic 1667, cùm coronâ depoſitâ Rex Caſimirus Regno renuntiaret, inter Candidatos Poloniæ Statibus proponebatur, adjectis ingentibus ditiſſimíſq; promiſſis; verùm 1670 ante Parentẽ vitâ functus eſt. Secundus Feudor Alexiowicz 1657 natus, Parenti ſucceſſit in ſceptrum 1676. Prima ejuſdem conjux Euphemia Rutetzki, 1681 in puerperio cum

Digitized by Google

infante extincta eſt. Secundam conjugem duxit Mariam Euphroſinam Marveonam ex nobiliſſima Poloniæ familia Luproprinioru͂, quo inviſo ſuæ genti matrimonio primò Bojarinorum odiu͂, dein ſibi, conjugiq; venenum, & morte͂ 1682, 27 April. conciliaverat. Tertius Michaël 1669 mortuus eſt. Quartus Ivan Alexiowicz 1663 natus, 1682. cum fratre ad ſolium evectus, mortuus 1696 in Januar. Prima Principiſſa Irene 1679 mortua. Secunda Principiſſa Sophia fax, & tuba tot periculoſorum hactenus in Moſcovia tumultuum. Tertia Principiſſa Marina, quæ duæ adhuc ſuperſtites ſunt, 1688 ob concitatam rebellionem in Monaſteriu͂ intruſæ. Hæ primi matrimonii ſoboles ſunt; ex ſecundo aute͂, cum conjuge ſua Natalia Korilofna familiæ Nareskinianæ binas proles habuit: Petrum Alexiowicziu͂ moderni͂ feliciſſimè regnante͂ Moſcoviæ Tzaru͂, natum 11. Junii 1672, & Nataliam, chariſſimam Tzari Sororem, nullius hactenus flagitioſi conſilii conſciam. Petrus cum fratre Ivano Alexiowiczio mortuo Parente, 1682 Moſcoviæ ſceptru͂ nactus; verùm orta 1688 nova rebellione, Ivanus Alexowiczius quietis amantior illud ſponte ſuâ Fratri ex integro ceſſit.

Tzarea Majeſtas.

Tam præclaræ naturæ, animiq; dotes, quibus nomen ſuum in totius propemodum orbis regna feliciſſimâ rerum famâ diffudit, eidem regnum, & ſupremum hunc conditionis humanæ verticem cum cunis deſtinaverant. Concinna corporis altitudo, apta membrorum compoſitione ſpectabilis, vivida ætas, & quanta͂ vix poterat ætas ejus capere ſolertia interioris virtutis exſpectatione, ſtudia, & voluntates gentis ſuæ ita occupaverat, ut contentioſis multorum ſuffragiis Fratri ſuo Ivano Alexiowiczio palàm præferretur, quem primogenituræ præeminentia ad aviti ſolii faſtigium ſancta gentibus lege vocabat. Morte͂, & vitæ pericula, quoru͂ metus cæteros exanimat, perpetuâ ſui fiduciâ contemnit. Proditores, & in ſalute͂ ſua͂ conjuratos ſæpe ſolus adiit, & aut ſceleris cogitati magnitudine, aut divulgatæ proditionis metu, & conſcientiâ, ad Majeſt. ſuæ conſpectu͂ trepidantes unus coërcuit, & ne peſtis periculoſa ſui propagatione longiùs ſerperet, vinculis, & cuſtodiæ dedit. An. 1694 ex portu Archangelico oceanu͂ Septentrionale͂ ingreſſus, extra Colam navigavit. Orta tempeſtas in exitioſas rupium anguſtias naves compulerat. Jam nautæ ſibi artem erepta͂ querebantur; Bojarini, qui comitati erant, tam funeſto haud dubii naufragii ſpectaculo conterriti, ad preces confugiebant, & millies formandæ crucis religionem; ſolus ad irati maris inſaniam impavidus Tzarus lætiſſimo animo ſuccedens ad clavum, deſperatis animum reddidit, atque ea in petra, donec fluctus detumuiſſent,

Digitized by Google

tumuiſſent, vitæ, ſalutiſque invenit aſylum, quæ inquieto mari multas jam naves ſuis hauſtas vorticibus ſepeliverat. Cui Sanctorum autem poſt divinæ dexteræ auxilium ſuperatæ tempeſtatis felicitatem adſcriberet, ipſemet paucis abhinc annis ante biennalem ſuam profectionem apud Szeremetowium, cujus tunc prandio intererat, optimatibus ſuis expoſuit. Ego inquiebat: dum in Sclowiczi monaſtir ex Archangelo navigarem, cum multis ex vobis, ut ſcitis in naufragii periculo eram, quantus tunc mortis horror, & certiſſimi quaſi exitii metus veſtros animos obſederit, omitto memorare. Nunc diſcrimen evaſimus, nunc periculo defuncti ſumus, æquum tamen, ut ſpero, mecum exiſtimabitis, jurata facere, & vota Superis facta adimplere. Ego tunc Deo, & ſancto Patrono meo Petro Apoſtolo emiſſo voto promiſi, eundem Romæ apud ſepulchrum ſuum venerari, non tam de mea, quàm de veſtra omnium ſalute ſollicitus. Dic Boris Petrowiz (ſic Szeremetowium alloquebatur) quis Provinciæ, quis urbium ſtatus? cùm iis in partibus fueris, eam omnium optimè noveris deſcribere. Laudata à Szeremetowio regionis amœnitate, & pulchritudine, ſubjunxit Tzarus: mihi veſtrûm aliqui hujus viæ comites erunt, humiliato Turca votum meum ſolvam, defuncta Sereniſſima Mater eum ab hoc propoſito conabatur dehortari; per quam multa figmenta contra Sedem Apoſtolicam Rutheni ſuggerebant. Cui ille: niſi Mater mea eſſes, impetum tenere vix poſſem, hujus nominis veneratio excuſat, quod auſa es. Scias tamen morte mulctandum, qui intentioni meæ obloqui, aut reſiſtere deinceps præſumpſerit. Et Romam ſanè voto ſatisfacturus petiiſſet, niſi propiora pericula orto in Regnis tumultu eum Moſcuam revocâſſent. Quo cæteroquin animo politiorum artium humanitatem multorum ſæculorum pertinaciâ ex Moſcovia proſcriptam denuo reducere laboraverit, facilè ex eo colligi poteſt, quòd in diverſas Europæ regiones, in Germaniam, Italiam, Angliam, & Hollandiam capaciores primatum filios emiſerit, ut cultiſſimarum gentium commercio ſapientiam, artéſque compararent, poſſéntque ipſi reduces ornamenta eſſe Moſcoviæ, adderéque junioribus ad eandem virtutem incitamenta. Quam conſilii ſui rationem, cùm Bojarinis ante quoſdam annos propoſita utilitate aperiret; commendabant omnes Principis prudentiam, ſed tantum bonum optari quidem, obtineri autem vix poſſe inſinuabant. Moſcorum ingenia iis ſtudiis inepta eſſe; impendendos ſumptus fruſtra profundi, & labore non profuturo ſe, ſuóſque fatigandos. Indignabatur Tzarus ad has voces, ſola proferentium ſuperba ignoratione dignas. Noctuas ſcilicet ſuas

Z 2 tene-

Digitized by Google

tenebras amare, & caliginem, nec in lucem protrahi poſſe, niſi cum ignominia propriæ deformitatis. Ergóne infeliciores cæteris gentibus nati ſumus? pergebat interrogare Tzarus: quòd Numen ineptas mentes noſtris infuderit corporibus, num manus, num oculi, num eadem habitudo corporis nobis obtigit, quæ exteris Nationibus ad interiorem animi culturam ſufficiunt; cur ſoli degeneres rudes animos habemus? cur ſoli humanæ ſapientiæ gloriâ indigni excidimus? Herculè idem animus nobis, eadem poſſumus, modò velimus. Omnibus etenim natura fundamenta dedit, ſeménque virtutum, omnes ad iſta omnia nati ſumus; cùm irritator accedit, tunc illa animi bona velut ſopita excitantur. Summa profectò omnia à tali Principe expectanda. Habent, quod gratulentur ſibi Moſci, modò ſatis felices. Erit, ut agnoſcant bonum, quod in multorum invidiam ipſis Deus indulſit. Ex familia Lubochiniana conjugem, & ex iſta filium ſuſcepit Alexium Petrowiczium egregia indole, virtutibúsque ingenuis dignum, in quem ſpes Patris, & fortuna Moſcoviæ optatâ, quietáq; devolutione recumbat.

Tzarorum Deſponſatio.

Alia ætas alios mores poſtulat. Potuit ſanè ea in Moſcovia olim viguiſſe conſuetudo; quâ Tzaro nuptias cogitante omnes Moſcoviæ Virgines fuerint convocatæ, quas formæ decor, & inſignis pulchritudinis ſpecies commendabat; ut ex iisdem aliquam, quæ maximè placeret, deligeret; exoletus tamen hodie ille mos eſt, & plurimùm hactenus ex eorum conſiliis Tzarorum pendebant matrimonia, quos aut muneris dignitas, aut propinquioris dilectionis familiaritas ad ſecundum potentiæ gradum ſubvexerat. Exulat pariter Polygamia, & nefas eſſe ducunt, pluribus ad eundem thorum adlectis concubinis maritalem amorem dilatare; ſi tamen ſterilis, nullius hæredis ſpem fecerit, eâ in monaſterium detruſâ Tzaris eſt liberum de fæcundiori matrimonio cogitare; præter ſterilitatem tamen adhuc aliæ repudii cauſæ ſunt. Credendum enim eſt, Principes nil temerè facere, licet nos, quæ ſæpe contingunt, rationem reddere non poſſimus. Moderni namque Tzari conjugem, quòd Principem pepererit, ſterilem nemo dixerit, nihilominus repudiata eſt, quæ matrimonii diſſolutio cauſis procul dubio graviſſimis innixa eſt. Quarum momenta ex eo fortè ſuſpicari poſſumus; quòd extra Azowium conſtitutus ante redire recuſaverit, quàm certus foret de conjuge ſua abſciſſis capillis in monaſterium detruſa, quod triginta circiter miliaribus Moſcuâ diſtat, Suſtalski cognominatum.

natum. Apud exteros Principes conſortes quæſiviſſe, hucuſque Tzaris periculoſum fuit; Bojarinis, & Regni primoribus inani metu obtendentibus: externis matrimoniis peregrinos, novósq; mores pernicioſiſſima mutatione induci in patriam, corrumpi veteres conſuetudines, & avitam Religionem ſua puritate periclitari, totam denique Moſcoviam ultimo diſcrimini exponi. Neque aliam rationem adſtruunt, Tzari Feudoris Alexiowiczii veneno ſublati, quàm quod ſibi Sponſam ex Polonica familia Luproriniorum elegerit. Spes tamen aliqua affulget, fore, ut ſæculo recenter inchoando in mitiores mores Moſcoviæ genius tranſeat, ad quorum plenam introductionem novis quibusdam rebus à Tzaro ſapientiſſimè inſtitutis utiliſſimæ diſpoſitiones factæ ſunt, quo fiet, ut adjacentium nationum frequentiori commercio mitigati Moſci, id ipſum amaturi ſint, quod hactenus tanto faſtidio perſecuti ſunt. Expetent externarum gentium matrimonia, quando addiſcent: non alia ſanctiora vincula eſſe, quæ inter populos amicitiam conciliant, bella componunt, imò ipſis ſæpe victoribus leges dicunt. Credunt multi Tzarum abdicato conjugis in monaſterium detruſæ matrimonio de ſponſa alienigena cogitare.

Potentia militaris.

Tzarorum arma ſoli Tartari formidant. Quòd in Poloniam, aut Sueciam valuerunt, non virtuti, ſed panico cuidam timori, & victarum gentium infelicitati tribuendum exiſtimem. Multa millia hominum facili negotio contra hoſtem poſſunt educere; ſed inconditam multitudinem, quæ ſua mole obruta vix partæ jam victoriæ ſuffectura ſit; ſi enim tantùm robore, animi fortitudine, & militari ſcientia valerent, quantùm numero, corporis viribus, & laborum tolerantiâ; haberent finitimi, quod metuerent. Etiamnum autem ingenii tarditate, & ſerviendi conſuetudine nec magna appetunt, nec aſſequuntur. Comes Jacobus de la Garde Suecicæ militiæ Generalis anno 1611. cum octo millibus ducenta Moſcorum millia profligavit. Dum Azowium Tartarorum Precopenſium caſtellum ad confluentem Tanais prope Mœotim paludem ſitum prima obſidione cinxerant, cattus ex urbe in Tzarea caſtra proſiliens, multa Moſcorum millia panico terrore in pudendam fugam conjecit, captus deinde, & Moſcuam finita expeditione pertractus, mandato Tzari adhucdum in Bebraſchentsko ſedulè ſervatur. Utut in oppidis ſtrenuè defendendis adversùs validas obſidentium vires aliquando laudem meruerint; in acie tamen adversùs Polonos, & Suecos, ut plurimùm victi, magnas ſæpe clades perpeſſi ſunt. Quod in Darii caſtris deſide-

 ravit

Digitized by Google

ravit Charidemus, nec inter Moſcos hodiedum invenitur: ſtabile ſcilicet agmen veterani, & exercitati militis, ubi vir viro, armis arma ſignis ſigna inſerta ſunt, ad nutum monentis intenti, & ordines ſervare docti; ubi, quod imperatur, omnes exaudiunt, obſiſtere, circuire, occurrere in cornu, mutare pugnam, non Duces magìs quàm milites callent.

Peditatus.

Strelizii omnes ſclopetarii milites ſunt, jaculatores dicti, idem præſtabant Moſcis, quod Janizari Turcis. modò 12. modò 24000. ſtipendia merebantur. Dexterrimi Moſcorum erant, ideóque Tzari ex illis cuſtodiam corporis, & Reſidentiæ ſuæ legere amabant, inſignibus privilegiis, præcipuſsque immunitatibus donati; ad veteris Romani militis prærogativam proximè accedebant. Annuum ſtipendium erant ſeptem rubli, & fecalis, atque avenæ modii duodecim, verùm ex mercimoniis, quæ exercere licebat, magnas ſæpe, & invidioſas opes acquiſiverant. Moſcuæ in ipſa Tzarorum reſidentia domibus ſuis ingens ſpatium occupaverant, poſt ultimam verò rebellionem tot Streliziorum millibus ad capitis ſupplicium damnatis, ipſæ etiam domus, ne impiæ factionis monumenta remanerent, mandato Tzari funditus deſtructæ, dirutæ, & everſæ ſunt. Streliziis omnibus morte, aut exilio punitis, quatuor regimina ſubſtituit ad modum Germanæ militiæ ſuos in officiales, & ordines diſtributa. Hos milites Strelizios compellari fas non eſt: quaſi qui in nomina ſuccederent, exercitæ ab illis nominibus perfidiæ hæredes fierent. Quatuor tantùm erant hæc militum regimina, ſed quæ millia octo continebant. 1mum Gordonianum, 2dum Le Fortianum, 3tium Bebraſchentsko, 4tum Simonowski. Illud Bebraſchentsko dictum nuper ſublatum eſt, cùm omnes, qui illud conſtituebant milites à Tzaro ad opera nautica in naves diſtribuebantur. Proceſſuris in campum tot exercitus erunt, quot modò regimina recenſui. Indè etiam fit, ut regiminis caput non Colonellus ſit, ſed Generalis; cuivis namque dictorum regiminum Generali certus terrarum diſtrictus aſſignatus eſt, ex quo efflagitante belli neceſſitate ſuis ex antris villanos ad agmina cogere oportet; donec imperatum numerum adimpleverit, quódque domi regimen erat, forìs in totius exercitûs magnitudinem excreverit. Tunc milleni tanquam pars à reliquo corpore reciſi, regiminis nomen adipiſcuntur, & Colonellis Germanis, ut plurimùm ſubjici ſolent. Plurimi enim Germani Colonelli ſinè regimine Moſcuæ vivunt, dimidiato ſtipendio, niſi actualiter ſerviant, contenti, hi dum ex-

peditio

peditio decreta eſt, & contra hoſtem caſtra moventur, conglomeratis viliſſimæ ruſticitatis homuncionibus Chiliarchæ præficiuntur, finita expeditione cingulum ſolvitur, nullum ampliùs Chiliarchæ in gregarios imperium, ad aratrum redeunt ſucceſſionis viciſſitudine, nunc coloni, nunc milites, nunc arma tractantes, nunc aratrum. Parvi quidem conſtat, hac tumultuaria villanorum convocatione incredibilem penè hominum multitudinem contra hoſtem educere. Maximè cùm de alimentis iidem providere ſibi debeant, quos ordo vocat, ut militent. Hinc Commiſſarii annonæ ignota, & inutilia Moſcis vocabula videntur; cùm Tzari non ſit, de privatorum alimentis ſollicitari, ſed ſingulos ea cura tangat. Plus tamen damni, quàm emolumenti indè in Rempublicam redundare certum eſt. Quot enim fame pereunt, quot urbes, quot pagi, quot villæ ſuis viduatæ colonis, in vaſtitatem, & ſolitudinem degenerant. Præterea, quod annua illa mutatio, quâ ad ſervitia militaria ſibi invicem miſerrimæ plebeculæ cives ſolent ſuccedere, diſciplinæ, & arti bellandi maximè perniicioſa ſit. Cùm enim, qui hoc anno militârunt, ſequenti liberentur ab onere, ſemper novos, ſemper rudes, ſemper ineptos habet milites. Neque tam exacta eorum erit fidelitas, quibus legendi militis data authoritas; ſuo ſanè iſti ſtudebunt peculio, nec peritiores cogent, ſed pauperes, & magis tenaces, qui libertatem emere, aut nolunt, aut non poſſunt. Umbratilis certè miles, & hoſtis ludibrium, niſi parem invenerit. Deprehendit ine ptæ hujus militiæ diſpendium Tzarus, & prudentiſſimo conſilio inveteratum gentis ſuæ errorem corrigere ſtatuit. Bielogradienſem exercitum viginti quatuor ruricolarum millia conſtituebant, hos militari Sacramento ſoluit, & ad agrorum ſuorum culturam majoris utilitatis exſpectatione dimiſit, hoc uno interea onere adjecto, ut tributi jure ſinguli ſingulos rublos annuos Tzaro penderent. Princeps Repnin Dimacharum Colonellus ad Caſanum, & Aſtrachanum diſceſſit, decem millia Germano & inſolito Moſcis more conſcripturus, aliis eodem fine ad alias Regni plagas, & loca à Tzaro miſſis. Sexaginta peditum millia perpetuò ſtipendiis ſuis alere conſtituit, ſagaciſſimè perpendens ſolum veteranum militem multorum annorum diſciplinâ vexatum veræ militiæ gloriam promereri.

Equitatus.

Moſcorum equites nobiles ſunt, & illi, quos præcipua dignitate conſpicui mittere coguntur, horúmque ſervi plerumq; domeſtici ſunt. Magnus enim Dux aut hujus nomine Tzareorum

exerci-

Digitized by Google

exercituum Campi-Dux in hoſticum moturus publica præconis voce tempus expeditionis indicari, nobilibúſque intimari facit, ut cum congruo ſervorum numero ad opera bellica ſe paratos ſiſtant; quo facto, omnes ad bellum accinguntur, cum variorum eventuum formidine ad deſtinatum locum feſtinantes. Duplex enim metus eos occupat, indignationis Tzareæ, ſi ſegniter imperata facerent, & triſtis exitus imminens cum hoſte conflicturis. Neque indecorum putant licentiâ magno pretio emptâ inter domeſticos parietes otiosè vivere, & belli pericula deprecari. Quin imò inſaniæ arguunt quoſdam generoſioris virtutis Germanos, cùm laborioſis precibus facultatem impetrare conantur, caſtra, & evidentiſſima militaris obſequii ſequendi diſcrimina. Germanos ejuſmodi exiſtimant, aut non ſatìs ſapere, aut fraudulenta in Rempublicam meditari conſilia: quo enim animo? qua ſana mente ſe præſentaneis periculis ultrò offerrent? neſciunt ſiquidem divinius quiddam latere in homine, quem per ipſam mortem, &. vulnera ambitione laudabili virtus ducat ad gloriæ palmam. Arma verò quibus equites utuntur, ſunt arcus, & ſagittæ, & paucis gladius, breves ſunt haſtæ aut ſpicula, omnia ad Turcarum modum inſtructa. Dimachas præteritis ultimis duobus annis ſclopetis munivit, & piſtoletis, quos ſi ex facinorum temeraria audacia æſtimare licet, latrociniis, quàm juſto bello aptiores ſunt. Eſt adhuc alius peditum uſus, qui armis utuntur in mediæ lunæ ſpeciem curvatis, & ab ipſis Bardiſch compellatis. Hos, dum acies ordinatur, tanquam robora, & munimenta exercitûs, primos hoſti objiciunt, tam diu feroces, quamdiu adverſa tela mortem per vulnera non intentant, magno impetu auſpicantur, vel impreſſionem, vel fugam. Dum enim ſocios ſuos Marte non ſatìs propitio dimicare, premi, cædíque vident, reliquorum intereuntium ſpectaculo vincuntur omnes, adeóque animos deſpondent; ut ipſo timore velut exanimes arma abjiciant, & ſibi invicem dicto vale, damnatis reſiſtendi conſiliis, hoſtilibus gladiis ad ſecuriorem ictum capita porrigant, & inimicis victoriam ſua ignavia concedant. Si ex prælio fugientes aſſequatur hoſtis, ita ſe victoribus dedunt, ut nec mortem deprecentur. Quia nulla adhuc Moſcis cum Turca ſolidæ pacis firmitudo eſt, errore Legati, qui non ſatìs conſideratis futurarum rerum eventibus ſolas biennalis armiſtitii inducias pactus eſt, Tzarus ingenti ſollicitudine militem, & neceſſaria parat, quibus vim hoſtilem ſufficienti fortitudine pellat, vincátque. Decimum quemque levant ſubditum in tota Moſcovia, & ſuſtentationem ſimul ſuppeditare coguntur illi, pro decimo quoque ſubdito, qui eundem

dem

Digitized by Google

dem è bonis ſuis ſubmiſerunt in militiam, Kneſii, Bojarini, & Mercatores.

Res tormentaria.

Rem tormentariam iisdem machinis inſtruunt, quibus reliqui Europæ Principes mœnia quaſſant, muros dejiciunt, & munitionum obſtacula enervant. Cùm autem genuinum tormentorum uſum ad exactam operis peritiam Moſci non calleant, peregrinos alunt magnis ſumptibus, ex diverſis regionibus in amicitiæ ſpecimen ſibi ſubmiſſos.

Muſica Campeſtris.

Familiare Moſcis modulamen injucundâ auribus ſymphoniâ magìs dejiciendis in triſtitiam animis, quàm in militaris virtutis audaciam erigendis accomodatius eſt. Leſſum mortualem intonant, non Martem nobilioribus ſtimulis noverunt accendere. Inſtrumenta verò hujus Muſicæ plerúmque ſunt Jatumeæ, & tympana.

Redditus Tzari.

Præter tributum, & cenſum annuum, quem omnes provinciæ habita proportione accuratè pendere coguntur, multa adhuc ſunt commoda, quæ publicum Principis ærarium augmentare ſolent. Primum emolumentum vectigal eſt portûs Aſtracanenſis, & Archangelici, ex quibus decem milliones imperialium Tzarum annuatim trahere volunt.

Secundum Cabacæ, ſeu publica diverſoria important; ſolus enim Tzarus per omnes Moſcoviæ urbes, & provincias cereviſiam, vinum aduſtum, & mulſum ſolet vendere, ex quibus ultra ducenta imperialium millia Principis ærario accedunt. Qui privatorum aut etiam Magnatum ſinè ſpeciali Tzareo indulto mulſum, cereviſiam, aut vinum aduſtum venale exponit, privatur merce ſua; pœnâ pecuniariâ arbitrariâ inſuper punitur, nec exempla deſunt pœnæ ſeverioris ſtatutæ in eos, qui contra Principis regale deliquerant. Knuttis cæſi in Sibiriam deportantur, ubi perpetuas inſidias Zobellinis ſtruere coguntur. Germani verò braxandæ, vendendæque inter ſe ſolos cereviſiæ privilegio gaudent, aliàs ſuperiùs enarratis pœnis obnoxii, ſi eam Moſcis venderent. Nunc verò idem privilegium illis ademptum eſt. Ticchon Nikitowiz Streſnow, cujus officium ad Supremi Aulæ Præfecti dignitatem accedit, conſultiùs judicavit, ſi braxandi libertas non auferretur Germanis; cùm capiendi, quod indè ſperatur, emolumenti compendioſior modus ſuppetat: ſi nimirum ſchedæ, quibus braxandi licentia fit, & quas ex Cancellariis braxaturi

Digitized by Google

obligantur accipere, majori taxa onerarentur; quam procul dubio Germani malint exſolvere, quàm braxatam à Moſcis cereviſiam comparare.

3. Magnas divitias ex Zobellinis colligunt, quas in Sibiria nobiliſſimas capiunt.

4. Sturjones incredibili multitudine Volgam fluvium implent, qui verno, æſtivóque tempore frequentes capiuntur; eorum autem ova opulento commercio in terras tranſmarinas avehuntur; ſale enim condita vaſis magnis includunt, Caviari nominant, celeberrimas Italis cupedias. quidam mercator Hollandus pro jure exportandi Caviari octuaginta millia imperialium annuatim Tzaro pendit.

5. Rhabarbarum, quod Moſci pretioſiſſimum habent, itidem Germanus quidam mercator jure empti à Tzarea Majeſtate monopolii ſolus vendit.

Angli Tzareæ Majeſtati in Anglia ſubſiſtenti duodecim millia pondo ſterling, & alia octo millia in Hollandia ſolverunt, pro monopolio vendendi tabaci in Moſcovia: non obſtante, quòd Moſcici Cleri ſuperſtitio fumandi, herbæque illius potandæ conſuetudinem tanquam impiam, & diabolicam omnibus execrationibus hactenus fuerit deteſtata; quin etiam noſtro tempore Moſcicus Patriarcha Ruthenum illum mercatorem, cui jus vendendi tabaci Tzarus adhuc ante diſceſſum ſuum pro quindecim rublorum millibus añuè ſolvendis impertitus fuerat, cum uxore, liberis, atque nepotibus excommunicaverit, iisdémque in infinitum maledixerit.

De moneta Ruſſica.

Auri, argentíve fodina Tzaris nulla eſt: credunt tamen in finibus Sibiriæ ad locum Kameni dictum divites venas inveniri. Peritos metalli fodiendi homines Generalis de Carlowiz nuper in Moſcoviam deduxit, unde brevì certiora reſciri poterunt, an auri fortè, argentíque eruendi ſpem opulenta gleba faciat. Moneta tamen Moſcowitica ex puro, & bono argento ſemper cuſa fuit, hodie tamen, & aliquantum adulterata eſt, & antiquo ſuo pondere multò minor: ſolidum imperialem quinquaginta, aut quinquaginta quinque kopicis mutant, & ex uno imperiali centũ, interdum etiam centum & viginti kopicas cudunt, quod appenſo ad kopicas imperiali, noſtro tempore ibidem experti ſumus. Kopica autem, ſive nummus Moſcowiticus non rotundâ ſed oblongâ, & ovali forma, una parte Sanctum Georgium haſtâ inſignem, aliâ Tzari nomen, & tempus exhibet, quo cuſa eſt. Moſcis

Digitized by Google

ſcis etiam adhuc alia minor moneta eſt, quam denga vocant, quarum duæ uni kopicæ æquivalent. Majorem non habent, utuntur tamen diſtinctis vocabulis plures kopicas innuentibus. v. g. duæ kopicæ faciunt denarium, tres altinum, decem griſnam, quinquaginta poltinum, & centum rublum. Noſtro tempore de moneta cuprea ſermo erat, quâ, cùm argentum non ſufficeret, militem ſolvere, & belli ſumptus ſuſtinere voluerant; ſed allatâ pacis concluſæ notitiâ, quidquid fortè interea cuſum eſt, ærario illatum in alias neceſſitates aſſervandum. Nemini permiſſum eſt numeratam pecuniam ſecum ex Moſcovia exportare, qui deprehenſus fuerit, bona ſua omnia amittit; cambio autem uti, aut coëmendis mercibus eam impendere cuivis licet. Ferri fodinam quidam Marſelius mercator Hollandus primus invenit; quam ejus poſteritas aliquo tempore jure Vaſalagii poſſedit, donec ſtirpe ejuſdem extincta Tzaro ceſſit, & Nareskinio in feudum data eſt. Anno 1700. pecunia imperante Tzaro cuſa eſt noſtro more, & prima militum ſolutio ex illa fieri cœpit.

Apotheca Tzarea.

Duæ apothecæ ſunt, una in ipſa Arce Kremelina, in urbe altera: Germanorum conſiliis à Tzaris inſtructæ, & ingentibus impenſis conſervatæ. Antea notis, inemptíſque remediis ſecuri ad multorum annorum canitiem pervenerunt: nunc pretioſiùs, & (utì plurimi conqueruntur) naturâ medicaminum uſu debilitatâ citiùs moriuntur. Quod tamen inordinatis ſuis debacchationibus, & pernicioſo medicinarum abuſui imputare deberent potiùs, quàm herbis, & ſuccis ſaluberrima arte paratis. Pixides, Cryſtallina vaſa, & artis inſtrumenta extrinſeco quidem fulgore oculos rapiunt; ſed ſæpè parùm, aut nihil in iis ſalubritatis; cùm pleraq; vaſa inania ſint, nec ſatìs diligenti ſollicitudine nova medicamina coëmantur ab iis, quos Tzarus inſpectores, aut præſides conſtituit. Si ipſiſmet Pharmacopeis credendum eſt, nunquam meliùs inſtructæ fuerant Tzareæ apothecæ, quàm eo tempore, quo Dominus Vinnius iiſdem præerat. Is enim tanquam Germano ſanguine oriundus prudentiorem ubique ſolertiam adhibuit; & Medicis Apothecariiſque, quid deſideraretur monentibus, totus in eo fuit, ne neceſſariarum rerum defectus eſſet. Jam verò qui huic muneri ſucceſſerunt, ſuperba rerum ignoratione moroſi, nec Medicos audiunt, nec medicamenta nova debita fidelitate comparant; quorum errore, & negligentiâ eò res delapſa eſt, ut quoties ſanandi ægroti urget occaſio, Medicus eam medicinam præſcribere haud poſſit, quam pellendo

Digitized by Google

morbo utiliſſimam judicat, ſed aliam fortè æquivalentem, & quam in apotheca novit eſſe reperibilem. Netimus verò Præſes Feudor Alexiowicz Golowin induſtriæ majoris ſpecimen dedit; miſſus enim in Hollandiam quidam Ruthenus, cujus biennales labores ad plurimorum invidiam Doctorali laurea Italia coronaverat, ut, quæ deficerent medicamina, ſolerti ſtudio conquireret. Præter quem tamen omnes ferme Medici extranei, & Germani ſunt. Dominus Carbonari de Biſenegg, & Doctor Zoppot cæteris exactiùs artem medendi callent, quorum operâ potiſſimi utuntur. Chirurgum Dermond autem inſtar Æſculapii venerantur, eúmq; alii invidioſo nomine Doctorem Empyreum vocant. Doctor Blumentroſt, & Doctor Kellerman ſua etiam laude potiuntur. Multi ſunt Apothecarii omnes Germani; tyrones autem habent Moſcos ſuis Magiſtris longè ſeniores. Ducentorum rublorum annuo ſalario gaudent; nec multo labore fatigantur. Eorum operæ alternant; ante octavam, aut nonam matutinam apothecam frequentare non ſolent, & ſecundâ pomeridianâ ad domos ſuas in Germanorum ſuburbium redeunt. Hæ horæ ſunt utiles, reliquo diei tempore nulla medicina venalis; neque etiam Apothecarii tam facilè vocari poſſunt; Slowoda enim, aut Germanorum ſuburbium unius horæ ſpatio abeſt ab urbe.

Divitiæ.

Conſiſtunt eæ in Regni inſignibus, corona, pretioſiſſimis gemmis, & lapidibus opulenta. 2dò. In ingenti vi cumulatæ pecuniæ numeratæ, quam tamen hoc tempore ob armaturam navalem numeroſiſſimam, & ipſo nomine terribilem, multis impenſis erectam, plurimi credunt exhauſtam. Nunquam tamen Tzarus carebit, quamdiu apud ſubditos ſuos aliquid auri, argentíve reſiduum ſciverit; præter horum enim opes, & privata marſupia nullas auri, & argenti mineras habet. Omnium namque rerum abſolutus Dominus utitur operâ ſubditorum pro libitu, & parte bonorum, quæ placuerit; arrogat ſibi ex ferarum exuviis portionem, quæ lubet; pellicia vendit, aut dat dono, pro ut libet. Piſces vento ſiccati ſervantur munitionibus; in foro nemo vendere poteſt, niſi ea, quæ ſunt Principis, primùm vendita fuerint. Ut rerum ſuarum pretium veriùs imperet, quàm mercetur, ſibi metit, capítque, quidquid in ſua ditione aut boni, aut pretioſi eſt. Magnus Dux Joannes ſpoliavit calicibus, reliquiis, crucibus, & argento totam ferè Livoniam, nec unquam conceditur aurum, & argentum, Moſcoviâ efferri, niſi in redemptionem bello captivorum, aliorúmque, qui in captivitatem Tartarorum quotidianis excur-

Digitized by Google

excurſionibus abducti ſunt. Vaſorum autem divitias oſtentare Moſci ſolent, quoties exterorum Principum Legati uſitato gentium more Principali, Regióq; convivio ſumptuosè excipiuntur. quantum cæteroquin momentum Tzarorum opibus diverſarum pellium vix ſatis æſtimanda pretia conferant, non opus eſt pluribus repetere.

Tzari Aula.

Anteriores Magni Duces utebantur apparatu inæſtimabili in veſtitu, ornatúq; Pontificio Regiæ Majeſtati addito; ferebant capite mitram margaritis,& gemmis pretioſiſſimis nitentem,manum ſiniſtram paſtorale ornabat ditiſſimum, digiti annulis aureis referti erant, imagine Chriſti ad dexteram, & Sanctiſſimæ Matris Virginis ſuper ſolio,in quo ſedebant,conſtitutâ. Regia,& Pro-Regia plena viris, veſtibus auro, alióque pretio inſignibus usque ad talos indutis. Modernus verò Tzarus quoad perſonam ſuam omnis pompæ, & oſtentationis contemptor, rarò utitur ſuperflua illa famulantium multitudine. NequeBojarini,Aulicíque nobiles priſtino veſtimentorum decore ſuperbiunt, Magni Ducis exemplo docti, vanum eſſe veſtium luxum, nec ſapientiam habitare in formoſis ædibus. Ipſemet Tzarus, cùm Regiam urbem ſuam pertranſit, ſæpe tantùm duobus, ad ſummum tribus, aut quatuor familiarium officiorum miniſtris ſtipatur; periculoſo etiam tumultuantis militiæ tempore, ſola veneratione Majeſtatis ſecurus. Moſci enim non tam ſubditorum, quàm mancipiorum inſtar olim ſuo Principi obediebant, eum pro Deo potiùs, quàm pro Principe habentes, unde apud Moſcos ſæpiùs audire fuerat (quod paſſim adhuc hodie vulgares uſurpant) Deus ſolus, & Magnus Dominus ſcit hoc; omne quidquid habemus ſanitatis, & commodi, procedit à Magno Domino. Hæc ſuorum reverentia ad avitum ſolium revocavit Ivanum Baſilidem, qui poſt immanitates inauditas, juſtæ ultionis timore, utpote præteritorum ſcelerum conſcientiâ jam ſponte reus ad monaſterii latebras ſe receperat, ſive Regii nominis reſpectus, quod gentes, quæ ſub Regibus vivunt, inter Deos colunt, ſive ingenita in Principem veneratio, ſive fiducia antea exerciti imperii homines ad ſerviendum natos in fide obſequii coërcuerit. Rara, aut nulla olim fuerit in Moſcovia ſeditio, jam verò concatenatos tumultus crederes: non tot capitibus repullulavit Hydra, quot ex ipſis perfidorum funeribus novæ oriuntur rebelliones. Hydram igne perdomuit Hercules, ſed Moſcorum inquieta audacia Salamandræ inſtar flammâ alitur: an fortè ferrei ſæculi genius priſcam

 fidem,

Digitized by Google


fidem, pietatem, & in Principes reverentiam apud infimam etiam plebeculam ſuſtulit: Necdum tamen conſuetudo oblitterata eſt, quâ humi procumbentes Tzarum venerantur, par Deorum potentiæ faſtigium æmulantem. Frequens aliàs nobilium numerus, quos Sin-Bojaren (id eſt Bojarinorum filios vocant) miniſteria quotidiana obeunt; ſed nullus ſerviendi decor, nulla famulantium mundities; ut vel morum impolita cruditas, & ſordida eorum obſequia hanc à cæteris Europæ aulis facilè diſtinguant. Dum menſa Tzaro paratur, nulla tubarum officia aulicos vocant ad miniſteria; verùm unus illorum ſtentoria voce clamat: Goſudar Cuſchinum, Goſudar Cuſchinũ, id eſt: Magnus Dominus vult comedere. Pateræ, in quibus cibi Tzareæ Majeſtati inferri ſolent, ex auro quidem, & argento elaboratæ ſunt, ſed tanta obductæ fuligine, ut vix dignoſci poſſit, cujus pretii metallum ſub ſordibus lateat. Nullus ciborum ordo eſt, promiſcuè poſiti lacerari ſolent, non dividi. Religioſior prioribus Tzaris Majeſtatis erat defenſio, nemine ad menſam admiſſo, ſoli prandebant, ſingulari autem gratia Bojarinorum aliquos honoraturi, iisdem ex menſa ſua cibos quosdam mittere conſueverant. Modernus è contra Tzarus inſignem in Reges injuriam putat, velle eos arcere à privata conſortii ſuavitate. Cur enim ſolis Regibus lex barbaræ inhumanitatis dicetur, ne quem habeant, cujus familiaritate delectentur. Ideo ſuperba convivii ſolitudine neglecta ſæpe cum conſiliariis ſuis, cum Germanis Officialibus, cum mercatoribus, & ipſis etiam exterorum Principum Legatis amat colloqui, & prandere. Etſi id Moſcis omnino diſpliceat, impoſita tamen parendi neceſſitate, eoſdem mores, & frontis perſæpe coactæ affabilitatem oportet exprimere.

Tzari Reſidentia.


Kremelina appellatur, lapideo muro circumdata bis mille nongentos paſſus ambitu complectitur, & plurima pulcherrima nobilium ædificia intra murorum ſuorum ambitum concludit; diverſa fora rerum venalium, plurimáque templa; utì eſt templum Archangeli Michaëlis, in quo Principum ſepulturæ. Blagaveſine, ſive templum Añuntiationis Mariæ novem turribus inſigne, quarum tecta, utì & totius templi, ære deaurato cooperta ſunt, & Crux altiſſimæ turris ex auro puriſſimo facta ingens pretium oſtentat. Ivan Veliskoy Divi Joannis templum, cujus turris tectum deauratũ, abundátq; campanis, quarum una omnium in orbe terrarum maxima, ponderat bis mille ducentas poëdas, ſeu ponderis noſtratis ſexaginta ſex mille libras. Eadem in Regia præter alias Cancellarias cæteris illa eminet, quam Poſolski

pri-

Digitized by Google



Digitized by Google


anæ, quæ
Templi Aulici
trium Orgyarũ
entia 10 et ½ Or.
tamæ ponderat e
his. Campanæ lingua
mitati plurimi alligati
etiã 50 Viris agitatur,
mpāna priũ ob magnit
firmata trabibus moveri neq

Digitized by Google

pricas, ſive Cancellariam Legatoriam vocant, in ea expediuntur omnia negotia ſtatum Reipublicæ, & externorum Principum negotiationes concernentia. Peregrini itidem omnes ab eadem dependent. Cameræ, & conclavia Principis habitationi deſtinata aulæis, & periſtromatibus pretioſiſſimis, tam ſumptuoſo faſtu contecta ſunt, ut præcipuis Europæ Regiis ea amplitudine, ſplendoréque nihil concedat. Alia Arcis parte diverſæ generoſitatis equis tanquam in Sybaritano exercitu inſtructum equile ſe oſtentat. Equos autem, qui apud Moſcos in pretio ſunt, altos & proceros eſſe oportet. Arabicos amant, & Altenburgicos; generat etiam Moſcovia equos pernicitate ſua maximè commendatos, eos pachmaten compellant. Diverſi generis venationes in diverſis ſuarum ditionum diſtrictibus Tzari prædeceſſores inſtituebant; aucupium tamen principem ſibi voluptatis locum vendicabat. Modernum è contra aliud ſtudium trahit, bellicas artes, ignium luſus, tormentorum boatus, navium fabricam, maris pericula, & ardua gloriæ ſtudia decurrere omnibus diverſionum jucunditatibus anteponit. Militiæ munera ab infimo gradu obiit, non antè avitum ſolium, & ſupremæ poteſtatis culmen conſcenſurus, quàm priùs per omnia militum officia laudabili induſtria ad ultimum Campi-Ducis gradum eveheretur. Adeò gloriosum eſſe ducit, priùs dignitatem mereri, quàm occupare.

Quæ Moſci imprimis caveant.

1mum. Ne avita religio im̃utetur; tria enim ſigna Moſcoviæ interitum prognoſticatura credunt prædicta à Sanctorum ſuorum nonnemine, cui Superi permiſiſſent oculos in futurarum rerum caliginem procul mittere. 2dò. Mutationem habitûs. 3tiò. monetæ. Veſtitum cum Tartaris olim habebant com̃unem, dein more Polonorum elegantiùs veſtiebantur, nunc Hungaros habitûs ſimilitudine ſequuntur. Ut plurimùm principalia Schiſmatis ſui puncta, quibus ab Eccleſiæ totius corpore ſe ſeparârunt, adhuc tenaci ſuperſtitione obſervant. Verùm formandæ crucis modus, in quo fidei ſuæ ſummam penè ſolùm collocant, Græcorum Patriarcharum magnis ſumptibus Moſcuam evocatorum concilio immutatus eſt; olim enim nullâ Cleri, aut laici diſtinctione ad Crucem formandam cognitâ, omnes Rutheni tribus digitis, in memoriam Sanctiſſimæ Trinitatis Crucis ſignum formare inſtruebantur. Poſt dictum concilium autem ſolis Presbyteris apud veterem morem relictis, laicis omnibus publica lege injunctum, omiſſa antiquiſſima conſuetudine, duobus tantùm digitis elevatis crucem formare. Quæ mutatio quantùm innocentis, nobilis, illuſtrisque ſanguinis in Moſcovia profuderit, non-
dum

Digitized by Google

dum obducta cicatrice multa vulnera lamentantur. Monetæ uſus vetus adhuc noſtro tempore viguit; niſi quòd valor intrinſecus in publici commercii diſpendium quandoque diminutus fuerit. Nec negari poteſt monetam cupream ob nimios belli ſumptus cuſam in theſauro aſſervari, docéntq; ultimæ litteræ huc ex Moſcovia allatæ: monetam ibidem alteratam eſſe. Neq; ſua Clero authoritas manſit illibata; olim enim in omnibus publicis conventionibus primi honoris ſubſellia ſinè contradictione occupabant; jam verò eorum dignitas tantùm eviluit, ut vix, aut ſaltem non aliter admittantur, quàm laici ad menſam famulaturi. Credo hæc vaticinia quandam anum Popparum inſtinctu ſomniâſſe: qui non vanè timent; ne ſuæ demum axe fortunæ excutiantur, non diutius regnaturi, niſi quam diu plebem, & populum ſuperſtitioſo doctrinæ, ſapientiæve contemptu in ignorantia,& erroris ſui caligine retinuerint. Cùm tamen ſemper virtutis enitentis ad gloriam indoles fuerit,ad magìs ardua,& meliora eluctari.

Alterum, quod ſtudioſè curant,eſt:ut loca,& fortalitia finitima forti milite ſemper cuſtodiant. Ut utrumque tempus, & pacis, & belli rectè gubernari poſſit; néve fortunæ caſibus,hoſtium viciniorum inſidiis, & inteſtinæ civium perfidiæ in abſentem, & ſui ſecurum omnia liceant.

3tium. Ne magnatum quiſpiam ad invidioſas opes,& periculoſam Principi potentiam emergat. Qui vires ſuas jactat, aut opulentiam oſtentat, bonorum, & vitæ diſcrimen adiit; ii enim quorum divitiæ timendæ ſunt, ad carceres enormis flagitii obtentu rapi, boníſque fiſco addictis, exilio aut capitali ſupplicio mulctari ſolent.

4tum. Provinciarum munia nulla perpetua, ſed paucorum annorum præfecturæ ſunt, & triennii, ut plurimùm poteſtas eſt. Magno Regnis compendio anguſti temporis honores eſſe volunt; neque enim Rectores, qui ſe poſt annum privatos fore noverint, facilè Magiſtratu ſuo abutentur, neq; cives præter fas amabunt, aut timebunt præſidem breviſſimo defuncturum imperio. Feudoro Maduæwiczio Apraxen portûs Archangelici Waywodæ ad alterum triennium faſces â Tzaro prorogati ſunt; quòd eo tempore, quo ipſemet Tzarus eodem loci mare album ingreſſurus commorabatur, præter perſpectam, quâ munus ſuum obiverat, fidelitatem, multos ſumptus liberaliter fecerit, ad Majeſtatem dignis honoribus excipiendam.

5tum. Antehac Moſcis non licebat Principum ſuorum ditione excedere, ne alieni felicitatem Imperii contemplantes ad

cupidæ

Digitized by Google

cupidæ novitatis audaciam accenderentur; ſub moderno autem regimine juſſi à Tzaro exteras terras ſpecie quærendæ ſapientiæ obire, ab impoſita peregrinandi neceſſitate pecuniâ, & viribus enervantur. Sinè ſpeciali tamen Tzari permiſſione, atque juſſu nemo impunis Moſcoviâ pedem efferre audet.

6tum. Quos commercii ratio cogit ad tempus Moſcoviâ excedere, bonorum amiſſio, knuttæ, & exilium perſequuntur; niſi præſcripto tempore domum revertantur.

7mum. Magnum viribus Tzareis momentum addunt Coſſaci; hos annuis donativis ſibi Moſci conciliant, pinguiſſimíſque promiſſionibus in fide ſtudent retinere; ne ad Polonos mediten-tur tranſitum, totum Moſcicæ militiæ nervum ſuo diſceſſu ſecum ablaturi; valida enim gens, & arte bellandi, & animi fortitudine Moſcis præſtat.

8vum. Eadem ratione, comitate, promiſſis, largitionibus, & multiplici arte adjacentes Tartaros Tzercaſſios, Nagajos, Samojedas, & Tingoëſos in ditione ſua retinent. Tributo enim illos vix ullo ſolent onerare; ſed donativum illi potiùs añuum exſpectant: quod, quia noſtro tempore emanſerat, Ajuka Calmuccorum Princeps cum viginti millibus defecit ad Turcas.

9um. Inter ipſos ſuos Magnates Tzari ſeminare, & alere diſcordias conſueverunt. Quos mutuis odiis diviſos, in ſemet invicem ſævis conſiliis certantes, omnes & ſingulos ſecuriùs, & ſub majori æquitatis larva premere poſſunt, ſecuti vetus illud: divide, & impera.

10mum. Diſceſſurus Moſcuâ, ſummæ rerum plures præficit, iiſque, quos naturali antipathiâ inter ſe diſcordes novit; ne unus concredita poteſtate abutatur, aut eandem armet in Principem.

De Regia Tzarorum Urbe.

Moſcoviæ Metropolis Moſcua eſt, ab interfluente flumine Moſqua nomen trahit. Forma penè Urbi rotunda eſt; dividitur in quatuor partes, quæ ſingulæ ſuis muris, aut vallo cinctæ ſunt. Intima pars, & veluti meditullium urbis appellatur Kytaygorod; huic proximè adjacet caſtellum, aut Regia muris ab hac diviſa, appellatúrque Kremelina gorod; quæ duæ partes muro circumdatæ ſunt lapideo. Pars quæ ab Oriente, Septentrione, & Occidente has cingit, Tzargorod dicitur, id eſt civitas Regia muro cincta ex candido ſaxo terrâ aggeſtâ. Pars quæ has afforis circumcingit, Skorodum nominata, ſepibus ſolis circumcingitur. Pars meridionalis alio nomine Streliza Slowoda dicta, quòd à militibus fuerit inhabitata, ſive prætorianis magni Ducis. Quoniam

Digitized by Google

verò poſt nuperam rebellionem omnes Streliziorum domus funditùs dirutæ & everſæ ſunt, noménque Strelizii Tzarus perpetua oblivione ſepultum cupiat, hanc partem brevì aliud nomen, & uſum credo ſortituram. Cæterùm ædes privatorum ut plurimùm ſunt ligneæ, paucæ admodum lateritiæ; ſoli Proceres, & opulenti mercatores lapide ſtructas domos incolunt. Indè tam frequentia incendia, ut ſæpe millenas domos evertant. Urbs hæc tria milliaria Germanica ambitu ſuo complectitur, cui plura ducentis templa ſpecioſâ, variâque turrium multitudine (cuivis enim templo quinque turres ſunt annexæ) magno decori, & ornamento ſunt. Templorum principale eſt SS. Trinitatis, ad quod palmarum feſto Patriarcha aſino inſidens à magno Duce olim introducebatur; ſimiles verò ceremoniæ à moderno Tzaro, aut omiſſæ, aut neglectæ in deſuetudinem abeunt. Mercatores pro diverſitate mercimoniorum ſeparata & diverſa loca, fora, & ſpatia occupant, in quibus, & non alibi, ſuas merces venum licet exponere.

1mum. Ante Arcem Kremelinam velut diverſa ambulatoria fora tergis ſuis impoſita circumferunt; veris enim tabernis hìc nullus locus, nec permiſſum ibidem eas erigere.

2dum. Ubi ſericum, & quidquid ex eo textum eſt, venditur.

3tium. Ubi omnis generis pannum venalem exponunt.

4tum. Pro aurifabris.

5tum. Pro pelliciariis.

6tum. pro ſutoribus.

7mum. Ubi linea ſupellex venalis proponitur.

8vum. Ubi picturæ proſtant empturis.

9num. Forum, quod pediculorum vocant; quia plurimi barbitonſores ſuas in eo officinas erexerunt, & ſingulis diebus Moſcis capillos ibidem decurtare ſolent, crinésque in publicam plateam ejicere.

10mum. Ubi cujuslibet formæ veſtimenta pro pretio proponuntur.

11mum. Forum venalium fructuum.

12mum. Forum piſcium.

13tium. Forum avium.

Præterea publica domus prope palatium Legatorum eſt; eam vulgò den Gaſt-Hoff vocant, in qua Perſæ, Armeni, aliæque gentes ut plurimùm ſuas merces exponunt. Multa præterea alia fora diſtincta ſunt, prout mercimoniorum diverſitas exigit; ſingula eo ordine ſeparatim collocata, ut ex uno in aliud facili via detur acceſſus, & receſſus. Neque cellaria deſiderantur, quæ vina propinant per mare ex portu Archangelico Moſcuam perducta.

In

Digitized by Google

In parte urbis, quam Tzargorod diximus, plateas aliquas Pogganabrut vocant, in iis frumentum, farina, carnes, & jumenta, cereviſia, mulſum, & vinum aduſtum venduntur. Urbs hæc variarum rerum commercio florentiſſima incolis abundat; portis quidem clauditur; ſed adverſus vim ingruentis hoſtis non ſatis eſt cuſtodita. Quæ autem & indigenis ſerviunt, & commerciis apta ſunt, hæc ferè numerantur.

1mum. Pelles variorum animalium, quibus & incolæ contra frigoris violentiam corpora ſua muniunt, & ingentem earundem copiam advenis mercatoribus vendunt: inter pelles haſce primum locum ſibi vendicant Zobellinæ, ſive Sabellinæ, quas Pecora provincia ſubminiſtrat præſtantiſſimas, quibus hodie fæminarum luxus ingens interdum pretium in Europa ponit. Cæteræ ſunt vulpes nigræ, & rubræ, quibus Siberia abundat, atque etiam albæ martes, caſtores, hermelinorum pelliculæ pulcherrimæ, luporum, lyncum &c.

2dum. Ceræ tanta copia, ut nonnullis annis duæ librarum myriades evectæ fuiſſe dicantur. Maxima autem vis Pleſcoviâ venire ſolet, licèt aliæ quoque provinciæ copiâ ceræ abundent.

3tium. Mellis item tanta, ut licèt magna illius pars ab indigenis in potu abſumatur, non minima tamen copia quotannis in vicinas provincias exportetur.

4tum. Sevum Jeroslavia, & Vologda mittit.

5tum. Taurorum, & bubalorum tergora tota regio ſubminiſtrat.

6tum. Oleum ex phocarum corporibus coctum.

7mum. Caveari, cujus magna copia ad Volgæ ripam conficitur, ex ovis piſcium, bello-uginæ puta, ſturionis, ſeverigæ, & aliorum, atque in alias regiones præſertim in Italiam vehitur opulento ſatis commercio.

8vum. Habent linum, & canabum; illud quidem Volsko provincia cum vicinis regionibus, hoc Smolensko, Dorogobuſa, & Viasma, magnâ copiâ, & ſingulari bonitate producunt.

9num. Eſt ſal, cujus magna vis Starræ Ruſſæ, & alibi à ſalſis ſcaturiginibus cogitur; juxta Aſtracan autem à maximis fluctibus ejicitur in littus.

10mum. Eſt pix, cujus immenſa copia in provincia Carelia, & ad ripam Dwinæ oceanum Arctoum verſùs ex rupe exciditur. Stude compellant, quæ vitri uſum præſtat, & in laternis vulgò uſurpatur vitri Ruſſici nomine; item Marien-Glaß.

11mum. Datur ferrum; nam cæterorum metallorum ferè infœcunda eſt Ruſſia. Credunt tamen in Sibiria alterius metalli fodinam ſe inventuros.

 De Re-

De Religione Ruſsica.

De mutatæ Crucis formandæ modo ſuperiùs dixi. Quis crederet tantùm intereſſe ad veræ fidei cultum, ſi uno, duobus, aut tribus digitis, aut tota manu elevata Crucem formes. Nihilominus Ruthenici Patriarchæ dubium circa formam Crucis ortum, tanti momenti Moſcis viſum eſt; ut ad ejusdem deciſionem Patriarcham Conſtantinopolitanum cum duobus aliis Alexandriâ ingentibus impenſis Moſcuam invitarent. Verum quidem eſt, Moſcos Religionis ſuæ ſummam, & unicum ſalutis obtinendæ remedium in ſola Crucis forma ponere; cùm rariſſimi inter eos inveniantur, qui vulgares etiam precatiunculas Pater noſter: aut Ave Maria: calleant, neque ſcholæ iis ſint, in quibus ea edoceantur, quæ hominem adultum, & decet, & oportet ſcire, tanquam ad ſalutem neceſſaria: mihi tamen in mentem venire non poteſt, neque Moſci interrogati deſuper reſpondere volunt, aut poſſunt, qua potiſſimum ratione moti fuerint ſupra nominati rerum ſacrarum Antiſtites, ut veterem, & multis ſæculis uſitatum, & liberum crucis tribus digitis formandæ modum contradicente plebe abrogaverint, ejúsque prohibitionem tam crudeli lege ſanciverint. Exiſtimavit enim vulgus ſibi cælum, & æternam gloriam ea prohibitione eripi; ſolos Poppas cæleſtibus deliciis fruituros, quibus ſolis permitteretur tribus digitis crucem formare. Multi renitebantur Patriarcharum ſanctioni tanquam impiæ, & minùs in Deum reverenti, & multi lictoris ſecuri ſuccumbere, quàm ab antiqua Crucis formandæ conſuetudine recedere maluerunt. Labor longè utilior magisque ſalutaris fuiſſet, ſcholas ordinare, Præceptores inſtituere, qui juventutem inſtruerent, ignaros docerent, qui perditos homines ad veram ſalutis viam ab errore retraherent. Verùm, quia ipſi divinarum rerum ſummè imperiti ſunt, omnémque ab exteris doctrinam ſuperbè deſpiciunt, lucem poſteris ſuis invident, ad quam ipſi ſuis ex tenebris verecundantur emergere.

Baptiſmus.

Rutheni verè baptizatos, & Chriſtianos eſſe negant, qui Romano ritu ſola aquæ aſperſione in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis Chriſto regenerantur; ſed obſtinata ſuperſtitione contendunt, per immerſionem Baptiſmum fieri debere; oportere enim veterem hominem ſuffocari in aqua, quod immergendo, non aſpergendo fieret. Cui errori pertinaciter inſiſtentes reiterationem Baptiſmi admittunt, eósque cujuscunque antea Chriſtianæ Religionis fuerint, qui Ruthenum Schiſma aut ſpontè, aut (quod ordinari-

dinarium eſt) coacti amplectuntur, denuo baptizant, vel immergendo, vel (uti hodiernus obtinet uſus) aquam toti corpori à capite ad calcem affundendo. Quòd autem tres in Deitate perſonæ ſint, trinam etiam immerſionem requirunt.

Sacrificium.

Ritu Græco celebrare ſolent, pane azymo, & vino rubro utuntur, cochleari ex calice panem, vinúmque conſecratum ſimul & ſemel diſtribuunt. Quamvis ordinariè vinum rubrum Sacrificio adhibeant, eo tamen deficiente aliud conſecrari poſſe non negant.

Exteros, & quos ſuæ Religionis non eſſe nôrunt, vix, aut difficulter ſua templa ingredi ſinunt. Catholicis tamen, quos Romanos vocant, major quàm Lutheranis, & Calviniſtis libertas eſt. Ideò fortè, quòd in fidei rebus viciniores ſibi eſſe perſpiciant, nec ignorent Sanctorum à nobis imagines, & reliquias coli, quas cæteri aſpernantur.

De Imaginibus.

Pictas tantùm, non ſculptas, aut alia arte fabricatas venerantur imagines; volunt enim Decalogi præcepto Deum prohibuiſſe, ne ſculptile adoremus. Quod præceptum tamen eo modo, quo intelligi adoratio debet, tam pictum, quàm ſculptile pari prohibitione perſequitur.

Conciones.

Concionatorum munus Rutheni hucusque ſemper damnârunt, quòd ii, quorum officium eſt, ex cathedra dicere, inutilem verborum elegantiam affectent magis, quàm verbum Dei prædicare intendant. Hunc tamen Evangelii manifeſtandi morem etiam noſtra tempora Ruthenis probare videntur. Nam & inter ipſos inveniuntur, qui ſuâ conſiſi ſcientiâ publicè in Eccleſia non Evangelium, aut Sacram Scripturam (quod quondam moris fuit) prælegant, ſed eloquentiam in dicendo præſeferant, arte, & propriâ induſtriâ concinnatam.

Cultus Deiparæ.

Deiparam devotiſſima pietate colunt, & Sanctos Dei venerari æquum ducunt, & utile. Sanctum Nicolaum præcipua in veneratione, & honore habent. Indè bis in anno Sancti hujus feſtivitatem ſolenniter celebrant.

Purgatorium.

Locum tertium credunt, in quo usque ad extremi judicii diem omnes detineantur. Neminem ad cælum admitti, niſi ſententiâ in publico illo, & noviſſimo tribunali latâ; quâ dignus pronuntia-

Digitized by Google

nuntiabitur quilibet, qui cæleſti præmio potiatur. His ajunt ſuffragia prodeſſe: indè pro fidelibus defunctis orare, aut bona opera exercere proficuum, & valde meritorium exiſtimant.

Patriarcha.

Viſibile caput Ruthenæ Eccleſiæ eſt. Metropolitas, Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, & Archimandritas ſub ſe habet. His quocunque incedant, pedum paſtorale cum Cruce præferri ſolet. Nemo ex illis matrimonii capax eſt; omnes enim ex monaſteriis deliguntur.

Monaſteria.

Monachos habent, & Moniales, quorum vitæ auſteritas, jejunii frequentia, rigor, paupertas Religioſorum noſtrorum diſciplinam crudelitate excedit, non pietate. Ubi enim tempus jejunii eſt, corpus adeò macerant, ut etiam nefas habeatur, ægrotis adhibere medicinam; elapſo autem jejunii tempore omnem licentiam uſurpant, ganeonibúſque, quàm Monachis ſimiliores ebrii bacchantur in plateis, & omni pudore exuto, ſæpe inveniuntur publicis in plateis laſcivientes. Longâ nigrâque togâ, appenſo ad collum cucullo induuntur. Vilis omnibus amictus; qui verò officiis in monaſterio conſpicui ſunt, pretioſiùs veſtiuntur. Tria quoque vota emittunt; caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ. Litteris imbuti non ſunt, aliquando Poloni ad eorum Schiſma deficientes, iis cætibus immiſcentur, qualem inveni in monaſterio ſex miliaribus à Moſcua diſſito, & vulgò Hieruſalem nominato.

Poppæ ſeu Sacerdotes.

Per impoſitionem manuum ordines conferuntur, novitérque ordinandi capiti vittam imponunt, quam Skuffiam vocant, à Patriarcha benedictam, exactiſſimâ diligentiâ cuſtodiendam; qui etenim caſu etiam ejus jacturã faceret, indignus Sacerdotali Officio cenſeretur. Si fortè laicorum aliquis in jurgiũ cum Poppa incidat, admodum cavere debet, ne vittam coinquinet: Poppam percuſſurus, debito cum reſpectu eam capiti demat, & interim decenti in loco collocet neceſſe eſt; tum impunè, & ad libitum Sacerdotem percutit; nulla lex, nulla pæna, aut excommunicatio eum perſequetur, dummodo poſt verbera, & ictus vittam antea detractam debita cum veneratione denuo capiti imponat. Sic honoratâ vittâ character ſalvus eſt; neque ſuadente diabolo percutit, qui eo modo dignitatem Presbyteralem veneratur, & ſolam hominis perſonam ulciſcitur. Poppas omnes uxores habere oportet, neque Sacerdotis munus exercere poteſt; niſi matrimoniali vinculo ligatus ſit; Virginem autem, vel mortui cu-

juſdam

Digitized by Google

juſdam Poppæ viduam ducat, neceſſe eſt. Si alterius viduæ matrimonio jungeretur, irregularis eo ipſo, & inhabilis redderetur. Mortua autem uxore ad ſecunda vota Poppæ tranſire non licet, neque ſinè uxore adcelebrandum, aut ſacerdotale beneficium idoneus eſt; veſperas quidem cantare, & alios minores Eccleſiæ actus exequi, ad aram verò facere non poteſt. Ita ut uxor ſit requiſitum ſubſtantiale, quæ modò qualificat in Ruthena Eccleſia ad exercitium Presbyteratûs; exceptis Monachis, quorum ex inſtituto eſt in ſolitudine, & ſinè conſortio vivere. Quibus Patriarcham, Metropolitas, Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Archimandritas, alióſque adjicias, qui omnes ex Monachis eliguntur. Licet tamen Poppis, modò Presbyteratui renuntient, ſecundam uxorem ducere. Unde ſæpiùs ſolet contingere, ut quos veneratus es hoc anno Poppas, altero videas ſutores, ſartores, & carnifices. Vulgus, dum Poppis in plateis occurrit, crucem, & benedictionem reverenter efflagitat, quam illi ſua ſanctitate ambitioſi petentibus publicè impertiuntur. Plebe tamen vix modeſtiores ſunt; ebrii enim frequenter urbis compita obambulant deteriores iis, quos ſuo exemplo ad virtutem, & pietatem ratione ſtatûs tenerentur accendere. Crucem, quocunque pedem moverint, ſecum ferre conſueverunt. Dolendum, quòd pretioſiſſimum Redemptoris noſtri ſignum, quod viliſſimi homunciones geſtant, cum marcidis, & nimio epoto cremato titubantibus in cœno, & luto ſæpe volutari debeat. Nullam gentem credo tot ſignis exterioribus, & ad veram pietatem compoſitis, támq; ſpecioſis probi animi larvis inclareſcere, quàm nationem hanc, quæ proinde ſimulatione, fraude, fallaciis, & efferatiſſimâ ad omnia ſcelera audaciâ facilè omnes univerſi orbis populos longè exſuperat. Neque hæc odio dicta ſint, ſed vera genuináque indicia, quivis infallibiliter deprehendet, ſi occaſionem frequentioris cum iisdem commercii nactus fuerit. Popparum in Moſcoviæ Metropoli numerantur quatuor millia, qui ſinguli ſuis redditibus honeſtè poſſunt ſubſiſtere.

Dies feſti.

Quot per annum dies, totidem ferme in Ruſſia feſta numerant, quæ tamen alterna feſtivitate ab urbis partibus celebrantur, ut una feriante, laboret altera; feſta verò majora, Nativitatis Reſurrectionis, Aſcenſionis &c. ſimultanea devotione obeunt, quæ perpetua, & inamœna campanarum pulſatione indicant. Si campanarum ſonitus, & formatæ Crucis externa pietas ad veram pietatem Chriſtianam ſufficit, multos hodie Chriſtianiſſimos

Digitized by Google

mos nobis daret Moſcovia. Diebus feſtis matutino tantùm tempore à laboribus abſtinent, ſumo mane, & plerumque ante diem in tenebris ſua ſacra peragunt, ipſum diem, ſi non operis, ſaltem debacchationibus conſecrant, ut ſemper incendii periculum timendum ſit, quoties Rutheni feſtum celebrant, aut (ut ipſi vocant) braſnick.

Sepultura.

In mortuis ſuis ſepeliendis multas ceremonias adhibent: ſuperſtitioſas juxta, atque profanas fæminas conducunt, quæ emptis gemitibus funus proſequantur. Intra ſarcophagum abdunt litteras commendatitias ad S. Nicolaum, quem cæli janitorem opinantur; in illis litteris autem aſſeverat Patriarcha: mortuum Chriſtianè vixiſſe, & in fide vera Ruthena laudabili conſtantia extremum ſuum diem obiiſſe. Dum terræ infertur cadaver, Poppa de moriendi neceſſitate brevi ſermone præmiſſo primus terrâ ſepeliendum donat, præter orationes pro defunctis, poſtquam jam cadavera terræ ſunt mandata, ante ſepulturam adhibent fæminas, quæ magno ululatu planctum faciunt, & mortuos ingentibus vociferationibus interrogant ethnicorum more: cur ipſis moriendum fuerit? cur tam citò ſuaviſſimas conjuges, dilectiſſimas proles deſeruerint? quid defuerit? an cibus? an potus? diverſos denique cibos apponunt ſepulchro, inter pauperes, qui frequentes circumſtare ſolent, dividendos, quod pro dilectione, & charitate in defunctos ſæpius per annum repetunt.

Maslaniza.

Carnevale Itali, Bacchanalia latini, noſtri in Moſcovia Germani die Butter-Wochen appellant; quia eâ ſeptimanâ eſu carnium prohibito adhuc butyro veſci licet; reliquo enim quadrageſimalis jejunii tempore ſolo oleo lini utuntur.

Abſtinentia, & Jejunium.

Diebus Mercurii, & Veneris ab eſu carnium abſtinent; quatuor autem præterea illis per añum jejunia ſunt, 1mum. A Dominica Quadrageſimæ usq; ad Paſcha. 2dum. A Dominica poſt Pentecoſten usque ad feſtum Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli. 3tium. A prima Auguſti uſque ad feſtum Aſſumptionis Beatæ Virginis. 4tum. A decima Novembris usque ad Nativitatem Chriſti. Primum omnium ſtrictiſſimum eſt, quod, quia cæteris in longius protrahitur, longum jejunium nominant. Jejunii tempore non ovis, non butyro, non caſeo uti licet. Nullâ ætatis, nullâ valetudinis curâ ſanctius ipſis videtur mortem jejunando oppetere, quàm ovorum, aut carnis refectione vitam ſervare.

Digitized by Google

vare. Quin ipſi etiam Medici, antequam ad medendi munus admittantur, juramento ſe obſtringere debent, tempore jejunii Moſcis ægrotantibus nunquam medicinam aliquam adhibituros, ad quam diluendam ova, caro, lac, butyrum forent neceſſaria; non obſtante, quòd evidenter prævideant, ægrotum ſinè talis pharmaci fruitione, & uſu propediem moriturum. Ex qua auſteritate, & indiſcreta præcepti jejunii obſervatione meritò anſam arripio, Eccleſiam Ruthenam non veram & genuinam Matrem, ſed novercam, & adulteram pronunciandi.

Regimen publicum.

Urbium Magiſtratus non conſules, aut optimi civium obtinent, ſed Juri dicundo Diack à Tzaro præficitur. Is cum adjunctis ſibi ſcribis Pricaſſam (id eſt Cancellariam) conſtituit; ad hanc omnes cauſæ devolvuntur. Præter indiculum, in quo præſcripta ſunt temporum momenta, judiciorum formulæ, & quædam hactenus practicata jura nullam habent legem ſcriptam; ſed voluntas Principis, & Senatûs Judicium ſuprema lex eſt. Spargunt quidē ab uno Diacorum in librum redacta eſſe, quæ jura, ſtatuta, decreta, ſententias, leges latas, & conſuetudines in Moſcovia longiſſimo tempore obſervatas invenerat. Verùm ea legum congeries vim, & authoritatem legis necdum adepta eſt, neque ſecundùm eandem Judices oportet pronunciare. Anno 1647. Magnus Dux Alexius Michalowicz per conſiliarios ſuos leges colligi, & in ordinem redigi fecit, quem librum Soborna Ulaſienia vocant. Sed novus Rex novam legem condit, cùm ſola Principum placita in Regno jure deſpotico legis habeant vigorem. Actiones ſuas in hunc ferè modum inſtituunt: Actor per libellum ſupplicem explicat, à quo, quantùm læſus ſit; & impetratâ veniâ per *wepis* id eſt indultum judicis, per apparitorem (priſtafillis) in judicium reum vocari curat, qui cogitur fide jubere, ſe dicta die Judici ſtiturum; alioquin licet apparitori eundem, quibuscunque modis poteſt, detinere. Uterque autem tam actor, quàm reus propriam cauſam agit, nullo Procuratorum, aut Advocatorum ſubſidio. Si cauſa teſtibus declarari non poſſit; Sacramento terminatur. Nam cum Judici non ſatis liquet, utra pars jure nitatur, ſolet alterutrum rogare, an Crucem oſculando firmare velit, ſe verum dicere. Quòd ſi annuat, ſtatim ad templum ducitur, & Cruci oſculum figens cauſam ſuam obtinet. Hanc Crucis oſculationem Chrenſtinam Chelovaniam vocant, & tanti æſtimant, quanti jusjurandum. Hinc perduelles, perjuros, & fœdifragos vocant Crucis tranſgreſſores. Quòd ſi ambo ad id parati ſint, forte cauſam dirimunt; qui causâ cadit, niſi ſtatim

 cre-

Digitized by Google

creditori ſuo ſatisfaciat, ad locum publicum ducitur; ubi ejuſmodi condemnati ſingulis diebus manè ab hora octava ad undecimam miſerum in modum fuſtigantur. Si verò per annum integrum ita fuſtibus ſubacti, ſolvendo non ſint, uxores, & liberi veneant neceſſe eſt, donec creditori ſuo reddant ultimum quadrantem.

Qui primâ querelâ Judicis aures occupat, plerumque in iniqua etiam cauſa triumphat; nullæ enim rei partes favorabiles ſunt. Nec accuſatio à condemnatione multùm diſtinguitur: quid quid ad defenſionem ſui reus proferat, vix fidem, aut vacuas aures inveniet.

Intentionem autem ſuam probare teſtibus ſolent, quos levi pretio emunt; ille quoque meliorem cauſam habere cenſetur, qui numero teſtium adverſario ſuo potior eſt. Munera etiam, dona, largitiones multùm cauſæ patrocinantur, nihil in Pricaſſis expeditur, niſi prius Diacis, & ſcribis auro, argentóve placatis. Harpyis longè rapaciores ſunt, & corruptiſſimi moris conſuetudine nemo ſalarium annuum extorquere poteſt, qui non antè omnes in Pricaſſa officiales à Diaco ad ſcribarum viliſſimum usq; è ſalarii quantitate nummis ſibi propitiaverit. Qui teſtes emere, aut Diacos, & ſcribas ſibi auro conciliare nequit, peſſimo fato litigat; opprimetur cauſæ Juſtitia, & corrupti judicii iniquitas ex albo nigrum, & ex nigro album facilè efficiet.

Debitum non teſtes, ſed chyrographum, ſubſcriptio, & ſigillum probant. Si debitor moroſus mutuò acceptum reſtituere differat, apud Pricaſſam, cujus jurisdictioni debitor ſubjectus eſt, tanquam apud judicium competens creditor ſe inſinuat, & ope ſupplicæ Præſidi Pricaſſæ exhibendæ, petit debitorem citari; ſi citatus compareat, ad debitum, quod creditor legitimè probaverit, quamprimùm exſolvendum efficaci juris remedio adigitur. Si autem citatus non compareat, ubicunque inventus capitur, & vi rapitur ad tribunal. Potior jure eſt, qui liberalior ad munera, æquum, & iniquum venale eſt, nullo tamen certo pretio; plus offerendo comparari ſolet. Miſeram debitoris ſortem, ſi defenſionis ſuæ momenta multis nummis non ſint deaurata; argentum probat, non argumentum: illo deficiente ad ultimam penè calamitatem condemnatur; tenuibus baculis acutiſſimo dolore pulſantur poplites in turri, quæ moroſis debitoribus carcer eſt, ſingulis ſæpè diebus repetitur fuſtigatio donec ſolvat, aut de ſolvendo caveat. Ubi verò neutrum præſtare poſſet, multis verberibus ſubactus pro quantitate debiti, frequenter cum uxore, & liberis creditori adjudicatur. Servitutis enim jura apud Moſcos necdum ſublata ſunt.

Civi-

Civiles caſtigationes, & mulctæ ſunt mulcta pecuniaria, batoccæ, & knuttæ: pœna pecuniaria, niſi conſuetudine, aut edicto definita ſit, arbitrio Judicis variat, & ſæpe major minórve eſt. Batoccæ duo tenues baculi ſunt, quibus reus aliquando ad mortem cæditur; detractâ enim tunicâ ſolo interiori induſio tectus in terram projicitur, unus capiti, alter pedibus inſidet, ut corpus movere nequeat, quem deinde ſic in terram extenſum eò usque fuſtigant, donec adſtans Cancellarius verbo, aut nutu verberum finem faciat. Knutta flagellum eſt adeò ſævum, ut primum ictum, quô nuda cutis affligitur, ſanguis ſequatur, & vulnus relinquat, unius digiti latitudinem ſua profunditate adæquans. Hanc pœnam, quatenus civiliter accuſatum perſequitur, Tzaream gratiam vocant, & eâ caſtigatus *per ſpaſsivo* grates agere tenetur, neque ullâ infamiâ laborat, adeò, ut huic pœnæ ſe ſubjiciat, quisquis eandem caſtigato quacunque occaſione audet exprobrare. Pœnalis verò, & criminalis vindicta eſt, ſi fuſtigatus deportetur in Sibiriam. Idem flagellum etiam torturæ locò ad eliciendam veritatem adhiberi ſolet.

Injuriarum accuſatus ad ſolvendam Biszeſtiam tenetur, id eſt mulctâ pecuniariâ læſi honoris culpam redimere. Singulis ordinibus ſua taxata *reclade* eſt, videlicet determinata pecuniæ quantitas, quam ſolvere oportet, qui injuriam inferre præſumpſerit. Qui Bojarinum, Chiliarcham, Medicum perſonæ contumelioſè inſectatus fuerit, in pœnam incidit duorũ millium imperialium; horum enim honorem eadem *occlade* omnimoda paritate tuetur; licèt nec Medicis, nec militum Chiliarchis ſemper illibata conſtet authoritas. Injurioſus in uxorem Bojarini condemnatur ad duplum ſupra appoſitæ pœnæ ordinariæ. Probroſus in liberos ad dimidium mulctæ, quâ Parentis exiſtimationem jura ſanxerunt intemeratam.

De Moribus Moſcorum.

Gentis omnis Moſcowiticæ major ſervitus eſt, quàm libertas; omnes enim cujuscunque conditionis ſint, nullo reſpectu perſonarum habito, duriſſima ſervitute premuntur. Qui ad ſecreti conſilii dignitatem admiſſi, glorioſo Magnatum nomine primos poſt Principè titulos non temerè ſibi arrogant, iis ſplendidior ſerviendi neceſſitas, impoſita aurea ſunt vincula, tantò acerbiora obnoxiis, quantò inſolentiùs oculos feriunt, & ipſo ſuo fulgore ſortis ſuæ vilitatem exprobrant, in quam producti ſunt. Qui in ſupplica, aut exarandis ad Tzarum litteris in gradu poſitivo nominis ſubſcriptione uteretur, eum læſæ Majeſtatis publica ultio perſequeretur. Diminutivis utendum eſt, v. g. qui Jacobus vocaretur, ſe

Digitized by Google

ſe Jacobulum non Jacobum ſcribere debebit. Credunt namque Majeſtatis ſupremo culmini multùm derogari, niſi ſupplicaturi nominis imminuti humilitate Principem decenter revereantur. id Architecti bellici Laval peccatum fuit, quo odium Tzari meruiſſe Miniſtri contendebant. Se Cholop, ſeu Magni Ducis abjectiſſimum, viliſſimúmque ſervum ſcribere oportet, compellaréq;, & bona ſua omnia mobilia, & immobilia, quæ poſſidet, non ſua, ſed Principis eſſe agnoſcere. Cujus rei egregium executorem Principem habent, qui ſic Patriâ, civibúsque utitur, ut abſoluta, nullis terminis, nulla lege circumſcripta poteſtas pateat ea libertate de rebus privatorum diſponendi, quaſi ſui unius causâ natura hæc omnia produxiſſet. Premat igitur ingenia ad ſervitutem nata, ferántque Moſci illam ſortem, quam Numina dederunt.

Populum litterarum rudem virtutum diſciplina deficit, quâ animum excolant; paucis morum politiorum ſtudium, aut imitatio eſt. Joannes Barclajus in icone animorum gentis mores fuſiùs deſcribit: ſervituti gens nata, ad omne libertatis veſtigium ferox eſt; placida, ſi prematur, neque abnuunt jugum; ultrò fatentur Principi ſe ſervire. Illi in ſuas opes, in corpora, vitámque jus eſſe. Sordidioris reverentiæ humilitas Turcis non eſt in ſuorum Ottomanorum ſceptrum. Cæteras quoque gentes ex ſuo genio æſtimant, hoſpites ſive ſorte, ſive conſilio in Moſcoviam advectos ad idem jugum damnant, & ſervire ſuo Principi volunt. Si quos furtim abeuntes retraxerint, ut fugitivos plectunt. Magnatibus, licèt ipſi ſerviant, in minores ſuos, & plebejos, quos per contemptum nigros homines, & Chriſtianos communiter appellant, intolerabilis faſtus eſt, & vulgus horum maximè ſupercilium timet.

Nullis bonis artibus imbuti ſummam ſapientiæ gloriam in fallaciis ponunt. Mendaciorum nulla verecundia, nullus fraudis detectæ pudor; adeò ea ex Regione veræ virtutis ſementa proſcripta ſunt, ut ipſum vitium famam virtutis obtineat. Neque tamen velim intelligas, omnes omninò Regni hujus incolas pari rerum ignorantiâ, & ſuperbiâ eandem virtutis habere rationem; inter tot lolia creſcunt ſalubres herbæ, & ſuaviori odore purpurantur roſæ inter fœtidam ceparum luxuriam, in majorem virtutem magis anxia ſollicitudine effloreſcentes. Sed pauci ſunt, quos æquus amavit Jupiter, aut fulgens evexit ad æthera virtus. Qui proinde adeò eminent, ut non niſi imperitos, & vitiorum mole obrutos lateant raræ hæ faces. Cæteri inculti, tardi, hebetísque ingenii ſunt, toti quandoque in advenarum contempla-

tione

Digitized by Google

tione hærent, ut diductis rictibus, oculíſque ſuorummet obliviſcantur. Ii tamen in horum numero recenſendi non ſunt, qui uſu rerum, negotiíſve lævigantur, aut nupera profectione docti ſunt, ſolem non unius Moſcoviæ anguſtiis incluſum eſſe.

In ſcholis ſiquidem ſolus Præceptorum labor eſt, ut tyrones addiſcant litteras formare, & componere. Summus doctrinæ apex eſt, aliquos fidei ſuæ articulos memoriæ imprimere.

Artes liberales tanquam ſupervacanea Juventutis tormenta contemnunt, Philoſophiam prohibent, Aſtronomiam magiæ nomine mactatam ſæpe publicè ulti ſunt. Nefas eſt inferri in Moſcoviam Calendarium Aſtronomi Vogtii, ex quo generali hac propoſitione: Moſcau wird ſeinem Unglück auch nicht entgehen / Moſcis rebellionem præſagiit. Dicunt impiæ arti acceſſiſſe nefandorum geniorum commercia, his ſuggerentibus, & monſtrantibus, ea interdum Aſtronomos de futuro conjicere, quæ ſupra mortalium ingenium eſſent. Meliorem Regni formam variis artibus, & ſcientiis effingere laborat Tzarus; ſi conſilii prudentiam boni ſucceſsûs felicitas adjuverit, mirabuntur brevì pulcherrimam molem, mapalia quondam; niſi fortè fatorum iniquitas, populorum defectio, aut ipſa ingeniorum barbaries ferre felicitatem ſuam nequeat, aut tantam fortunam invideat poſteris, nolítque modò labores ſecuturæ ætati profuturos. Necdum longi temporis ætas eſt, ex quo Poloni cujusdam induſtriâ typographiam habent, præter Ruthenicum idioma verò nullius alterius linguæ characteres typis dantur; Rutheni autem characteres à Græcis non multùm diſcrepant, à quibus legere, & ſcribere docti ſunt. Cum iisdem non impari grammatica, & verborum conſtructione utuntur. In eadem domo, in qua typographia erecta eſt, aliquot Græci Sacerdotes Tzareis ſumptibus aluntur, qui linguam Italicam volentes docent.

Numeros ſuos diverſa ab aliis gentibus ratione ineunt, & diſtinguunt, tabulam habent multis granorum ordinibus diſtinctam, quorum uſu, mirabili celeritate ad ſummum, certúmque numerum deveniunt. Nihil is modus à nummis differt, quos aliæ quoque gentes adhibere ſolent, dum varia eorundem collocatione diverſos numeros exhibent.

Quamquam muſicam ipſi non calleant, ejus tamen harmoniam amant. Ludendi periti externi adſunt, quos fovent, dum canunt, concentu enim ſatìs delectatis, parſimonia in memoriam redit, & diſplicet paucarum horarum gaudium annuis ſumptibus emere. Neque uſitata apud Europæas Aulas Nobilium exercitia Moſcuæ vigent. Frænandis nullus equis, nullus pugi-

 latu

Digitized by Google

latu eſt nobilis, nulla artis ſaltatoriæ gloria, et ſi quæ ars alia hodierni ſæculi genio valet apud gentes, glorioſo impetu ad laudem incitatas.

Judæos in Moſcovia non tolerant, niſi baptizatos, rationem ipſimet adſtruunt: abſonum ſcilicet Moſcis videri, Religione eos à ſe differre, quorum mores, aſtutiam, & callidiſſimas decipiendi artes non diſſimili laude exercent, & exprimunt.

Plurimùm utuntur thermis, & Caldariis; cum Turcis enim contractam ex concubitu maculam balneo abſtergere conſueverunt. Hæc hyemi inſerviunt; æſtivis menſibus fæminis immixti mares fluminibus innatant toto corpore nudi, nulla ſexûs verecundiâ, nullâ ſenii, aut innocentis ætatis diſtinctione habitâ. Eadem impudentiâ, nullâ ſubuculâ tecti, ex aquis in gramina proſiliunt, neminis aſpectum veriti: quin ipſæ etiam puellæ nudi corporis ſpeciem ſinè fronte prætereuntibus objectant, non mediocre libidinis incitamentum. Meritò porrò ambigitur, utrum major ſit eorum ſævitia, an luxuria, & improbitas: nam ſcortationes, adulteria, & ejusmodi facinora omnem ſuperant modũ; cùm vix pœna ulla legibus conſtituta ſit in ejuſmodi delinquentes. Indè Capitaneum quendam ob nefarium cum filia ſua octenni comercium ad capitis pœnam damnatũ, hiſceCampi-Dux objurgavit: cur libidinem tuam non in alias exercuiſti? cùm tot ſcorta, & meretrices habere potuiſſes, quot kopicas, aut altinos exſolviſſes.

Jura ſervitutis apud Moſcos in uſu ſunt, hos captivitas, alios nativitas, multos Patris, aut ſui ipſius venditio ſervos facit, qui à Dominis morituris manumiſſi, ſervituti aſſueti aliis Dominis in ſervitutem ſe dedunt, aut pecuniâ acceptâ ſe mancipant. Homines etiam liberi, qui Dominis certa mercede ſerviunt, non poſſunt quando lubet à Dominis ſe abdicare; ſi enim quispiam abſque Domini voluntate abierit, ab alio in famulatum non aſſumitur, niſi fuerit à priori Domino, vel ab illius amicis, qui pro fidelitate ſervi ſpondeant, commendatus. Patria quoque poteſtas ſatìs ampla eſt, & nimis dura in filium, quem quarta etiam vice rectè vendit: Ita ut ſemel venditum, quocunque tandem modo liberatum, vel manumiſſum à Domino, iterum atq; iterum jure Paterno Pater poſſit vendere; poſt quartam autem venditionem nihil ampliùs juris in illum Patri permittitur. Hodierno verò rerum ſtatu, cùm Moſcua Principem nacta ſit, qui animum præcipuis naturæ dotibus imbutum ad magna ſemper, & eximia impellit ſtimulis gloriæ; futurum fore autumant, ut Parentibus tam cruda in filios poteſtas mitiori lege abrogetur. Licèt gens ipſa libertatis impatiens reclamare videatur fortunæ, in

quam

Digitized by Google

quam non eſt genita, & ſervili conditioni aſſueta vix paſſura ſit, prudentem, & piam Principis, pro Regnis, & ſubditis ſuis ſollicitudinem ad effectum abſoluta felicitate traduci. Fidem vix non ſuperat, quod de gentis pertinacia ad exquiſitiſſimos cruciatus invicta memorant. Ante peregrinationem Tzari, complex quidam rebellionis anno 1696. quater acutiſſimæ torturæ tormenta pertinaciter ſinè ulla ſceleris confeſſione ſuſtinuerat. Advertens Tzarus tormenta nihil proficere, ad blanditias converſus eſt, & oſculo inquiſito dato, ſic eum allocutus eſt: Me non latet, te tentatæ contra me perfidiæ conſcium eſſe. Satis pænarum dediſti, fatere modò ultroneè ex amore, quem Principi tuo debes; per eundem Deum, cujus ſingulari gratia Tzarus, & Princeps tuus ſum, juro, non ſolùm omnem culpam tibi remittere, ſed inſuper in ſpecialis clementiæ meæ teſtimonium te Colonellum facere. Flexit duriſſimi hominis ferociam inaſſueta auribus ſuis tanti Principis comitas, libertatéque capta Tzaro ſuo oſculum reddidit; ſic palam loqui orſus: hoc ſummum mihi tormenti genus. Nullo alio pertinaciam meam ſuperâſſes, longóque conſequenter ordine totam proditionis ſeriem confeſſoria narratione expoſuit. Raptus in admirationem Tzarus mutum ad tam terribilem torturæ immanitatem hominem una comitate demulceri potuiſſe; percontatur ex eo: quomodo tot knuttarum ictus, & tam inhumanam ignis tergo vulnerato admoti crudelitatem pertuliſſet? aliam, magisque ſtupendam enarrationem inchoavit: ſe aliósque complices ſuos ſocietatem quandam inſtituiſſe; nemo ad eandem admiſſus, niſi prius tortus; qui majores potuit ſufferre dolores, ipſi deinde à cæteris majores etiam decretos fuiſſe honores. Semel excarnificatus, ſimpliciter tantùm ſocius fuit, & communium bonorum particeps, qui honorum gradus, quos diſtinctos habuiſſent, appetiiſſet, antè eos adipiſci non poterat; niſi novis ſuperatis cruciatibus, iisque ſecundùm dignitatum gradus majoribus, ſe pati poſſe docuiſſet. Se ſexies ab iis tortum, ſummæ rerum præfectum ab omnibus. Nihil eſſe knuttas, nihil illam poſt knuttas aſſationem, multò crudeliores dolores ſibi apud ſocios fuiſſe perferendos. Nempe pergebat: acutiſſimus dolor eſt, quando ignitus carbo auribus imponitur; nec minor, quando in raſum caput, ad duas ulnas elevato loco frigidiſſima aqua guttatim, lentóque lapſu præcipitatur. His omnibus ſe ſuperiorem, & ſociis ſuis fuiſſe; qui autem ad ſocietatem ſuam aſpirantes prima ſtatim tormenta perferre nequiviſſent, hos ne ipſi proderentur, veneno, vel alio quocunque comodo modo è vivis ſublatos. Quantùm recordaretur, ad minimum quadringentos ſimiles ineptos ſocieta-

tis

Digitized by Google

tis candidatos à ſe, & ſociis ſuis occiſos fuiſſe. Sic iſte decies inauditos cruciatus ſuſtinuit, ſexies à ſociis, quater in inquiſitione à Tzareo Judice, adhuc vivit, & (uti ſuperiùs appoſui) ex Tzari clementia in officio Colonelli conſtitutus in Sibiria degit. non diſſimilis pertinaciæ caſus contigit, cùm Tzarea Majeſtas Viennâ Moſcuam reverteretur. Jam ſuperata Urbe Smolenſcio, Reſidentiæ ſuæ appropinquaverat, cùm ex familia Tzarea unus, neſcio cujus flagitii metu ſibi fugâ conſuluit, inquirentes nullum fugæ, nullum arreptæ viæ indicium deprehendunt. Ultimo è proxima villa colonus affert: ſe quidem de fugitivo nihil certi ſcire; equum autem in vicina domo conſpexiſſe. Detinet delatorem Tzarus, & Dominum Adamum Weyd qui certiora referret, ad ſignificatam domum expedit. Ille equo viſo redux Tzaro delationis veritatem confirmat. accerſitur igitur ruſticanæ ædis herus, quem Tzarus comibus verbis de homine, & equo interrogat. Sed negat villanus, ſibi, quantùm ſciret, domi equum eſſe; ſeriò quæſtionem Tzarus repetit, at iſte pernegat; urget Tzarus: meminiſſet ſe Principem, membrorum Dominum, vitæ, neciſque poteſtatem habere; ſed dura cervix tanta comminatione nihil movetur; projectum ergo humi terribili nodoſo trunco à calce ad caput horrendum percuti Tzarus imperat. Cùm interrogatus adhuc nihil fateretur, fortiſſimi ictus à capite ad calces repetuntur. Aſt non frangitur hominis contumacia; verſum ergo denuo verberibus delumbant; verùm ad omnia trunci nodoſi horrenda interrogatoria cum pertinacia inficiandi truncus jacuit ruſticus. Tam obſtinatâ pertinaciâ Moſcorum animi indureſcunt, ut nullis tormentis, nullâ præſentis Principis authoritate flecti valeant ad evidentiſſimæ veritatis confeſſionem; compertum enim paulò poſt veris indubitatíſque indiciis: Hunc eundem ruſticum retento equo, fugitivum cum fratre ſuo tanquam viarum monſtratore per ſemitas occultas ultra Smolenſcium expediviſſe.

De Luxu fæmineo.

Fæminis in Moſcovia forma elegans, & ſpecioſus oris decor eſt; nativam autem pulchritudinem fucus corrumpit inutilis. Corporis, cui nullis veſtimentorum anguſtiis incluſo libertas manet utcunque excreſcendi, non ea ſemper apta, & concinna proportio eſt, quæ cæteras Europæas commendat. Subuculas geſtant omni ex parte auro intextas, harum manicæ mirabili conſuetudine complicatæ octo & decem ſæpè ulnas longitudine ſua ſuperant, earum cincinnos concatenata criſpatione ad manum extremam provolutos armillarum venuſtas, & pretium ornat.

Ex-

Exterior amictus veſtitui fæminarum orientalium convenit, tunicæ pallium ſuperaddunt; ſerico, & pellibus ſæpe decorum; inaurium, & annuli creber, uſitatúsque luxus eſt. Nuptæ aut viduæ pretioſis pellibus caput tegunt, puellæ ſola fronte divite ligamine obfirmatâ nuda capita circumferunt, capillis ad humeros defluis, & in artificioſos nodos ſuperbâ elegantiâ compoſitis. Quibus aliqua dignitas, aut honeſta conditio eſt; conviviis intereſſe non ſolent; imò nec ordinariæ menſæ cum maritis accumbunt. Videri tamen poſſunt, cùm ad templa, aut ad amicos ſuis in curribus progrediuntur; contumaci enim uſui multùm derogatum eſt, quo currus, quibus fæminæ incluſæ erant, ita tegebantur, ut uni mancipatæ, oculorum quoque libertatem amiſerint. In præcipuis pariter honoribus habent, ſi maritus ad hoſpitis conſpectum uxorem ſuam, aut filias admittat; quæ concham vino aduſto repletam offerentes, hoſpitis ita culti oſculum exſpectant, eóque ſatis pro more gentis propitiatæ cum ſilentio recedunt, quæ mutæ advenerunt. Nihil authoritatis in ædibus uſurpant, domi ſervis hero abſente rerum domeſticarum curam, ſinè uxoris conſenſu, aut præſcitu, ad fidem, vel arbitrium ſuum plenè adminiſtrantibus. Multos autem puellarum greges nutriunt, quibus pinguior ſupellex eſt; nullas penè ad operas conductæ, niſi quas uxor leviſſimas exigit; cæterùm domi concluſæ interdum fila ducunt, & telam texunt. Otioſa omnibus vita eſt, ut conſuetudo reprehendenda non ſit, quæ miſellas ad tam frequentem balnei reiterationem condemnavit, ut ipſius ſaltem otii alternatione pigritia interrumperetur. Si nobilioris viri uxor fœtum enixa fuerit, id quamprimùm officialibus, & mercatoribus, ſat quæſtuoſa civilitate ſignificant. Qui viri potentiam formidant, aut patrocinium ambiunt, acceptâ novæ generationis notitiâ in reciprocæ humanitatis ſpecimen gratulatum veniunt; datóque puerperæ oſculo donum aliquod in natæ ſobolis memoriam afferunt. Verùm caveant, ne minus aureo donent, id enim in vilipendium vergeret. Ad majora autem munera penes cujusvis liberalitatem plena libertas eſt. Amicorum optimus cenſebitur, qui inventus fuerit omnium maximè liberalis, quod poëta jam olim de vulgo cecinit, Moſcis æquiùs accomodo: Moſcus amicitias utilitate probat. Virorum in ſe benevolentiam ex verberum numero æſtimare fabula eſt; & ſæva ingenia à mitibus diſtinguere, dicto meliùs noverunt: eluctarentur ſanè illâ, quam viris ſuis debent, viliſſima captivitate, modò veteris abdicandæ conſuetudinis gravis author foret. Moſcis quartam conjugem ducere piaculum eſt, hinc tertia, quàm optimè haberi ſolet, duæ

 verò,

Digitized by Google

verò, quæ præceſſerant, mancipiorum inſtar tractantur, cùm novi matrimonii ſpes, & inordinata cupiditas votum captandæ mortis inducat, & faſtidioſas efficiat primæ illecebras, ad unius fortè anni duntaxat ſpatium amatæ. Saltem in authoritatem adagii invaluit, primam Poppæ, & tertiam laici veras uxores eſſe. Quia his decedentibus ad ulteriora vota progredi non licet, & Moſci eaſdem vero maritali affectu fovent, quibus mortuis nulla præterea ſponſalia exſpectare poſſunt. Aliqui tamen potentiores diſpenſationem Patriarchæ ſibi quartam jungendi extorquent; qui ſi non negat, improbat tamen ſacrilegas nuptias, legis prohibitivæ immutabili authoritate nullas. Alia Coſſacorum Tanajenſium conſuetudo eſt: mulieres repudiare poſſunt ad libitum, modò in circulo totius communitatis (quem conventum Krug nominant) coram Ottomanno, & tota communitate uxorem ſuam in medium circuli adducat, ſibíque eam non ampliùs placere palàm edicat, quo dicto uxorem ſuam vertit in gyrum, & è manu ſua dimiſſam maritali poteſtate liberam pronuntiat, qui ſic dimiſſam ex adſtantibus rapit; eam uxoris locò habere, tueri, & ſuſtentare cogitur, donec novi conventûs dies adveniat. Siquidem barbarorum etiam leges repudiis modum dixerunt, ut valida non ſint, niſi in circulo, & tota communitate inſpectante facta ſint. Haud diſpares penè mores ſunt, quibus liberi homines in Turcia coram Waywoda ſibi ſervas matrimonio jungunt. Concubinatui proxima tamen hæc viri, & mulieris ſocietas eſt. Ad viri enim libitum vinculum diſſolvi poteſt, mancipium autem hoc modo in uxorem ducturus Waywodam adit, & quid intendat, edocet. Is perſonas conjuncturus à mari cingulum, ſtrophiolum verò à fæmina exigit, réque fæminæ propoſita, & dote certa promiſſa v. g. quinquaginta imperialium, dat cingulum fæminæ, & ſtrophiolum, dein diem, & quid actum ſit, annotat, quibusdam etiam in utraque perſona notis conſideratis nomina ſcribit. Si jam uxor ampliùs non placeat, denuò Waywoda adeundus eſt, eidémque res noviter proponenda, qui pro mercede duorum, aut trium imperialium (exacta priùs pro uxore promiſſa dote) à mare receptum nuper ſtrophiolum, à fæmina cingulum repetit, maríque cingulo, & fæminæ ſtrophiolo redditis matrimonium diſſolvit, & utróſque liberos dicit.

De Nuptiis.

Matrimoniorum ratio multorum ſæculorum more ſancita à cæteris nationibus non parùm abludit; maribus enim puellas, quas ambiunt, videre aut alloqui ipſis inſuetum, matrum aut alterius anûs officio procantur, ubi inter parentes (ſinè quorum conſen-

Digitized by Google

conſenſu illegitima matrimonia judicantur) convenerit, de dote deliberant; quæ pro parentum opulentia interdum grandior eſt. Nam ipſorum moribus inſolens eſt, ſponſum quidquam repromittere; neque donatio propter nuptias notum apud ipſos vocabulum eſt, verùm marito decedente nullis liberis è conjugio natis, vidua tantùm recipit, quantùm attulerit, ſi modò maritus tantùm in bonis relinquat. Si verò liberos ex illo ſuſceperit, tertiam partem bonorum capit, aut ampliùs è voluntate decedentis, dotales dein tabulas, ut ita dicam, conficiunt, in quibus puellæ parentes, aut conſanguinei fide jubent puellam eſſe incorruptam; unde plurimæ lites enaſci ſolent, ſi vel modica futurum maritum ſuſpicio ceperit, illam ante fuiſſe vitiatam. Hiſce confectis ſponſa primum munus ſponſo mittit; quod hic reciprocat. Neq; tamen adhuc mutuus conſpectus, aut alloquium permittitur. Facta de futuro matrimonio promiſſione, filiam velo lineo tectam ad ſe pater evocat, interrogatámque num adhuc conſultum habeat, nubere, novo quod ex compoſito arripit, flagello una alteráve vice filiam leviter percutit, inquiens: Ecce chariſſima filiarum, hic ultimus ictus te admonet patriæ poteſtatis, ſub cujus hactenus diſciplina vixiſti, ex mea manu nunc mitteris; memento te non tam poteſtatem exiviſſe, quàm tranſiiſſe in aliam; ſi conjugi tuo debitum morem non geſſeris, is mei locò, hoc flagello in te animadvertet, quibus Pater ſermonem ſuum finiens, ſimul flagellum ſponſo porrigit, qui ſe pro more ſuo breviter excuſans: non credere ſe, eo flagello opus fore; illud tamen acceptare, & divitis doni inſtar cingulo ſuo inſerere tenetur. Sub veſperam autē, quæ nuptiarum ſoleñia præcedit, ſponſa à matre, & aliis matronis eſſedo, aut rheda, ſi hyems fuerit, ad ſponſi ædes perducitur cum nuptialibus indumentis, & thoro conjugali eleganter parato, ibidémque noctu cuſtoditur, ut à ſponſo videri non poſſit, ubi dies nuptiarum ſolenniis deſtinatus illuxit, ſponſa velo lineo tecta à vertice capitis ad lumbos uſque à parentibus, & amicis ſuis ad templum deducitur; ſponſus item à ſuis (vehuntur autem equis, licet templum proximum ſit, ipſi etiam tenuioris fortunæ homines) ceremoniæ, & verba, quæ ſacerdos uſurpat, à cæterorum Chriſtianorum conſuetudine nihil penè differunt: annulo quoque fides firmatur, manúſque ſponſæ in ſponſi manum traditur, quibus abſolutis ſponſa accidit ad pedes ſponſi, & caput calceis illius allidit in ſignum ſubjectionis, & ſponſus viciſſim tunica ſua illam operit, ut teſtetur ſe tutelam illius ſuſcipere, tum cognati, & amici utrimque ſponſo, ſponſæq; ſeſe inclinant, ut mutuum in futurum obſequium, & amicitiam

 fo-

foveant. Denique à ſponſi patre panis ſacerdoti traditur, qui eundem quantocius tradit in manum patris ſponſæ, obteſtans illum, ut die conſtituto dotem promiſſam ſponſo annumeret, & deinceps amicitiam cum ipſo, & amicis illius inviolatam conſervet: pariter autem ſponſæ panem in plures partes frangit, & ſingulas partes diſtribuit inter præſentes conſanguineos, & affines, ut deinceps in unum veluti panem coäleſcant. Finitis hiſce ceremoniis ſponſus ſponſam manuducit ad templi veſtibulum, & cyathum plenum mulſo illi propinat. Illa cyathum acceptum ſub velo libat, atque ita cum ſuis ambo amicis ad parentum ædes reducuntur. Ubi ſub ingreſſum farre aſperguntur in ſignum fœcunditatis, & opulentiæ. Hoſpitibus convivantibus, neonuptos matrimonium conſumare oportet: poſtquam duabus, aut tribus circiter horis ſoli in lecto acquieverint, ex convivarum numero aliqui ad eos delegantur, ut ſciſcitentur ex ſponſo, num ſponſam adhuc incorruptam invenerit, ſi ſponſus affirmat exuberanti hoſpitum gaudio, multiſque tripudiis neonupti ad caldarium deducuntur, diverſis floribus, herbiſque odoriferis exornatum. Ex quo ad ſufficientem amœnitatem loti reducuntur ad templum continuandæ benedictionis uberiorem cumulum percepturi. Si verò ante vitiatam fuiſſe ſponſus conqueratur, ad parentes ſponſa remittitur repudiata. Quo indicio illis probetur virginitas, addere non patitur temporis noſtri caſtitas.

Soli, cœlique, qualitates, fœcunditas & flumina.

Solum hujus regionis, ut plurimùm eſt leve, & arenoſum, in diverſis tamen provinciis major quandóque minórve arena eſt. Regio ad Aquilonem Sibiriam, & Samojedas versùs ſita ferè infœcunda eſt, frequentia nemorum, & frigoris extremus rigor ad ſterilitatem agros damnat. Ad ripam Volgæ læta fertilitas ſolùm commendat, ſed quia Crimenſium Tartarorum continuis excurſionibus obnoxia tellus eſt, jugera inculta jacent, & Regio penè omnis incolis vacua. Meridiem verſus regiones omnes amœnæ ſunt, & fertiles, paſcuis juxta, atque arvis divites, & pluribus amnibus irriguæ. Eadem telluris eſt facies à Reſonia ad Novogrodam magnam, nec multùm diſſimilis quæ inter Moſcuam, & Smolensko interjacet, licèt crebris denſiſſimiſque ſylvis diſtincta. Cæterùm omnium harum provinciarum faciem plurimùm immutant anni tempeſtates, nam hibernis menſibus altiſſima nive teguntur, maximè tamen Aretum versùs, flumina omnia (etiam rapidiſſima) denſiſſima glacie conſtringuntur, idque continuis, ut plurimùm quinque menſibus; ab ingreſſu nimirum Novembris ad exitum Martii, & ſæpe Aprilis; tum enim primùm

primùm nives liquescere, & gelu ſolvi. Aër hisce menſibus ſupra modum eſt frigidus, ita ut guttæ aquæ in ſublime jactatæ congelentur, antequam decidant; frigus autem adeò penetrabile memorant, ut multi in ipſo foro, & alii alibi in campis iter agentes, aut penitus deficiant, aut ægrè membris exterioribus mutilati evadant: quam immodici frigoris ſævitiam noſtro tempore experti non ſumus; ideóque eam aliter non affirmo, quàm ab aliis relatam, quibus temporis mora, quam in Moſcovia perpeſſi ſunt, tantillam fidem, ut credo, authoritatémq; conciliabit. Atque hæc quidē hyeme regionū harū conditio eſt. Vere novo ineunte tanta repentè fit mutatio, ut ſylvæ ſubitò revireſcant, gramina emergant, flores emicent, ſata pullulent, aves, & præſertim luſciniæ tam ſuaviter ubiq; concinant, ut nihil ad amœnitatem addi poſſe videatur. Id autem beneficii regiones haſce à nivibus conſequi opinantur, quòd, cùm hyeme altiſſimæ ſint, & terram ubique operiant, & ſolum veluti veſte quadam contegant, & ne à frigore aduratur, foveant, vere autem ineunte, eædem breviſſimo tempore diſſolvantur, & liqueſcant, & terra, quam levem & arenoſam eſſe diximus, humorem largè & quàm ocyſſimè imbibat, & à ſolis radiis perculſa, fotáque herbas omnes quàm celerrimè protrudat. Porrò, ut frigus hybernis menſibus intenſum, ita & æſtus æſtivis menſibus Junio, Julio, & Auguſto modum excedit, quo fit, ut fruges citiùs ad maturitatem excoquantur. Præterea potiſſima Ruſſiæ pars multis fontibus ſcatet, rivulis, lacubus, amnibúsque rigatur. Denique maximorum, & altiſſimorum fluminum, quæ regionem permeant, beneficio accidit, ut Ruſſia remotiſſimarum provinciarum commercio apta reddatur. Horum præcipua ſunt. 1mum. Volga (olim Rha) Tartaris Edel quadraginta milliaribus Germanicis ſupra Jaroslaviam è lacu Volgo oritur, & plurimis amnibus undequaque acceptis ad Jaroslaviam in unius milliaris latitudinem extenditur, & porrò Occa flumine apud Niſinovogorod admiſſo in mare Caſpium pluribus, & ingentibus oſtiis ſe evolvit.

2dum. Boryſthenes hodie Neper, ſive Dneper haud longè à Moſcoviæ Metropoli juxta pagum Dnepersko oriens Ruſſiam dividit prope Oczakow tartarorum Precopenſium Oppidum à Lithuania, & ſeſe in Pontum Euxinum exonerat.

3tium. Tanais vulgò Don (antiquis limes inter Aſiam, & Europam) in Rezan Ozera oriens, recta primùm curſu per Tartarorum Precopenſium agros versùs ortum labitur, & haud longo à flumine Volga intervallo aliquot aliis amnibus auctus in Mæotidem paludem prope Azoph deſcendit. Per hoc flumen ab

 urbe

Digitized by Google

urbe Moſcua Conſtantinopolim navigatur, per amnem Moſquam in Occam deſcendendo, navi per anguſtum Iſthmum traducta, & in hunc rursùs deductâ.

4tum. Dwina in Wologda provincia ſcaturiens magno flexu circumacta, rectè deſcendit Aretum versùs, & per ſex oſtia ſe condit in ſinum S. Nicolai: coäleſcit è duobus amnibus, Jug, & Suehana unde illi nomen, nam Dwina Ruſſis binos denotat.

5tum. Duna in Novogrodenſi provincia naſcens per Livoniam labitur, & ſecundùm Rigam deſcendit in mare Balticum.

6tum. Onega. 7mum. Suchana. 8vum. Ocka. 9num. Moſcua. 10mum. Wichida præter minora plura multis, & ingentibus ſæpe alveis Moſcoviæ provincias diſcriminant.

Ex his fluminibus optimi, & aliis partibus rariſſimi piſces Moſcuam ingenti copia delati viliſſimo pretio vendi ſolent, quorum nomina & ſpecies jam ſupra recenſui. Perdices, anates, aliæque feræ volucres, quas multarum gentium voluptas cariſſimas ſæpe efficit parvo pretio veneunt, hic quoq; duobus aut tribus kopicis (facit autem una kopica duos cruciferos) perdix comparabilis eſt, nec cæteræ avium ſpecies pluribus numis comparantur. Lepores Moſci im̃undos opinantur, iis proinde veſci non poſſunt, ſed Germanis pro tribus, aut quatuor kopicis relinquunt; neq; bubula caro pluris eſt. Taurus pro quatuor aut quinque imperialibus, vitulus verò pro decem vel duodecim kopicis interdum venalis eſt; lactucam, caules, & plures alios hortorum fructus germanis docentibus, ſeminare, colere, & propagare didicerunt. Melones producit Aſtracan, nuces, & uvas Kiovia, pulcherrima verò poma & pellucida, ad multarum calidiſſimarum Regionum invidiam Moſcovia protuberat, quæ Nolivas compellant. Etſi etiam noſtro tempore remotiores Moſcoviæ Provincias aliqua panis penuria afflixerit, tanta tamen ordinaria anni tempeſtate frumenti eſt copia, ut id abundet magìs, quàm ſufficiat. Terra natura ſua ſatìs fertilis eſt, niſi gentis pigritiâ inculta ſterileſceret.

De Germanis Officialibus Mercatoribus, & Artificibus Moſcua degentibus.

Illuſtriſſimus Dominus Franciſcus Jacobeides Lefort, primæ electæ religionis Moſcoviæ Generalis, & claſſis maritimæ Admiralis. Patriâ Genevenſis, hic ante annos viginti per mare album fortunæ quærendæ causâ cum duobus aliis ſociis in Moſcoviam devenit, & quod quæſivit, invenit. Nam anno octuageſimo octavo revolutione ſuborta Tzareæ Majeſtates ſe in monaſterium, Droyza dictum, tanquam ad ſecuritatis aſylum receperant, ob ſagittariorum militum, quos aliàs Streli-

zios

zios cognominant, publicam cruentámque veſaniam, quæ non modò in Bojarinos nulla perſonarum virtute, rationéque habita cæcâ, promiſcuâque crudelitate ſæviebat, ſed Tzareo inſuper juvenum Principum ſanguini inhiabat. Tam periculoſo tempore, cùm plurimorum nutaret fides, cui parti accedendum foret deliberatura; incertos enim exitus comminabatur tempeſtas; tanquam dubitante fortuna, cui tam vaſti Dominatûs amplitudo deberetur, in funeſti temporis diſcrimine cum pauculis ſuis militibus ad Droyzam properavit dictus Dominus Lefort fortunæ judicium ſua determinatione antegreſſus, non ſecutus. Ob quod fidei obſequium præſentiſſimis periculis neutiquam impeditum, eum Tzareæ dilectionis gradum conſcendit, quem vel ipſa æmulorum iniquitas judicabit meruiſſe. Plures Regiis amicitiis diu florentes à ſuo denique axe fortuna excuſſit. Huic quoque interdum fluctus ingerebat, & procellas; nihilominus tamen Tzari erga ipſum benevolentiam etiam poſt fata intactam ad livorem omnium gentilium vidimus perennare. Quadriennio ante mortem ſuam filium, quem unicum habebat, Genevam miſit, ut politioribus ſtudiis animum excoleret. Hujus abitum ipſemet Magnus Dux cùm præcipuis Miniſtrorum ſuorum ad aliquot milliaria comitari voluit. Ejuſdem nepoti autem Moſcoviam ingreſſo ad tria circiter milliaria obvius occurrit, & veſte ſua pretioſa donavit. Amoris magnitudinem, & Tzari in ſe affectum alio forte indicio experiri maluiſſet; ſed certiùs, quàm expertus eſt, ne optare quidem potuiſſet. Veræ laudis materiam Tzaro oſtendit, cùm toto Bojarinorum concilio obnitente, ejusdem animum ad bellicam virtutem ſtimulis gloriæ acuit. Indè non Ducum, ſed Tzari auſpiciis Tartaris Precopenſibus ereptum Mæotidos paludis propugnaculum Azow. Quamvis enim Generalis Lefort durante obſidione, horrore periculi militum labores nunquam adiverit; egregii animi indicium tamen eſſe judicavit, ea contemnere. Ipſe ultimæ ſplendidiſſimæ Legationis Tzaro author fuit, eam congruo tempore auſpicatus; quia tum Moſcoviæ, fœdere cum Auguſtiſſimo Imperatore ſancito ab externis hoſtibus ſatis cautum, ſatis proſpectum erat. Exularent ſanè Precopenſes Tartari ſuâ peninſulâ, & Crimæâ ejecti; nec quo pecuariam exercerent, haberent, Moſcorúmque arma caſtro Oczakowienſi expugnato, victorioſa claſſe circa portæ Conſtantinopolitanæ mœnia terrorem latè circumferrent, ſi opportuno fœderis tempore vim hoſtibus intuliſſent famæ ſuæ parem. Inficiari Moſcorum nemo poterit, eum utilitatem Patriæ, & Principis ſui emolumenta in primis curis habuiſſe. Eundi redeundíq;

Digitized by Google

deundique libertas olim advenis cruda lege negata, à moderno autem Tzaro ipſo ſuggerente conſtituta; commerciorum commoda mirè promovet, in boni publici non contemnendum incrementum; nec minoris laudis eſt externos, quos annis præteritis ad Ruthenam religionem amplectendam ſæpe fame, carcere, minis, & tormentis adigebant, liberos nunc in ſua religione relinqui; fides enim donum Dei eſt, quod Deus largitur, non arma incutiunt. Quid illa juvenum ad exteros ablegatio? ſi præconceptam ſpem ſuâ deſidiâ non fallant, Moſcoviæ amplitudinem ornabunt conſiliis, augebunt ſolertiâ prudentiâ tuebuntur, & fortitudine. Quàm fortiter Principis in ſe fulminantem indignationem tulerit, ſatis deprædicare non poſſunt, qui in Pilaw, & Regiomontii præſentes rebus geſtis adſtiterunt. Reformatæ Religioni addictus congenitum in Orthodoxos odium celare non potuit, propriæ etiam uxori idcirco gravis, niſi ſumma & nunquam ſatis laudanda Tzari æquanimitas exercitæ in uxorem atrocitati modum poſuiſſet. Reformatorum Paſtor Stumpfius in ejuſdem cupiditates publicè ex cathedra invectus eſt. Cæteroquin fidelitate Principem, pares obſequiis, omnes comitate concilians, potentia, quâ invaluerat, moderatè uſus eſt. Febri calida extinctum multorum commiſeratio, & Majeſtatis lachrymæ proſecutæ ſunt; Salarium annuum erat mille rublorum.

Illuſtriſſimus Dominus Patritius de Gordon ex nobiliſſima Scotiæ proſapia oriundus, ſub Suecis primùm, & Polonis ſtipendia meruit. Adversâ belli fortunâ captus Moſcorum ſignis nomen ſuum coactus dedit, ubi bellica virtute adeò inclaruit, ut ad ſupremam militiæ præfecturam evectus diu æmulum non habuerit. Baſilii tamen Galizini exarſit in eum invidia, qui Sophianæ ambitionis Miniſter, dum teneros Tzarorum annos ſuperba Regni uſurpatione calcat, nunc Siberienſi exilio mulctatus meritas impotentis potentiæ pœnas dedit. Hic Gordonium ex ſupremo Generalis faſtigio, in infimum ſubofficialis locum præcipitem egerat, ſed præacutam Herculis clavam invidioſis morſibus impetens, proprias fauces cruentavit. Prohibitæ enim, & Moſcoviæ ſtatui pernicioſæ cum liligera gente correſpondentiæ publicè reus, inſanabili vulnere vitam cum fortuna perdidiſſet, niſi Princeps poteſtatis ſimul, & clementiæ ſuæ rudimentum poſiturus, exilium damnato dediſſet. Didicit Galizinus, quàm facilis trames è regno in exilium ferat. Gordonius econtra, qui immeritum caſum, & acerbè prementem invidiam aliquantùm fortiter tulerat, adminiculante Tzari clementia ad priſtinam Generalis dignitatem reſtitutus bono ſuo expertus eſt, multos æmulatione

ſupra

Digitized by Google

ſupra alios evehi, multos invidiâ reddi fortunatos. Partes militis prudenter implevit, neque Moſci mortuo honorem negabunt, quem viventi debebant. Cautus in omnibus ea circumſpecta fidelitate curam, ſalutémque ſui Principis cordi habuit, ut facti temerarii argui nunquam potuerit. Magìs tamen conſilia, quàm virum amabat Moſcovia; ejuſdem ſagacitate uſa, quoties rei arduæ difficilior definitio præ manibus erat. Principi ſuo regni finibus tantiſper exituro author fuiſſe dicitur, ſupremæ Vicariæ poteſtatis in tres æmulos dividendæ, ut mutua æmulatione accenſis, res ad regni tranquillitatem pertinentes majori fide adminiſtrarentur, & ad poteſtatem, quam omnes ambirent, nemo eluctari poſſet. Neque Crucis Melitenſis honor tantis ſumptibus emptus foret, niſi populi favor in unum plus æquo propendens ſuſpicionem feciſſet periculi, quo ſæpe regna transferri ſolent; Legationes enim, & provincias apud exteros obiiſſe interdum ad pœnam potiùs, quàm ad dignitatem fuit. Quid enim communius, quàm eos, quorum potentia, aut favor timendus eſt, honoris larvâ deceptos ab urbe proſcribere. Innocentes quidem, ſed fortè auſuros, ſi daretur occaſio. Conſilii prudentia, Judicii maturitas, & præcavens ubique ſollicitudo ornabant Gordonium. Moſcos natura ſua exteris infenſos, & alienigenæ gloriæ hoſtes, famæ ſuæ contemptu, & familiaris colloquii ſuavitate ita ſibi conciliaverat; ut orto inteſtino tumultu ejuſdem ædes ipſis gentilibus tutum ſecurúmque receptaculum præſtiterint; à ſuo Principe Patris nomine ſæpe compellatus, honoratus à Bojarinis, cultus à Dumniis, charus nobilibus, & amatus à plebe eam apud omnes authoritatem conſecutus eſt, ad quam indigena vix aſpirare potuiſſet. Magnus ſimulandi, diſſimulandíque artifex, Ariſtotelis admonitioni conformiter nihil imperanti Moſcoviæ locutus eſt, quàm quæ ſciret placitura; ne dum aliorum ſtudet commodis, ſuæ ſuorúmque noceret incolumitati. Mirari ſatìs non poteram, dum mihi ob domeſticos Domini Ablegati Cæſarei à militibus offenſos, juſſu modò nominati Domini Ablegati ſatisfactionem petenti, ingerentíque ea occaſione Legatorum immunitatem, unanimi gentium conſenſu ſancitam, reponebat: nullam in Moſcovia Legatis libertatem eſſe, poſſéque delinquentes ex Legatorum aula per lictores rapi ad pœnam, quanquam caſus noſtro tempore, non acciderit ex quo rei, veritatiſque hujus experimentum capere potuiſſemus. Ille, qui cum Mareſchallo Sueci- co accidit, certis circumſtantiis limitatus fuit; neque exiſtimem Legatorum immunitatem in Ruſſia, conſuetudine, aut decreto aliquo contrario abſolutè abrogatam, quam Legati ad exteros

 cum

Digitized by Google

cum excelſi hujus characteris dignitate expediti, ubique mordicus prætendunt; eveniret alias, ut tam barbaræ legis inhumanitate cæterarum gentium commercio indigni Moſci exciderent. Cæterùm Gordonius provectæ ætatis vir, poſt noſtrum è Moſcovia diſceſſum, quem ad Filli usque comitatus fuerat, nonâ Decembris Anno 1699. manè horâ octavâ diem ſuum ſanctiſſimè obiit. Sua Tzarea Majeſtas quinquies eum ſupremi morbi tempore inviſit, & ultima quidem nocte bis illi adfuit, propriáq; manu eidem oculos clauſit, poſtquam animam egiſſet. Novit Tzarea Majeſtas quanti momenti jacturam faceret, amiſſo tanto viro, ideóq; funus Generalis Gordonii eâ pompâ conduci juſſit, quæ defuncto Generali Lefort decreta erat. Tria militũ prætorianorũ regimina in mœroris ſpeciem compoſita, tubis, tympaníſque lugubre clangentibus comitata ſunt, Tzaro conſuetum in regimine ſuo locum occupante; viginti quatuor tormenta majora exploſa, funeri an dolorem, an plauſum dederunt. Exequiis, Sacrificio, & Miſſionarii Cæſarei Joannis Berulæ Concione (uti ipſemet juſſerat Tzarus) parentatum eſt; Tzareiwiczius autem cum chariſſima Tzari ſorore Natalia pridianæ in Eccleſia Catholica interfuit devotioni Salarium annuum viro conſtitutum itidem millenorum rublorum erat.

Adamus Weyd ex Germanis Parentibus in Moſcovia genitus, ſervitia à Medicis præſtari ſolita exoſus, militiæ nomen dedit: ea felicitate, ut noſci, & amari à Principe mereretur, artem ſtruendi cuniculi propriâ induſtriâ ex libris didicit. Sed laborioſã hominis ſedulitatem, cuniculóſque conſentiente Principe in obſidione Azowienſi factos, adeò fortuna deſtituit, ut ſolis Tzareis militibus non hoſti pernicioſi eruperint, aliquot centenis, qui vallum cuſtodiebant, in aëra excuſſis. Munus ſupremi Vigiliarum Præfecti ſuſtinuit, cùm ultimæ magnæ Moſcicæ Legationis prodromus ad Aulam Cæſaream ablegaretur. Caſtris Cæſareis, & bellicæ expeditioni interfuit, quando Sereniſſimus Princeps Eugenius Sabaudiæ Dux Auguſtiſſimi Imperatoris auſpiciis Turcarum exercitus ad Zentam prope Tibiſcum fæda clade cæcidit. Quantam belli gerendi ſcientiam ex illa tot heroum, & fortiſſimorum virorum palæſtra hauſerit, ipſemet ſatìs memorare non poteſt; in gloriam ſuam trahit, quòd Sereniſſimus Eugenius hoſtem prælio invaſurus pro innata ſua erga quemvis beniginiſſima humanitate, ejuſdem etiam conſilium rogaverit. Dum adhuc Moſcuæ comoraremur, titulum Generalis Brigadieri impetravit, cujus munus fortè cum illo Generalis vigiliarum Præfecti coincidit, duobus Generalibus Lefort, & Gordonio mortuis

Digitized by Google

tuis ad bellicarum rerum ſummam eum dicunt aſpirare. Senſit, & iſte irati Jovis fulmina, nec unquam obliviſcetur fortunæ, quam variam & mutabilem Veroniſcha dedit, ut adverſam æquè ac proſperam ferre addiſceret.

Generalis Mengden ſalarii locò habet ſex centos rublos, duo etiam fratres Riman dicti, in Moſcovia Generales ſunt, quorum alter Carolus penè ad mortem cæſus eſt, quòd veſtem, quam habebat, Germanicam ſcenicis diverſionibus accomodare negâſſet.

Colonellorum in Moſcovia major eſt copia, inter quos Caſimirus de Grage Catholicus Cæſareus rei tormentariæ Colonellus ad ſervitia Tzarea ante quadriennium ab Auguſtiſſimo Imperatore ſuo tranſmiſſus. Poſt hunc excellunt illi, qui quatuor militum regiminibus, quos prætorianos dicunt, præfecti ſunt. Baro de Blumberg ex nobilibus Curlandiæ, Aug. Jacobus Gordon, Generalis Gordonii filius Cathol.

Lima Catholicus quorum obſequia ſolvuntur annuis quadringentis rublis.

Schambers Aug: Confeſſionis eſt.

Numerantur plures adhuc Colonelli, ſed ſinè legionibus; tempore pacis, aut extra expeditionem ſola nomina circumferunt, ſalarii medietate contenti, quamdiu otioſis Moſcuæ vivere licet.

Ex horum numero ſunt Acchentowel ex Scotia Catholicus, Palck de Werden, Meus, Brüſſ, Junckmann, Jungers, Werner; Weſthof, Angler, Lefort, de Delden, Cimbier, Toubin. Hi omnes reformatæ, aut Anglicæ Confeſſioni addicti ſunt. Ultimus Toubin decrepitæ jam ætatis vir tredecim annos ærumnosè tranſegit in Sibiria, annuum ejuſdem ſalarium centum rublos non exceſſit, quibus nunc demum viginti adjecti ſunt.

Vicecolonelli.

Ex Germanis Moſcis ſerviunt Colom, Duprez, Levingſton, Bordwig, Rosfurm, Bogowski, Salm, Brüſſ, Delden, Lipsdorf, Clemenz, Schlippenbach, Ronard.

Supremi Vigiliarum Præfecti.

Meneſius, Taurlaville, Straus, Schilling, Kleim, Niz, Oſtoja, Holſt, Goſt, Weber.

Capitanei.

Rickman, Gummert, Erckel, Baccho, Prinz, Gordon, Liman, Soes, Bock, Funck, Bordwig, Sawanski, Frobes, Weyd, Holſt, Polſt, Rosfurm, Kaldberner, Breyer, Grob, Zege de Manteifel, Weſthof, Meus, Goſt, Brand, Prinek, Hambel, Pablowski, Berner, Windter, Engels, Robert, hic à militibus cæſus, quos

 ad

Digitized by Google

ad Monaſterium neo Virginum duxerat. duo Müllner, Oſtrowski, Fadenreich, Hochenrein, Edenbach, Elinghauſen, Kellinghauſen.

Capitanei Maritimi,

Bamberg, Kiehn, Meier, Reis, qui ſimul Fiſcalis officio fungitur.

Locumtenentes.

Prigen, qui quoniam dimitti petiit, juſſu Galizini batoccis, ſubjectus, & Caſanum relegatus eſt, Phograd, Lizkin, Wud, Leiko, Faſtman, Junger, Rickman, reliquum numerum Moſci implent.

Plurimi horum officialium ex Curlandia, & Livonia oriundi ſunt. Qui ex ultimis iis terris in Moſcoviam ſe conferunt, & periculoſiori fine tantum iter conficiunt, quod intolerabilis, quo ſe indies à Suecis magis premi conqueruntur, jugi excutiendi cogitatio peregrinationis tam longinquæ rationem ſuadeat. Mihimetipſi enim eorum aliquis in diſcurſu familiariori confidenter aperuit, ſe in Ruſſiam veniſſe, ut exploraret, an Magno Moſcoviæ Duci ſatis virium, & commoditatis eſſet, quibus Livones protegere, & adverſus Suecorum violentias defendere poſſet. Ejusmodi exploratores etiam in Polonia verſari ajebat. Quærere enim Livoniam excuſſo Sueciæ jugo in alium potentem vicinum ſupremam in ſe transferre poteſtatem; eò quod Rex Sueciæ incolas Livoniæ omnibus ſuis bonis exutos, tributorum inſuper, & contributionum onere ferme intolerabili indies magis gravet, & opprimat. Subjunxit idem Officialis, ſe anno & dimidio in Moſcovia moratum nihil deprehendiſſe auxilii, quod à Moſcovia ſperari poſſit.

Cùm Tzarea Majeſtas Turcas, & Tartaros bello aggreſſus, eoſdem etiam fortalitiis ejicere moliretur, ab aula Imperatoria, & aliis quibusdam Germaniæ Statibus aptos Architecturæ bellicæ, & rei tormentariæ, faciendorùmq; cuniculorum gnaros ſibi mitti, amicis litteris requiſiverat. Indè eidem ab Auguſtiſſimo Romanorum Imperatore ſubmiſſi ſunt.

Caſimirus de Garge rei tormentariæ Colonellus.

Baro de Borgsdorff.	*Supremi architecti bellici tormentarii.*
Laval.	
Laurentius Schmid.	
Laurentius Urban.	

Item cum ſuo ſubofficiali ſex cuniculariì.

Submiſit itidem Sereniſſimus Elector Brandenburgicus.

Roſe,

Roſe. } *Architectos bellicos.*
Holzman.

Joannem Jacobum Schuſter. }
Eliam Kober. } *Tormentarios.*
Samuelem Hack.
Guſtavum Giſewetter.

Præpotentes etiam Hollandiæ Status ſequentes in Moſcoviam expediverunt.

De Stamm.
Gouski.
Gordes.
Schnid.
Sperreuther.

Mercatores, qui Commercii causâ Moſcuæ vivunt, ut plurimum Angli ſunt, & Hollandi. Unus tantùm ex Italia Moſcuam venit, & adhuc ibi hæret, Antonius Guaſconi ex territorio Magni Ducis Hetruriæ Catholicus. Acatholicorum numerus potentior eſt, uti Minder, Goll, Wolff, Brandt, Lipps, Popp, Leiden, Hackenbrandt, Iſenbrandt, Kannengieſſer.

De Bojarinis, & Præcipuis Moſcoviæ Miniſtris.

Kneſius Baſilius Galizin Regnorum Caſani, & Aſtracani Vice-Rex, atque negotiorum Legatoriorum Adminiſtrator, ſigillíque Tzarei cuſtos erat. Primus ſanè Miniſter, & qui apud Juvenes Tzarorum animos prudentiæ, & fortitudinis opinione adeò omnia potuit, ut illorum nomine ipſe regnaret. Statui politico militarem miſcuit, potentiſſima acie contendens in Barbaros, conſiliis, factísque demeriturus Ruſſiæ Imperium. Famulabatur ſpei tam impiæ fortuna, donec vetita & nimia audentem exoſa deſtituit, ubi ille fortunæ ſublimitatem, quam proximus contemplabatur, jam infeliciter ambiens, perniciosâ cogitationum altiſſimarum audaciâ in capitis vertiginem incidit, graviſſimo lapſu ad ultimam humanarum rerum ſortem in exilium præcipitatus. Detegebantur tunc periculoſæ machinationes Hornii, quarum contagioſa conſilia ſub amiciſſimo nomine diu vendidit. Irreparabili damno graſſabatur hæc lues, cum Baſilius Galizinus adversùs Tartaros cum exercitu progreſſus fuiſſet. Centenorum milliarium deſertum continuis devaſtationibus Crimæa colit; hujus herbam Galizinus accendit, pabuli Tartaris ſurripiendi obtentu; reipſa, ut militum ſuorum funera iis calamitoſiſſimis buſtis celebraret. Mox enim Tartaros inſtare fingens, totum exercitum per fumum urgebat ad fugam. Multa millia peſtilentis fumi fuligine ſuffocata funeſtiſſimo exitu perierunt.

Digitized by Google

Patuit ſtatim tantæ cladis author, & Conſiliarius auro ſignatus, quod inter Galizini nummos frequentius inventum eſt, faſſus ipſe id perfidiæ ſuæ fomentum fuiſſe, omnibus bonis exutus, primùm Zobellinis in Sibiria inſidias poſuit. Nunc indulgentiâ Principis, & Optimatum quorundam commiſeratione propius Moſcuam domicilium habet, diurnámque ſuſtentationem, quæ in exilio unicus altinus erat, modò pluribus auctam accipit. Acceſſit vitæ ſolatio ad eum conjux calamitatis ſocia, quoniam & felicitatis fuerat. Hujus miniſteria nunc duo implent.

Adminiſtrationem negotiorum Legatoriorum Leo Kirilowicz Nareskin obtinuit. Huic ad tam eminentis fortunæ apicem adminiculo fuit ſoror Natalia Korilofna moderni Tzari Sereniſſima Mater, Primi Miniſtri nomen nonnulli invident, quod Juvenis ſuper ambitioſa quorundam ſenum conſilia evectus ſit. Officii autem, quo fungitur excellentia, factâ cum anteceſſorum in eodem munere dignitatis comparatione, litem omnem videtur dirimere. Novit certè muneris, quod gerit, prærogativam homo æquiſſimi ſemper animi, niſi quando iniquo Conſiliario utitur. Ukrainzow vir ſatìs magnæ calliditatis eſt. Diacus Bosnikow in multos plus æquo gravis, Nareskin decem millia ſubditorum in bonis ſuis numerat.

Suprema Regnorum Caſani, & Aſtracani Præfectura Baſilii exilio mulctati fratri Kneſio Boriſio Alexiowiczio Galizin concredita eſt, quòd fraterni criminis minimè conſcius deprehenſus fuerit. Duo hi proceres, inter quos infelicis Baſilii fortuna diviſa eſt, mutua æmulatione accenſi mutuo ſemet odio proſequuntur interdum abſque omni diſſimulatione. Quivis alterius officium tanquam ſuo acceſſorium prætendit, quorum diſceptationi, & jurgiis, quandoque calumnioſis, principali definitione finem facere, etiamnum Tzarus data opera neglexit. Hujus autem Galizini ſingulare effatum eſt: æſtimare ſe fidem Ruthenam, prudentiam Germanorum, & fidelitatem Turcarum. Acerrimus profectò Ruthenæ Religionis Zelator eſt; Joannis Baptiſtæ nomen apud vulgus promeritus, quod tot jam advenarum animas ad reiterandi Baptiſmi ſui ſuſceptionem pertraxerit. Ab antiquiſſima aliàs Principum familia originem ducens ex Polonorum proſapia deſcendit, Aulam inſtruit celſitudine domûs ſuæ dignam, architectos Italos in ſervitiis ſuis alit. Horum operâ duo pulcherrima templa in pagis ſuis Dobrowiza, & Veſomba in altum erexit, nunquam collapſura famæ, & prudentiæ ſuæ monumenta, Linguæ latinæ peritus ad eandem addiſcendam filiis ſuis præceptores Polonos dedit. Non ignarus, quantùm emolumenti allatura ſit exterarum gentium commercio uſuris.

Tic-

Digitized by Google

Ticchon Nikitowicz Streſnow Tzareæ minorennitatis tutelam geſſit; nunc Cancellariæ ordinatoriæ Præſes, omnia mandata, decreta, ordines, & juſſa ipſius Moſcoviæ ſtatum, & regimen politicum concernentia ab illo dependent; quem Roſerade vocant; omnium nobilium competens Judex eſt, fortè Magni Coñeſtabuli muneri non abſimilis. Intemeratæ fidei exemplum eſt; adeò, ut ſæpe in publicis conviviis, dum feſtivæ potationes fieri aſſolent, ſub ejus nomine omnes Tzaro fideles comprehenſi intelligantur, & vocabulum Ticchon Nikitowicz fidiſſimorum Miniſtrorum memoriam denotet.

Kneſius Michaël Lehugowicz Tzerkaski, annis, & moribus gravis, inculpatæ vitæ probitate, atque decora canitie omnium amorem demeretur. Tzarus noſtro tempore Azowium profecturus ei vicariam ſuam, & à nemine, quàm à ſe ſolo dependentem Urbis Moſcuæ poteſtatem tradidit.

Kneſius Feudor Jurowicz Romadonowski Bojarinus, & quatuor prætorianorum regiminum Generaliſſimus ſupremam juriſdictionem exercet in cauſis civilibus, & criminalibus. Dum Tzarus inter cæteras gentes commoraretur, Pro-Regis, & Gubernatoris nomine, poteſtatéque gaviſus eſt. Vetuſtas generis, & ſummum familiæ ornamentum virum reddit honoratiorem.

Kneſius Petrus Ivanowicz Proſorawski Bojarinus, & Tzareæ Majeſtatis Theſaurarius, ſtemmatis nobilitate clarus, ſed ſanctitate vitæ inter ſuos inſignior auſterè vivit; januam nunquam aperit, ne manum ſuam contaminet tangendo id, quod fortè impurus, aut extraneus (quos omnes hæreticos credit) attactu coinquinâſſet. Præter hos majoris nominis ſunt, Alexius Simonowicz Schachin Bojarinus, Tzareæ Majeſtatis exercituum Campi-Dux.

Feudor Alexiowicz Golowin Bojarinus, Tzareæ Claſſis Admiralis, Gubernator Sibiriæ, qui Legationes, & Provincias, primò apud Chinenſes, & nuper cum Domino Lefort apud diverſos Europæ Principes cum laude ſuſtinuit. Hunc vigeſimâ Martii Tzarus data Cruce primum Equitem ordinis ſancti Apoſtoli Andreæ à ſe inſtituti fecit.

Artemon Michalowicz Golowin Generalis regiminis Bebraſchentsko.

Boriſius Petrowicz Sceremetow, Bojarinus, & exercitûs Bialogrodenſis Generalis. Hic anno 1695. cum Joanne Moſeppa Coſſaccorum Duce Tawan Inſulam, & Kirikerminium Tartarorum civitatem obſidione cinxit. pactâ ejuſdem deditione opti-

ma

ma ſpolia reportavit, licèt (ut quidam aſſerunt) manibus crucem tangendo, & imagines more Rutheno exoſculando ſe Sacramento obſtrinxiſſet, omnes liberos cum bonis ſuis, quæ ſinè curribus ſecum deferre poſſent, dimittendos eſſe. Ad Aulam Cæſaream ſemel Orator, Italiam nuper, & Melitenſium Equitum claſſem adiverat; Tantis ſumptibus Melitenſis Crucis decus ſibi comparans, acer conſilio, & ſtrenuus manu, Tartarorum terror, & præcipuum Ruſſiæ ornamentum.

Feudor Maduæowiz Apraxen Bojarinus, & portûs Archangelici Gubernator emeritus.

Ivan Ivanowicz Butterlin Generalis.

Kneſius Dolgorugoy Generalis, ante aliquot annos ad Galliæ Regem Legatus.

Kneſius Ivan, Ivanowicz Tzerkaski.

Kneſius Andreas Michalowicz Tzerkaski.

Feudor Fedrowicz Pleſceow Tzareiwicz Melitinski.

Duo Lubochin Tzariſſæ fratres, quorum unus Locumtenentem, alter Subofficialem agit.

Troiakurow Cancellariæ Streliziorum Præſes.

Boris Boriſowicz Galizin Maduæi Brodawiz.

Ex his Bojarinis pauci adhibentur conſiliis; cæteris ſola nominis gloria relicta eſt; neque velim exiſtimes omnes Bojarinos hic nominatos eſſe: ſunt enim adhuc plures extra Tzarorum aulam diverſarum Provinciarum Rectores.

Ad Bojarinos proximè accedunt Referendarii, qui apud ipſos Dumnii, Diacki, & genuina interpretatione intimi Cancellarii appellantur.

Ex his præcipuo loco ſunt: Procopius Bogdanowicz Woſnizin, Æmilianus Ignatowiz Ukrainzow. Andreas Andreowiz, Wignius, Artemonewicz.

Procopius Bogdanowicz Woſnizin diverſis Legationibus functus eſt; jam olim ad Sultanum Turcarum, Perſarum Szachum, Polonorum Regem, & inclytam Venetorum Rempublicam Legatus, annis 1697. & 98. Electorem Brandenburgicum, præpotentes Status Hollandiæ, & Auguſtiſſimi Romanorum Cæſaris Aulam Generali Lefort, & Bojarino Golowin adjunctus cum ſplendidiſſima Legatione adiit. Habitis deindè Carlowitzii de pace cum Turca tractatibus Plenipotentiarius interfuit. Ubi res Principis ſui optimè geſſit, ſi armiſtitii biennalis errorem noverit excuſare. Omni tamen ejus culpa abſolutus videtur ex eo, quòd non modò apothecæ Tzareæ præfecturam obtinuerit; munus nemini aliàs credi ſolitum, quàm quorum merita, & fides

per-

Digitized by Google

perſpecta eſt; verùm inſuper novo Oratoris charactere inſignitus, Provinciam adeundi Suecos conſecutus fuerit.

Æmilianus Ignatowicz Ukrainzow Cancellariæ Legatoriæ Dumnius Diakus, intimus Conſiliarius, & Cancellarius, Vice Dominus Cargopolienſis, ac ad portam Ottomanicam Ablegatus Extraordinarius inter publica negotia enutritus apud Statûs Hollandiæ jam olim Legatus, ſingularis ubique prudentiæ veſtigia reliquit, rebus feliciter, laudabilitérque geſtis eam ſapientiæ famam adeptus eſt, quæ æmulorum invidiam provocavit. Quorundam perverſis apud Principem calumniationibus ſæpe ad vitæ diſcrimen adductus, beneficio Superûm inſidias evaſit, demonſtratâ actionum ſuarum ingenuitate reconciliatus Principi, cujus odium æmulatio ſuſcitaverat. Omnium propè, qui Statûs politici in Moſcovia periti ſunt, maximè idoneus judicatus, qui biennalis armiſtitii errorem, Carlowizii ab alio commiſſum, cautiori ſollicitudine emendaret. Veritati adverſatur, quod de ejus Conſtantinopolim adventu, inſolenti tormentorum exploſione, captivitate, Sultani indignatione, Schedæ impreſſæ, conſueta mentiendi libertate toti mundo impoſuerunt. Ipſe totius itineris ſui, felicis ad fulgidam Portam adventûs, & tractamenti, plurimorum opinione multò honorabilioris melior author litteras ad Dominum Conſiliarium Bellico-Aulicum ExLegatum Moſcoviæ Dominum de Quarient exaravit.

Andreas Andreowicz Wignius Conſiliarius intimus ſuæ Tzareæ Majeſtatis, & Regni Sibiriæ Cancellarius, Patre Germano natus, paternis veſtigiis inſiſtens Ruthenam Religionem amplexus, varias obivit apud exteros Legationes, & in Moſcovia diverſis officiis functus eſt. Non quære quo genio? magna ubique prudentiæ, & originis ſuæ documenta dedit. Tanquam Dumnius Cancellariæ Sibirienſis non tantùm ſalario nullo fruitur, ſed inſuper mille rublos annuos Tzaro pendit, ea tamen conditione, ut omnes Waywodæ Sibirienſes ab ipſo dependeant; quorum neminem ſinè fructu creat. Culti ingenii eſt, & verſutiſſimi. Waywodas timore ſui coërcet, atque à rapinis deterret. Dum enim mercatores ex China Sibiriam tranſeuntes Moſcuam veniunt, occultis machinationibus ſciſcitatur ex illis, quidnam Waywodis vectigalis locò ſolviſſent. Ubi deprehendit, vel immoderatam exactionem, vel ſubtractæ rei nimium furtum, Waywodis per litteras minatur, ni abſtinerent, knuttas, amiſſionem bonorum, mortem, & ultima omnia paſſuros. Occultos ſe exploratores ſubornaturum, qui facta eorum ſingula ad ſe referrent accuratè; nulla mercatorum mentione facta, alios delatores

Digitized by Google

fingit, ne rurſus Sibiriam tranſeuntibus Waywodas ex cupidine vindictæ iis reddat aſperiores. Secundus annus nondum abiit, quo Waywodam illi loco præfecit, ex quo aliàs tantùm ſexcentos rublos annuatim pro Tzaro anteriores Waywodæ collegerant, hic autem ultimò ad idem munus ſuffectus, timore pœnæ, & aſſiduis comminationibus ad majorem fidelitatem coactus, promotori ſuo Wignio non ita pridem reſcripſit, ſe decem mille rublos anni unius redditus pro Tzaro cuſtodire. Tantùm intereſt Reipublicæ fidos homines publicis officiis præficere. Ipſe Pro-Rex Sibiriæ Moſcicorum Principum ditiſſimus ex Tzerkaſſiorum familia primogenitus, deferente Dumnio Wignio reus inventus eſt. Præfecerat Tzarus Principem hunc toti Sibiriæ, quòd crederet, hominem propriis opibus affluentem non inhiaturum alienis, ſibíque gloriæ ducturum res Principis ex fide curare. Sed quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. Nemo illo rapacior, at non ſinè arte; ne furti manifeſti argui poſſet. Ipſe à mercatoribus nihil exigebat, domeſticis in eam diligentiam ſubſtitutis. Hi Harpyiarum more nihil intactum reliquerunt. Quidquid pretio, raritate, & pulchritudine commendabile mercatores afferebant, urgente ſervorum grege in Sibiria magno ſuo damno ſinè pretio relinquere cogebantur. Si quid adhuc inter merces erat, quod perniciosa mercatoribus venuſtate Waywodæ placebat; acceſſus, audientia, & expeditio negabatur. Waywodâ quidem, utì ſimulabat, rerum omnium inſcio, reipſa verò authore, & omnem novæ exactionis modum ſuggerente. Infidelitatis igitur accuſatum, Tzarus Moſcuam evocavit; & cùm crimen objectum diluere non poſſet, in meritam pœnam ad ſuſpendium damnatus. Reus jam patibulum ad cancellariam in Arce erectam conſcenderat, & collum laqueo inſeruerat; cùm mortis ſupplicio gratiosè abſolutus trahebatur ad aliud, centenos, & ultra knuttarum ictus à lictore inflictos publicè ſuſtinere coactus, inter Tzareas triremes reliquum vitæ miſerabili ſorte tranſacturus; infelix documentum, quàm exacta fide res Principis gerendæ ſint.

Artemonowicz Dumnius Diacus declaratus Legatus ordinarius apud præpotentes Status Hollandiæ ſecum ductis uxore, & liberis triennio commorabitur. Hunc octo Bojarinorum filii, urgente Tzari mandato ſecuti ſunt, ad comprehendendam interea temporis navigandi artem, peritiámque maritimam, latinam linguam callet, ejúſq; præ reliquis potiorem uſum habet, ſingularis prudentiæ opinione Tzari gratiam aucupatus eſt, humanus ſanè, & comis politiq; inter Moſcos ingenii. Qua æſtimatione honores ponderare ſoleat, fortalitium Riga, quod nuper ad Hol-

lan[dos]

landos profecturus tranſiit, exemplum vidit. Adventantem & fortalitii mœnia ſubeuntem lætis tormentorum exploſionibus exceperant; maxima hæc ſemper apud Europæas Aulas honoris teſtificatio eſſe ſolet, ſed id Artemonowiczio inſolens viſum eſt. Quid boatus iſte ajebat, ſi ſtomachus jejunus me allatret? majus momentum honoris in vino, cremato, & ferculis, quàm impenſi honoris indiciis reponens. Diaci (illorum interpretatione Cancellarii) re verò penitiùs conſideratâ Secretarii Cancellariæ Legatoriæ duo ſunt, Baſilius, Boſnizin, & Boris Michalowicz ambo jam apud exteros Legationibus obitis venerandi.

Quanta cautelæ, & obſervantiæ præcepta Miniſtris ſuis peregrè miſſis dare ſoleant, una hìc ſubjecta, & Magnæ Moſcicæ Legationis Mareſchallo tradita inſtructio documento ſit.

Anno apud nos 1698. ad mandatum Magni Domini Tzari, & Magni Ducis Petri Alexiowiczii totius Magnæ, Parvæ, & Albæ Ruſſiæ Autocratoris ad Godefridum Briſtaff.

Ex Civitate Neomagenſi Magnis Legatis ſcripſiſti, vos coactos fuiſſe in diverſis Hollandiæ locis exacta vectigalia ſolvere; Neomagio autem Cliviam uſque vos aqua, aut mari profectos eſſe. Potwodas, equos conductitios, & equorum propriorum pabulum magnis impenſis ſtare; pecuniam idcirco in ſolidis imperialibus vobis traditam, ægrè ſuffecturam, novo propterea mandato opus fore. Quam primùm itaq; hi ordines ad vos pervenient, iter tuum jam ante commendatum omni poſſibili diligentia promovebis; ſinè cunctatione, & inutili mora usque ad fines Cæſareos progrediens. Si, uti mones, imperiales non ſuffecerint, à Scriba, & Magiſtro Zobellinarum ex theſauro quingentos ducatos tibi tradi jubebis, ſi res ita poſtulaverit, ubi verò major & verè extrema neceſſitas urgeret, mille ducatos in manus tuas facies conſignari, utriusque autem pecuniæ, tam imperialium, quàm ducatorum cautè ſervatæ, & utiliter impenſæ accuratam rationem reddes. Quòd ſi etiam ibidem locorum victualia minoris forent, penſionem minues, tantam verò arbitrio tuo dabis, ne quopiam ſordidè indigeant, ab ebrietate omnes cures abſtinere, ebrioſis minùs pecuniæ ſolves.

Ubi Principes comitatui tuo victum, aut pro eo pecuniam dabunt, penſionem ſolitam omninò tolles. Quamcunque autem civitatem modò adis, aut deinceps aditurus es, ex ea Magnos Plenipotentiarios Legatos, Amſtelodami, aut alibi commoraturos de itineris tui progreſſu ſemper facies certiores.

Dumnius Diakus
Procopius Woſnizin.

 An-

Digitized by Google

Anno 1698. 25. Martii ad mandatum Magni Domini, & Magni Ducis Petri Alexiowiczii totius Magnæ, Parvæ, & albæ Ruſſiæ Autocratoris; atque ad ordines Magnorum & Plenipotentiariorum Legatorum Generalis, & Admiralis, ac Gubernatoris Novogrodienſis Franciſci Jacowiczii Lefort Generalis rerum bellicarum Commiſſarii, & Gubernatoris Sibirienſis, Feudori Alexiowiczii Golowin, atque Cancellarii, & Gubernatoris Bochowienſis Procopii Bogdanowiczii Woſnizin, Aulico Godefrido Briſtaff impoſitum eſt: ut proficiſcatur Amſtelodamo per Hollandiam Neomagum, Neomago per civitates Brandenburgicas, Cliviam, Weſel, Lippſtadt, Münden, Hildesheimiũ, Aſcherleben, & Hall, per urbes Electorales Saxonicas Lipſiam, & indè per Boëmiam Pragam, vel ubi proximior, commodiórve via erit, aut Electorales Saxonici, & Brandenburgici Commiſſarii, & conductores vos ducent uſque ad fines Cæſareos. Cum illo dimiſſi ſunt Aulici, ſervi, & Magnæ Legationis domeſtici. Miſſa quoq; cum ipſo eſt Magni Domini pecunia, theſaurus Zobellinarum, Legatorum veſtimenta, vaſa & diverſa ſupellex, ut ſecuriùs, tutiúsque ubique iter faciant, litteræ paſsûs ei extraditæ ſunt, magnorum Legatorum ſubſcriptione, & ſigillis corroboratæ. Ante ejuſdem diſceſſum autem Magni Legati Auguſtiſſimum Imperatorem, & Sereniſſimum Regem Poloniæ, Electorem Saxoniæ, & Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum litteris requiſiverunt, ut appropinquantes præmiſſos domeſticos ſuos amicè ſuſciperent, concederéntq; illis Potwodas, alimenta, aliáque neceſſaria auxilia, & itineris promotionem. Quando ipſe Briſtaff Cliviam attinget, Commiſſarium, alimenta, & conductores exiget: eámque viam cum omni cautela, & ſecuritate ad Saxoniæ fines ingredietur; idem facere meminerit, ubi ex finibus Saxoniæ ad Cæſareos pervenerit. In Cæſareis finibus autem Magnorum, & Plenipotentiariorum Legatorum adventum expectabit. Si in quibuſdam civitatibus Potwodæ, & alimenta negarentur; equos conducet, & juxta præſcriptum huic inſtructioni inſertum inter comitatum penſionem pecuniariam diſtribuet. In neceſſarios etiam Potwodarum, alimentorum, alióſq; ſumptus, omnem caſum præventuri Scribæ Cancellariæ Legatoriæ Nikiphoro Iwanow, & ejuſdem ſocio quatuor ſolidorum imperialium millia ad extremam neceſſitatem usque cuſtodienda commendavimus. Quidquid expendet, & pro qua re, id omne nominatim libro rationum inferet, librum rationum verò cum pecunia reſidua magnis, & Plenipotentiariis Legatis oſtendet, per ſe autem, vel alio-

rum

Digitized by Google

rum nomine nullos ſuperfluos ſumptus faciet. Interrogaturis de magnorum, & Plenipotentiariorum Legatorum commoratione reſpondebit: eos ob ponderoſa Tzareæ Suæ Majeſtatis negotia adhuc Amſtelodami detentos, brevì tamen ſecuturos; percontantibus verò de rebus majoris momenti, ſuper quibus reſpondereLegatorum eſt,reponet:ſe militem eſſe,& ſimilium ignarum. Legatorum domeſticis injunget, ut modeſtè ,& compoſitè ſe gerant, ſinè venia nullibi vadant, à nimio potu abſtineant, nec ad rixas, & jurgia deſcendant, aut alio modo minùs civiles ſe exhibeant. Horum ipſe maximam curam geret: qui mandato huic contra venientes petulantiùs vagabuntur, aut vino ſe ingurgitabunt, hos prout ipſi videbitur, coërcebit; vilioris ſortis homunciones verò batoccis, & baculis jubebit caſtigari. À pecunia, & theſauro Zobellinarum ſcriba Nikiphorus Juanow, & Theodorus Bulaew, nec paſſu diſcedent, his tres ex Haydonibus alternis mutatíſque vicibus ad viginti quatuor horas adjungentur; ipſéque cum ſcribis curabit, ut hi apud theſaurum maneant, & eundem accuratâ vigilantiâ cuſtodiant. Denique ipſe Briſtaff ex omnibus civitatibus de commoratione, & progreſſu itineris ſui, Magnos,& Plenipotentiarios Legatos certiores reddet, ne eos lateat, ubi ſubſiſtant,ad quas urbes contendant,& quo die denuo ulteriùs forent diſceſſuri.

De Exterorum Principum Miniſtris, qui noſtro tempore Moſcuæ commorati ſunt.

Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Frater Pater Petrus Paulus Palma de Artois, Archi-Epiſcopus Ancyranus, & Vicarius Apoſtolicus in Regnis Magni Mogol, Golgonda, & Idalkan Tzareæ Majeſtati faciendi itineris ſui neceſſitatem adhuc in Hollandia expoſuit, & ab eadem humillimis precibus mandatum impetravit ad Kneſium Boriſium Alexiowizium Galizin Regnorum Caſani, & Aſtracani Pro-Regem, ut Archi-Epiſcopum non modò Moſcuæ congruâ benevolentiâ ſuſciperet, ſed inſuper ad fines usque Perſiæ ſecurè conduci juberet, libera ſuſtentatione ex ſingulari Clementia eidem liberaliter tributâ, quamdiu in Tzareæ Majeſtatis Regnis, & Provinciis per tranſitum verſaretur. Is ſextâ Julii anni 1698. cum duobus Presbyteris, Capitaneo Molinos, Medico, Horologiario, & aliis quibusdam perſonis Moſcuæ advenit. Cujus habitationi primùm domus in Slowoda aſſignata erat; tertio verò adventûs ſui die Kneſius Galizin Tzareo mandato ſatisfacturus Domino Archi-Epiſcopo, equis ſuis, & curribus ad ſe introductis aliquam palatii ſui par-

Digitized by Google

tem, quoad Moſcuæ perſiſteret, incolendam dedit. Decimâ Julii, octavæ SS. Corporis Chriſti feſtivitatem ſuâ præſentiâ decoravit, decimâ ſextâ ejusdem quinquaginta Catholicos Confirmationis Sacramento in fide roboravit. Interea Kneſius Galizin navem paravit, & variis victualibus inſtruxit, quam ſub finẽ Julii Credentialibus Tzareis antè munitus conſcendens iter ſuum per Ockam, & Wolgam, indè per mare Caſpium in Perſidem auſpicatus eſt.

Illuſtriſſimus Dominus Dominus Joañes Stanislaus Boghi Judex Trœcenſis, Sereniſſimi Poloniarum Regis Aulicus, ejusdémque ad Tzareæ Majeſtatis aulam Ablegatus Extraordinarius.

Quando Sapiehanæ partis graſſantes undequaque ſeditioſæ turmæ magnos in tota Lithuania tumultus excitabant, ipſe cum charactere Ablegati ad Ruſſiæ Autocratorem expeditus eſt, ut novi Regis electionem, & eâ peractâ ſuſceptam coronationem annuntiaret. In commiſſis inſuper ſuis habebat numerum, & vires excubantis ad Lithuaniæ confinia Tzareæ Militiæ accuratè inſpicere, & de iisdem quamprimùm vera, & certa referre. A Sapiehanis direptionibus, & ſtructis ubique inſidiis non adeò tutum erat, cum decenti famulitio, ſplendida ſupellectili, & compoſito ad Characteris dignitatem ornatu proficiſci, re enim compertâ, de vita, boníſque omnibus actum fuiſſet. Hinc ſaniori uſus conſilio, uno duntaxat ſtipatus famulo, nullis oneribus impeditus, hoſtium fefellit inſidias, & Moſcoviæ fines feliciter attigit. Streliziis ad Lithuaniam imperabat Kneſius Michaël Gregorowicz Romadonowski. Huic non aliter, quàm monſtrato paſſu, & Credentialibus muneris ſui prærogativam potuit aſſerere: Lithuaniæ diſſidiis in excuſationem datis, eò quòd cum condigno comitatu ad Moſcuæ confinia non compareret. Miſeratus ſortem Romadonowski petenti Ablegato de ſufficienti famulitio, equis, & curribus providit, quibus Moſcuam ad Tzarorum Reſidentiam progrederetur; admiſſus, introductus, & acceptatus à Miniſterio, habitationem in palatio Legatorum aſſignatam occupavit. De Moſcici Miniſterii periculoſa calliditate multùm conqueſtus, paſſum, & Credentiales litteras eidem extraditas, ſéque captioſè circumventum perſæpe indoluit. Cùm prima Julii 1698. apud Boiarinum Leonem Kirilowiczium prandium ſumeret, eidem acceptas à Sereniſſimo Rege ſuo litteras exhibuit, quæ laudata Cæſarei Ablegati dexteritate reprehendebant ejusdem nimis facilem paſsûs, & litterarum Credentialium extraditionem. Neſcio in quas tricas, & contentiones cum quodam Kneſio Dolgoruga lapſus, eundem in duellum dicitur provocâſſe, &, quòd is non compareret, ejusdem feneſtram

ex-

Digitized by Google

exploſo piſtoleto petiiſſe. Adeò res iſta Moſcos afflixit, ut deinceps Domino Ablegato in omnibus oppoſiti, omnem vix non lapidem moverint, quo tædia ipſius, & faſtidia multiplicarent. Optimum inſuper Virum exoſi, dato ſuper Credentialibus exhibitis reſponſo, expedire tentabant, unde nova altercationis occaſio. Polonus enim non viſo Principe, ad quem principaliter miſſus eſſet, diſcedere recuſavit. Re igitur ad Tzarum delata, tunc fortè in Hollandia commorantem, Tzarea Majeſtas, cujus ſingularis prudentia, & laudatiſſima æquanimitas ubique elucet, pro Polono ſic reſcripſit: ad me, non ad vos miſſus eſt Ablegatus, maneat ergo, donec rediero. Vos congruam eidem ſuſtentationem interea elargiemini. Ratione verbi cujusdam aſperioris, & in contemptum Characteris vergentis, quendam Interpretem Cancellariæ Legatoriæ primâ Auguſti verberibus horrendùm caſtigari juſſit ad novi odii incitamentum, Moſcicum Miniſterium indignè ferens, ſe irrequiſito, ſubditos ſuos ab exteris cædi, quotidiè magìs ab Ablegato animis diſceſſit. Ita ut Dumnii, aliorúmque ſermones apertiſſimè dicerent, eum Ablegatum non eſſe, attuliſſe credentiales dubias, nullo certo nomine expreſſo, igni oleum affundebatur, cùm Reſidentis Moſcowitici litteræ Varſaviâ advenirent. Polonos de Ablegato ad Tzarum miſſo ſcire nil velle. His replicabat Ablegatus: non dubitare ſe, quin Polonorum nonnulli, maximè ſibi inimici, id aut neſciant, aut ſcire diſſimulent; ſe à Rege, & Republica miſſum, ſollicitum non eſſe de privatorum ſcientia, ignorantia, aut malevolentia. Moſcis autem ſufficienter notam eſſe characteris ſui dignitatem. Licèt enim in una credentiali epiſtola nomen ſuum expreſſum non fuerit, inveniri potuiſſe in altera. Se plures Credentiales litteras attuliſſe, pertinere calumniam ad Sereniſſimum Regem. Illius, non ſuas injurias ſe perſequi. Et ſanè tametſi nullas omnino credentiales attuliſſet, mecum tamen æquiores exiſtimare non ambigo, uſitatum Legatis tractamentum, & honores ipſi ex eo debitos fuiſſe, quòd illum Moſci ſub Ablegati charactere ſolenniter ſuſcipere non dubitaverint. Eorum enim arbitrio obnoxium eſſe non poteſt, hunc modò Legatum eſſe, modò non eſſe. Nihilominus Moſci ab eo penitus averſi, liberam illis in locis, conſuetámque ſuſtentationem deinceps præbere recusârunt, & ubi moleſti eſſe poterant, pro viribus laborantes, omnia faſtidioſæ ejusdem ambitioni imputârunt; quibus illum quandoque juſta ratione impulſum moveri oportuit. Ablegato Poloniæ præcedere prætendebat Danicus, quia inquiebat: Rex meus ad ſceptrum naſcitur, Polonorum autem liberis modò ſuffragiis ad eam eminentiam

Digitized by Google

nentiam vocatur, quæ litigia Moſci non probabant, tanquam tempori non ſatis accomodata. Poloni partibus tacitè favebant, ſi Tzarei tractamenti ſplendor, quo uterque honorabatur, non temerè major, minorve eſt, pro Polono res ipſa ſententiam tulit, hominem tamen oderant, ſecundâ Novembris ſinè ceremoniis expeditum.

Sextâ Decembris Veroniſcham ad Tzaream Majeſtatem iter parantem impedivit Miniſterium, quòd in jam plenè dimiſſum nulla deinceps negotiatio caderet ſinè novarum credentialium exhibitione; proteſtabatur tamen, cùm Generalis Vigiliarum Præfectus de Carlowiz ob timendos novos Lithuaniæ motus pro viginti millibus Tzareorum militum ad confinia quamprimùm ſubmittendis, ſollicitaret, admonebátque præterea, conſultiùs ſibi videri, ſi omiſſa periculoſa armorum oſtentatione Tzarea Majeſtas apud Rempublicam de injurioſis ejuſdem molitionibus conqueretur, utpote in cujus contemptum redundaret, poſt electionem, & coronationem Regis ritè annuntiatam, novi Regis eligendi cogitationem velle ſuſcipere. Interim Moſci, quibus diſplicebat diuturna Ablegati poſt dimiſſionem commoratio, inſinuant eidem, ut trium intra ſeptimanarum ſpatium cameras ſuas evacuet, & extra Moſcuam ſe conferat, locúmque cedat adventuro Ablegato Extraordinario Electorali Brandenburgico. Cùm verò abitum ejuſdem minimè maturari cernerent, undecimâ Januarii quindecim Potwodæ ad curiam Legatorum miſſi ſunt, quibus ipſe uteretur, ad diſceſsûs, & itineris ſui celeriorem promotionem.

Illuſtriſſimus Dominus Paulus Heins Sereniſſimi Daniæ Regis ad Aulam Tzaream Ablegatus Extraordinarius ſtuduit imprimis intercedentem Regi ſuo cum Tzarea Majeſtate amicitiam conſervare, eámq; ſanciendi fœderis unione propiorem facere, & intimiorem, cum Poloniarum Ablegato de prærogativa contendens, Regna hæreditaria electitiis prætulit. Nonâ Octobris anni 1698 Tzarea Majeſtas ex dignatione ſingulari ejuſdem filium ex fonte Baptiſmali levavit, primâ verò inſequentis Novembris majores honores aucupabatur, cùm ſummo manè ad Danicum Comiſſarium Boudenand concederet, ubi Tzaream Majeſtatem noctem tranſegiſſe conſtabat. Sed auroræ ſerenitatem quædam diei nebulæ infeſtârunt; liberiore quadam in Tzari faciem contradictione eas nubes contrahente. Non impari ex cauſa tempeſtatem concire poterat decima quinta Januarii dicti Anni 1699. Negotiorum obtentu, facultate acceptâ Tzarum Veroniſcham uſque ſequendi, illuc quartâ Martii, cum Ablegato Brandenburgico

gico

Digitized by Google

gico contendebat; cùm Tzareum curſorem confluentis ruſticæ turbæ furori jam ſemianimem adventu ſuo ſubtrahit, quòd adventantium conſpectu territi latrocinantes villani diffugerent; Waywodam verò ſibi ſegniter Potwodas ſubminiſtrantem apud Tzarū detulit, eo effectu, ut ille Veroniſcham citatus knuttarum ſupplicio afficeretur. Vigeſimâ nonâ Maji Moſcuam reverſus eſt, quòd Tzarus obſequio navigii Azowium Veroniſchâ moverit.

Illuſtriſſimus Dominus Marquardus de Prinz, Ablegatus Extraordinarius Electoralis Brandenburgicus, qui, cùm Tzarea Majeſtas in terris Brandenburgicis cum Legatis ſuis ageret, Commiſſarii munere fungebatur, vigeſimâ quartâ Januarii anni 1699 ſolenni ingreſſu Moſcuam ſubivit; Tzaro de felici in proprios Status, regionéſque reditu gratulaturus. Quartâ Martii cum Ablegato Danico Veroniſcham petiit, ubi Tzareæ Majeſtatis icone, gemmis, lapidibúſque pretioſis ornata donatus, & decimâ ſextâ indè redux, tandem vigeſimâ ſextâ ejuſdem abitum ſuum adornavit, quem per urbis portas uſque Moſci cum ſolenni comitatu proſecuti ſunt; diſceſſurus autem ſui locò conſtituit Reſidentem intereſſe Sereniſſimi Electoris diligenter obſervaturum, Dominum Timotheum de Zadoca Kieſielski. Dania, & Suecia ſuos ibidem Commiſſarios habent, quorum operâ earundem Legati non rarò utiliter utuntur. Suecicus Knipper, Danicus verò Boudenand compellatur.

Atque hæc Legationis tempore gravioribus diſtractis negotiis obſervare licuit; quæ, tum ut eruditorum paſceremus curioſitatem, tum ut profecturis aliquandò in Moſcoviam aliqualem gentis hujus daremus notitiam, typis vulgavimus. Boni conſule benevole Lector, & ſi fors plana nimis phraſis oculos offendat, tibi velim perſuadeas; nos non hiſtoricam, ſed familiarem ſcribendi methodum fuiſſe ſecutos. Errores quoque, ſi præter appoſitos, & correctos quidam calamum effugerint, niſi cenſorio acceſſeris animo, facilè emendabis.

FINIS.

Nomina illorum, qui cum Ablegatione in Moſcoviam abierunt.

Ablegatus Extraordinarius.

PErilluſtris, ac Magnificus Dominus Chriſtophorus Ignatius, Nobilis Dominus de Guarient, & Rall, Sac. Rom. Imperii, & Regni Hungariæ Eques, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarius Aulico-Bellicus Actualis.

Miſsionarii Cæſarei.

Rev. Dominus Joannes Franciſcus Emiliani.
Rev. Dominus Joannes Berula.
Rev. Dominus Joannes Caſagrande.

Præfectus.

Dominus Franciſcus Joſephus Puſch de Mangbourg.

Stabuli Præfectus.

Dominus Guilielmus Erneſtus de Mayrau.

Secretarius.

Dominus Joannes Georgius â Korb.

Joannes Hermanus Nagel. *Apotecharius.*
Joannes Andreas Köller. *Chyrurgus.*
Joannes Michael Koprax. } *Cubicularii.*
Joannes Jacobus Nagel. }
Joannes Koch. } *Coci.*
Paulus Schenk. }
Godefridus Weber. *Coemptor.*
Joannes Ziſcher. } *Tubicines.*
Conſtantinus Hölleman. }

Octo Pediſſequi.

Matthias Plank.
Gregorius Kutzhamer.
Joannes Fürnholz.
Joannes Chriſtophorus Longolius.
Chriſtianus Paumel.
Godefridus Pertſch.
Joannes Heller. *Ephippiarius.*
Joannes Georgius Kling. *Faber ferrarius.*

4. Rhe-

Digitized by Google

4. *Rhedarii.*

Johann Michael Zech.
Georgius Schmidt.
Thomas Vogel.
Adalbertus Kripner.

4. *Sub-Rhedarii.*

Auguſtinus Lerch.
Chriſtianus Mayer.
Joannes Straſſer.
Adamus Wolfarth.
Thomas Brügel. *Servi.*
Matthias Hatſch.
Jakuſcha. *Puer Culinæ.*

Errata ſic corrige.

Pag. 1.	linea 18. Norogardiæ	*lege*	Novogardiæ.
Pag. 2.	& 3. Tzaræ	*lege*	Tzareæ.
Pag. 3.	linea 22. Legato	*lege*	Ablegato.
Pag. 3.	Lineâ antepenultima Muſelmanorũ	*lege*	Muſulmanorum.
Pag. 34.	linea 34. plaudibus	*lege*	paludibus.
Pag. 40.	linea 9. inſidientes	*lege*	inſidentes.
Pag. 44.	linea 19. ſcobodam	*lege*	Slobodam.
Pag. 45.	linea 19. malluiſſe	*lege*	maluiſſe.
Pag. 47.	linea 37. conulit	*lege*	contulit.
Pag. 50.	linea 14. propinguitas	*lege*	propinquitas.
Pag. 58.	linea 36. & ſæpius Oezakow	*lege*	Oczakow.
Pag. 64.	linea 5. ſagninandi	*lege*	ſaginandi.
Pag. eodem	linea 20. pejurandi	*lege*	pejerandi.
Pag. 65.	linea 34. Tzereaſſiorum	*lege*	Tzerkeſſiorum.
Pag. 66.	linea 12. Zebollinarum	*lege*	Zobellinarum.
Pag. 81.	linea 9. Ablegalti	*lege*	Ablegati.
Pag. 93.	linea 2. ſuſpiciari	*lege*	ſuſpicari.
Pag. 100.	linea 1. exilens	*lege*	exiliens.
Pag. 113.	linea 18. tres e	*lege*	tres ei.
Pag. 128.	linea 4. iconem	*lege*	icon.
Pag. 167.	linea 33. carere	*lege*	cavere.
Pag. 175.	linea 41. ſalute	*lege*	ſalutem.


Digitized by Google

Catalogus Navium Tzarea Claſsis.


Primus Ordo.		Subminiſtratores Sumptuum.
	1	Tzarea Majeſtas.
	2	
	3	
	4	
	5	
	6	
	7	
	8	
	9	
Secundus Ordo.	10	Kneſius Michael Cirkaski.
	11	Kneſius Feudor Jvanowitz.
	12	
	13	
	14	
	15	
	16	
	17	
	18	
	19	
	20	
	21	
	22	
	23	
	24	Patriarcha.
	25	
	26	
	27	
	28	
	29	

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Catalogus Navium Tzareæ Claſſis.

Nomina Navium.	Longitudo. pedũ.	Latitudo pedũ.	Profunditas pedũ.	Tormenta.	Capita.
Sol Regalis.	133	33	11	60	500
Duo Fratres Regii.					
Tzarus, & Rex Poloniæ.	150	36	11	60	500
Princeps Alexius Petrowiz.	139	37	11	60	500
Magnus Monarcha.	136	37	11	60	500
Invictus	135	37	11	60	500
Triumphans.	135	37	11	60	500
Victoria.	135	37	11	60	500
Deſperatus.	135	35	11	60	500
Heros Hunniades.	135	35	11	60	500
Hercules.	136	29½	9½	50	360
Mars.	136	29½	9½	50	360
Jupiter.	123	34	13½	48	350
Mercurius.	123	34	13½	48	350
Luna.	123	34	13½	48	350
Phosphorus.	123	34	13½	48	350
Neptunus.	123	34	13½	48	350
Jaſon.	123	34	13½	48	350
Magnus Alexander.	123	34	13½	48	350
Magnus Tamerlanes.	123	34	13½	48	350
Julius Cæſar.	123	34	13½	48	350
Defenſio.	123	34	13½	48	350
Spes.	123	34	13½	50	360
Fides.	123	34	13½	50	360
Charitas.	124	34	13½	50	360
Fortuna.	124	34	13½	50	360
Pro Patria.	124	34	13½	50	360
Juſtitia.	123	34	13½	50	360
Azowium.	123	34	13½	50	360
Aſtracanum.	128	34	13½	50	360

Ter-

Digitized by Google

Catalogus Navium Tzarea Claſsis.

Tertius Ordo.		Subminiſtratores Sumptuum.
	30	Caſanum Metropolit.
	31	
	32	Iſabrandt.
	33	
	34	
Quartus Ordo.	35	Kneſsius Michaël Alexiowitz.
	36	
	37	
	38	Kneſius Michaël Cerkow.
	39	Kneſius Proſorowsky.
	40	Baſili Fedro: Sultikow.
	41	Kneſius Trœkurow.
	42	Kneſius Petro:Chawansky.
	43	Okolniz Trochonadow.
	44	Feüdor Sickow.
	45	
	46	Dolgarukoj.
	47	Ramow.
	48	
	49	
	50	
	51	
	52	
	53	
Quintus Ordo.	54	Tzarea Majeſtas.
	55	Ramow.

No-

Digitized by Google

Catalogus Navium Tzarea Claſſis.

Nomina Navium.	Longitudo pedũ.	Latitudo pedũ.	Profunditas pedũ.	Tormenta.	Capita.
Caſanum.	139	29	11¼	42	250
Novogrodium.	136	28	10½	42	250
Aquila.	126	27½	10	40	240
Falco.	126	27½	10	40	240
Accipiter.	126	27½	10	40	240
Avis Coronata.	125	26½	10½	34	180
Elephas.	125	26½	10	34	180
Tygris.	125	26½	9¾	34	180
Leo.	125	26½	10½	34	180
Urſus.	125	26½	10	34	180
Lupus.	125	26½	10	34	180
Vulpes.	125	26½	10	34	180
Vertagus.	125	26½	10	34	180
	125	26½	9½	32	160
	125	26½	9½	32	160
	125	26	9	30	150
	125	26	9	30	150
	125	26	9	30	150
	125	26	9½	34	180
	125	26	9½	34	180
	125	26	9½	34	180
	125	26	9½	34	180
	125	26	9½	34	180
	125	26	9½	34	180
	105	28	10	26	120
	125	26	9	24	120

Na-

Digitized by Google

Catalogus Navium Tzarea Claſſis.

Naves Tormentariæ.		Subminiſtratores Sumptuum.
	56	Mercatores.
	57	
	58	
	59	
	60	
	61	
	62	
Incendiariæ.	63	
	64	
	65	
	66	

Præter iſta reperiuntur in Tzarea Claſſe Triremes. . . . . . . 18.
Brigantieri. . . . . 100.
In Boryſthene Brigatieri & Remiges. . . . 300.

No.

Catalogus Navium Tzareæ Claſſis.

Nomina Navium.	Longitudo pedũ.	Latitudo pedũ.	Profunditas pedũ.	Mortaria.	Tormenta.	Capita.
Saturnus. - -	91	29	11	2	18	60
Tonitru. - -	95	29	11	2	18	60
Fulgur. - -	101	29	11	2	18	60
Grando. - -	101	29	11	2	18	60
Poteſtas. - -	101	30	12	1	14	50
Formidandus. -	101	30	12	1	14	50
Terripeta. - -	101	30	12	1	14	50
Vulcanus. - -	80	24	10½		8	26
Mons Æthna. -	80	24	10½		8	26
Mons Veſuvius.	80	24	10½		8	26
Salamandra. -	80	24	10½		8	26

Digitized by Google

DECLARATIO,

Iconum, quæ huic Operi inſertæ ſunt.


PRima repræſentat Ordinem, quo Moſcowitici exercitûs, dum caſtra ſua metantur, movent, & contra hoſtem in acie promovent. Caſtra autem ibidem delineata ea ſunt, quibus Dominus Generalis de Gordon præfuit, quando in expeditione adversùs Crimæam, euntis, redeuntisque exercitûs tergum tutabatur.

Explicatio Numerorum.

Numeri 1. 2. 3. 4. Denotant quadranglum caſtrorum.
Num: 5. Tentoria Generalis in fronte exercitûs.
Num: 6. Militem pedeſtrem in fronte, in medio, ad latus, & ad tergum.
Num: 7. Currus, quibus impoſita ſunt onera ad utrumq; latus.
Num: 8. Equites ſeparatos â peditatu, & currus onerarios, cum tormentis regiminum pariter ſejunctis.
Num: 9. Centurias equitum, quæ è caſtris hoſti in occurſum exeunt, ejusdem inſultus impedituræ.
Num: 10. Emiſſas turmas, quas Equitum Centuriæ ante ſe collocant.
Num: 11. Extremas, & duplicatas excubias, quas modò nominatæ equitum turmæ ante ſe collocant.


Se-

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

SEcunda exhibet modum à Moſcis obſervatum, quando integra exercituum vis conjuncta uno in loco ſua caſtra locat, aut in hoſticum progreditur. Plures enim illis exercitus ſunt, ſeu ſeparata corpora, ſuâ quandoque unione in monſtroſam unius magnitudinem excreſcentia. Inter ſe autem illi exercitus diſtare ampliùs non ſolent, quàm quartâ circiter parte unius milliaris: Simili ordine, quem figura repræſentat, exercitus Moſcicus ſub imperio Magni Belli-Ducis Kneſii Baſilii Baſilowiczii Galizin, ex Crimæa, finita expeditione domum rediit.

Num: 1. Indicat caſtra Magni Belli-Ducis, cum peditatu, oneribus, tormentis, & munitione in modum quadranguli curribus incluſa; & extra illa

Num: 2. Equitibus locus eſt.

Num: 3. 4. 5. 6. 7. Quinque itidem alia caſtra, eo modo, quo prima ſub Num: 1. 2. collocata ſunt.

Digitized by Google

TErtia repræſentat partem fluvii Tanais, & paludis Mæotidos, aut maris Aſſowici, uti & Civitates ad maris littus exſtructas.

Notandum, Aſſowium, poſtquam in Moſcicam poteſtatem venit, à Moſcowitico Generale Architecto bellico Laval, denuo fortioribus munimentis incluſum: ab eodem pariter duas Civitates Petropolim, & Paulopolim eſſe ædificatas.

Munimentum Tzareum (die Tzariſche Schantz) durante obſidione Aſſowii ipſemet Tzarus deſignavit, & tridui ſpatio cum quatuor vallis exſtrui fecit. Ex adverſo hujus Caſtelli Generalis de Gordon aliud ædificavit, in eum quidem finem, ne Turcæ Civitati Aſſowienſi poſſent ſuccurrere.

Caſtrum Luttik, ſicut & ambo Karantſcha jam antè Turcæ exſtruxerant, quibus Coſſakorum Tanaienſium pernicioſas divagationes, & periculoſiorem in paludem Mœotidem ingreſſum impediverunt. Quæ tamen omnia modò in Moſcorum poteſtatem redacta ſunt.

Urbs Circaſſen dicta Coſſacorum Tanaienſium metropolis eſt, ubi eorum Ethmannus, aut Dux cum ſenibus, & præcipuis reſidet.

Aſſowium Tzarus anno 1696 Turcis eripuit, & magis munivit. Eodem tempore Turcæ Caſtrum Luttik perdiderunt, & duo Caſtella, Tzareum, & Gordonium, à Tzaro & Generale Gordonio deſignatoribus ſic cognominata.

Anno 1697 ex adverſo Civitas Petropolis ædificari cœpta eſt.

Anno 1695 ambo Kalantſcha, ſive Turcicas turres Tzarus obtinuit, in iiſque fortiter circumvallatis, hyemali tempore Aſſowium continua obſidione cinxit.


Paulopolis anno 1697 exſtructa eſt. Civitatem Mius, & tria Caſtella prope Taganrog Tzarea Majeſtas per Cæſareum Architectum Bellicum Baronem de Borgsdorff fieri fecit. Ad Taganrog autem ingens aliquod fortalitium, & portus exſtruendus erat.

Omnes venti ex quatuor mundi partibus (uter ſpiraverit) periculoſos turbines ciere conſueverunt. Sæpe duo, & tres, & interdum etiam omnes quatuor noxio concurſu inter ſe conflictantur. Naufragium non evaderet, quæ navis his colluctantibus in Mœotide foret. Spirante Aquilone cedit mare, ita ut ab influxu Tanais, ad duo milliaria genuum altitudinem vix adæquet; quod punctis in icone notatum eſt. Quando ab Occidente melior ventus aſpirat, duabus ferme decempedis creſcit mare; quæ altitudo non

rarò

Digitized by Google

Digitized by Google


Terra alta et deſerta ex par
Kubanæ
Paluſtria
Calantſcha
Serieoſ
Coiſuga fl.
Azovio
Via Aſſovium
Circaſſen
Don fl.
Kalantſcha fl.
Paluſtres inſulæ
Gordons
Lahutnik fl.
Lutik
Kuturma fl.
Axai fl.
Via ex Ciuitate Circaſſen
Via Moſcuam per deſerta Crimææ Valuikam verſus
Via ex Aſſovio
Terra alta et deſerta ex parte Crimææ
Scala 9 millia
germ
1
2
3
4



Digitized by Google

Digitized by Google

rarò quibusdam ſeptimanis conſtans eſt. Ordinaria verò maris hujus profunditas eſt 15. pedum.

Sciendum præterea eſt, fluvios Tanaim, & Kuturmam ſatis aquarum volvere, ut majores bellicas naves vehant. Quoniam verò mare ipſum quandoque ſua privatur altitudine, & fluminum oſtia ingenti vi arenæ impedita ſunt, neque naves in mare educi, neque ex illo in flumina reverti poſſunt, niſi vento Occiduo augente mare; tunc enim omnes paluſtres Inſulæ ad mediam viri altitudinem inundantur.

Digitized by Google

QUarta repræſentat modum, quo Moſci anno 1696 Aſſowium oppugnârunt, uti & ſtatum, in quo tunc erat Aſſowium. Aſſowium olim Metropolis erat Regni Tartarici Nagaiæ. Anno 1695 Moſcoviæ Tzarus cum fortiſſimo exercitu, & aliquot navibus bellicis ſecundo Tanai deſcendens, fortalitium hoc arcta obſidione clauſit. Expugnatas priùs duas turres Turcicas, quas Kalantſcha vocant, vallis munivit, & ipſam dein Urbem magno impetu aggreſſus eſt. Ei tamen expugnandæ tunc non ſufficiebat, re infecta cöactus diſcedere. Intereà verò illam arctè cinctam, & clauſam tenuit ſubſidio turrium, in quibus ejusdem copiæ tota hyeme vigilabant; donec anno 1696 denuo ſuas vires æſtivo tempore ad eam Urbem admoveret. Venerat autem cum 50 millibus peditum, & 16 millibus Equitum, 10 tormentis majoribus, 60 mortariis, 23 triremibus, 2 Galeazis, 4 navibus incendiariis. Non recenſitis aliis navigiis, quæ ingenti multitudine Tanaim contegebant. Oppugnabatur Aſſowium 26 Maji: ſe dedebat 29 Julii. Præſidiariorum (cùm Urbe exirent) numerabantur quatuor millia armigerorum.


SEQUITUR.

Declaratio Urbis, & laborum obſidentis exercitûs.

Num: 1. Arx Aſſowiana muris lapideis incluſa.
Num: 2. Aſſowium.
Num: 3. Vallum Turcicum ex ſolo limo cum parvis ſuis, & inæqualibus propugnaculis, quod undequaque cavum, & lignis ſuffultum erat. Sub qua cavitate uxores cum liberis, læſi cum ægrotis ſe abſconderant, ut à Moſcico pulvere, & tormentis liberi eſſent. Ubi, & quot tormenta plantata fuerint, turrium foramina oſtendunt.
Num: 4. 5. 6. Approximati aggeres anni 1695.
Num: 7. Aggeres anni 1696.
Num: 8. Batteria ad impedienda tormenta Turcica, cum numero tormentorum.
Num: 9. Batteria 20 pedibus alta, ex qua ſupra illud Vallum ex limo tormenta detorquebant in Aſſowium.
Num: 10. Vallum ex limo 15 pedes altum, quod Moſci 30 virgis à Civitatis foſsa aggerere inchöarunt. Quod deinde continuis laboribus ante ſe trans foſſam ſupra propugnaculā devolvebant, quindecim millia hominū quotidie laborabant,

Digitized by Google

Digitized by Google



Scala 100 decempedar gallicar
Elevatio Scalæ bis proportionata eſt

Digitized by Google


TANAIS FLUVIUS
14
14
14
16
1
2
3
7
7
7
8
8
8
15

Digitized by Google

bant, donec ipſis Aſſowianis caſtris, & munimentis major moles ligone aggeſta ſurgeret, & urbe quaſi obrutâ ſinè ulla arietatione viam, & facilem tranſcenſum pararet.

Num: 11. 12. 13. Tres diverſi Moſcowitici cuniculi ſubtus vallum uſque ad Aſſowiana mœnia, ut Turcici cuniculi â vallo Moſcico averterentur.

Num: 14. Moſcowitica propugnacula, Batteriæ, ſive Köſſel Tanaim, ex adverſo Aſſowii, ut non modò Præſidium Turcicum infeſtaretur, ſed irruptio etiam per aquam tentari poſſet.

Num: 15. 16. Batteriæ ubi mortaria plantata fuerunt. Tot autem erant Mortaria, quot hic orbes, aut annuli figurati videntur.

Quin-

Digitized by Google


QUinta Fortalitium Aſſowium exhibet ad Tanaim ſitum: qualiter illud Tzarus poſt occupationem An. 1696, & 97 muniri juſſerit. Antiqua circumvallatio Turcica numeris 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. denotatur. Puncta vetus vallum indicant, & paliſadas. Regulare vallum verò cum diverſis ſuis propugnaculis continuâ lineâ diductum nova Moſcorum munimina exhibet, uti & novam civitatem Petropolim dictam.

Saporoſchen Civitas Coſſacorum eſt. Hanc ut plurimùm damnati, & deportati incolunt. Qui enim aliàs in Sibiriam relegabantur, illis moderno tempore hæc Civitas exilium eſt. Ideóque cives aut Knuttis cæſi ſunt, aut inuſtam genis aquilam flagitioſæ vitæ perpetuam notam circumferunt. Foſſa, & vallum circa Petropolim nondum plenè perfecta ſunt.

Sex-

Digitized by Google

Digitized by Google




Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Via ad Civitatem Mius
C
D
A
H
J
Civitas Coſsacorum
E
Paulopolis
G
C
F
B
Via ad Taganrog
Mare, ubi portum extruere cogitaverant, unius genu altitudinem habet.
Scala 100. virgar. Rhenens.
10 20 30 40 50 60 70 80 90 100

SExta Paulopolim deſignat, quam Magnus Moſcorum Dux An. 1697. per ſuum Generalem Architectum bellicum Laval, exſtrui juſſit. Necdum tamen elaborata eſt. Vallum medietatem modò ſuæ altitudinis habet. Propugnacula quibusdam in locis ſolùm cœpta ſunt.

Foſſa 6 tantùm pedibus profunda eſt. Hic portum ædificare Moſci intenderant, modò mare ad ferendas naves ſatìs aquarum habuiſſet.

A. B. aggeres cum vallo, & foſsa, ut Coſſaci loca per C deſignata securè valeant incolere.

D. E. F. facta devia ad mare. G. Fons Babylonicus 40 pedibus profundus, necdum autem perfectus.

H. Locus, ubi naves appellere conſueverunt.

I. Locus depreſſus, ubi requiſita ad exſtruenda mœnia cuſtodiuntur. Fundus, in quo Paulopolis jacet, maris Horizonte 36 pedibus altior, & limoſus eſt.

Septima


Digitized by Google

SEptima oſtendit novum Fortalitium, quod ſua Tzarea Majeſtas an. 1698 per Cæſareum Architectum bellicum Baronem de Borgsdorff ad fluvium Mius voluit ædificari; ubi portum conſtituere concluſerat. Tzareus Architectus bellicus Richel locum hunc portui idoneum cenſuerat. Sed poſtmodum aliis rem penitiùs conſiderantibus, contrarium omnino viſum eſt.


Octava

Digitized by Google

Digitized by Google




Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Situatio Taganrog
et tria Castella deffensioni
extruendi portûs locata
Scala 200 Ruſ: magn: filo: quorum 5.
faciunt 36 ped: Archit: naval: Holland:
Weſt
Nord
Sud
Oſt

OCtava exhibet ſituationem Taganrogii cum tribus Caſtellis, quibus labores ad novum portum exſtuendum neceſſarios, contra Tartaros defenderent. Quæ jam ſæpe nominatus Baro de Borgsdorff anno 1698 ædificavit.

Olim Turcæ ad Num: 33 altam lapideam, & terrâ aggeſtâ circumvallatam turrim habebant, quam Taganrog compellabant.

Nona

Digitized by Google

NOna exhibet Fortalitium apud Taganrog noviter projectum, quod Dominus Baro de Borgsdorff Tzareæ Majeſtati ſubmiſit. Reſolverat enim Tzarus eodem loci Fortalitium, & portum exſtruere. Noſtro autem tempore cogitationes illæ ad opus necdum redactæ erant.

Declaratio numerorum.

Num: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. deſignant munimentum novem angulorum, cujus ſituatio eadem eſt, quæ trium antea Caſtellorum.


Extra foſſenbrea, & ſiccâ foſsâ cum lunula cingitur, viâ itidem coopertâ, & aliâ deviâ, quam Clacis vocant. Semiluna verò adhuc extra Clacin eſt. Linea indicat longitudinem, latitudinem, & profunditatem omnium munimentorum.

Num: 23. 24. Locus, ubi ſervi nautici habitant; & requiſita materialia ad fabricandas, inſtruendáſq; naves aſſervantur.

Num: 102. 103. 192. 193. Minor portus, cujus munimina, horúmque trina dimenſio apud Litt. A. B. C. invenitur. Spatio unius anni ædificari poteſt.

Num: 10. 11. 12. 13. Major portus, cujus omnimoda exſtructio plures annos requirit.

Digitized by Google



Projectum fortalitij et portus apud Taganrog ad Mæotidem extruendi

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z164978000
Google

Digitized by Google

Digitized by Google